BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
C
15
NAPOLI

99



Inter libros
Josephi Mariæ Paruscandolo
Antecessoris Regii
A L X

Digitized by Google

Nardi

Digitized by Google

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPATUS BENEVENTANI

NECNON

ARCHIEPISCOPATUUM, EPISCOPATUUM

Inferiorumque Regni Neapolitani Beneficiorum

LIBERTAS VINDICATA

Adverſus Argumenta Anonymi Recentioris
idest Petri Giannone J.C. Neap.

AUCTORE

SÆCULARI PRESBYTERO

l'Anonimo vuole che fosse il Canonico de Vita di Benevento.

La Scrittura, a cui l'Autore risponde, si legge nel Tom. 2. degli opuscoli di Giannone dal pag. 319. ad finem.

ANNO MDCCXXXVIII.

Carolus Nardi

Etiam veteres Leges ea, QUÆ JURIS DIVINI SUNT, HUMANIS NEXIBUS NON ILLIGARI *ſanxerunt.*
Juſtinian.Imp.Cod.Lib.I.Tit.V.L.*Sancimus nemini.*

Digitized by Google

Ut quid enim eos tanta cura veſtigare, atque indagare conamur, niſi ut captos, in apertumque productos, aut etiam ipſos veritatem doceamus, aut certe veritate convictos nocere aliis non ſinamus? S. Auguſt. contra Mendacium cap. 1. num. 1.

Digitized by Google

SANCTO PETRO
APOSTOLORUM PRINCIPI
ET PRIMO CHRISTI VICARIO

PATRONO SUO

PRESBYTER LIBRI AUCTOR
HUMILLIMUS CLIENS.

QUA de cauſa ego Opuſculum hoc meum Tibi dicatum velim, *Sanctiſſime Apoſtolorum Princeps* Petre, *facile intelliget quiſquis dignitatis hinc tuæ eminentiam, muneris vero naturam & conditionem, qua offertur, inde perpendet. Siquidem Tu illa Petra es, ſuper quam*

Digitized by Google

Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ molem nunquam deſituram conſtruxit, adverſus quam Inferi portæ pugnarent quidem, ſed non prævalerent. Tibi inter reliquos Apoſtolos non ſolum ordinis dignitate, ſed juriſdictionis etiam auctoritate Primo totius Dominici Gregis cura ita divinitus commiſſa eſt, ut in tuo Primatu veluti in ſemine ea omnia jura, & prærogativæ Eccleſiæ regendæ neceſſaria, vel opportuna concluſa fuerint, quæ ſubinde in tuis ſucceſſoribus Romanis Pontificibus ſeſe paulatim explicuerunt, prout eventuum neceſſitas, & temporum ratio poſtularunt. Tibi præ reliquis Collegis tuis Claves Regni Cælorum fuerunt traditæ, ut quod ligares in Terris, in Cælis quoque eſſet ligatum; & quod in Terris ſolveres, in Cælis itidem eſſet ſolutum; adeoque in Te primum tuis ſucceſſoribus ea tradita ſuperne poteſtas eſt, qua hi pariter leges pro tota Eccleſia conderent, quibus Fideles omnes, ſi ſalvi eſſe vellent, obtemperare tenerentur. Hæc autem jura, prærogativæ, leges, poteſtas ea ipſa

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quæ, quatenus Sacerdotia reſpiciunt, defendenda ſuſcepi in hoc Opere, quod ſane Tibi ſaltem ex hoc capite gratiſſimum fore exiſtimo, cum Tua tueatur. Ea autem conditione animove illud Tibi ſiſto, ut Te precatore Chriſtus Dominus excitet in Catholicis Principibus ſpiritum, cui M. Conſtantinus, Carolus item M., necnon SS. Henricus Germanus, Ludovicus Gallus, Ferdinandus Hiſpanus, cæterique piiſſimi Principes olim ſervierunt; atque ut idem Chriſtus Dominus excitet pariter in ſacris Thronis novos Gregorios, Hilarios, Athanaſios, Ambroſios; adeout illi ſacris imperia ſubmittere, ſuaque Eccleſiæ jura ſervare, & adverſus improborum hominum ſive conſilia, ſive conatus defendere ſtudeant: hi vero non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti quærentes, opponere ſe murum, cum opus fuerit, pro domo Iſrael non pertimeſcant. Jam igitur, Sanctiſſime Apoſtolorum Princeps, ſub umbra tui Nominis, non minus quam olim fuerit umbra tui Corporis, efficaci, Opuſculum meum, immo

Tuum,

Digitized by Google

Tuum, in lucem prodeat, ægras in Eccleſiæ Libertatem Scriptoris Anonymi, ejuſque aſſeclarum mentes ſanet, languidos in obſequio erga auctoritatem Apoſtolicæ Sedis animos curet; ſanas vero utrinque mentes, firmoſque animos roboret, atque confirmet.

MO-

Digitized by Google

MONITIO
AD LECTOREM

UT ad legendum, & ad ferendum ju[illegible]icium de iis, quæ legeris inſtructior accedas, opportunum duxi, Lector, te præmonere de iis, quæ ſubſequuntur.

I. Ad elucubrandum præſens Opus me[illegible] movit veritatis amor, & debitum Sanctæ Matri Eccleſiæ, Summoque Pontifici [illegible]bſequium, Eccur enim Eccleſiæ Matris Libert[illegible]em filius, & Summi Sacerdotii jura pro viribus non defend[illegible] Sacerdos adverſus conatus eam Libertatem oppugnare, & e[illegible]ura immiuere molientis? In Opere præferente firma principi[illegible]ſolida argumenta, veras rationes, cernes, uti ſpero, detecta fa[illegible]ſcipia, mendacia, ſophiſmata, quibus auctor Anonymus uſus eſt adverſus Apoſtolicam, & Eccleſiaſticam auctoritatem.

Nimium ne crede colori.

Ejuſdem profecto indolis ſunt Van-Eſpen, Jannonii, Centomani, & his ſimilium elucubrationes, quæ ſi in ſtatera veritatis, & juſtæ critices appendantur, & ipſæ dubio procul minus habentes invenientur.

II. Tertiam ex Codice Theodoſiano ſub titulo [illegible]Epiſcopali judicio legem citavimus (1), quam non deeſt qui [illegible]dici eidem perperam adjectam eſſe putet (2). Verum Jacob[illegible]Sirmondus quanquam aſſerat, quod Codex Lugdunenſis Eccle[illegible], & Aniciensis ſub laudato titulo non Theodoſianas Leges, [illegible]d Synodos partim Africanas, partim Gallicanas contineat, ni[illegible]ominus in veteribus ſcintillis, ut vocabant, ſeu breviariis Codic[illegible]Theodoſiani eamdem Legem exhiberi teſtatur (3).

Quæ autem à Jacobo Gothofredo objiciuntur, [illegible]tiſſimum a fictitio, ut ille ait, Optato Auguſtali, ad quem lex dat[illegible]ſt ab Impp. Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio, & a ſtyli diverſitate petita, cum ea hic prolixius diſcutere, & refellere non vacet, facile ſolves, ſi obſerves 1. Non ſupereſſe completam, diſtinctam exactamque Præfectorum Auguſtalium ſeriem, qui ſub laudatis Imperatoribus Alexandriæ de more ſederunt, regente Alexandrinam Eccleſiam Timo-

(1) *Part.* 1. *art.* XXIV. (2) *Jannon. Hiſt. Civil. lib.* 2. *cap. ult. num.* III. (3) *Sirmond. Var. Oper. Tom.* 1. *in præfat. præmiſſa Append. Cod. Theod.*

Timotheo Epiſcopo, cujus in eadem Lege magnifica mentio ha[illegible] obſtare, quin Florentius, aut Paulinus Auguſtalis, ad quo[illegible] extant leges a prædictis Imperatoribus, uter appellatus e[illegible] fuerit Optatus. 3. Futile eſſe argumentum petitum a ſtyli dive[illegible]te, quando reliqua conveniunt. Hinc ſi omnia bene perpend[illegible], levioris profecto momenti ſunt ea, quæ contra antedictam L[illegible], quam ea, quæ pro eadem ab ipſomet Gothofredo aſſeruntu[illegible] (1).

Sic etiam adverſus Regium in Sacris Electionibus Aſſenſum Canonem vigeſimum ſecundum Synodi VIII. Generalis attulimus (2). [illegible] certe Chriſtianus Lupus putat laicos quoſcumque Principes a Sa[illegible]um Electionum negotio fuiſſe prorſus excluſos, ut oſtendere[illegible]entur illa verba ipſiuſmet Canonis: *Prælertim cum nullam in [illegible]ius poteſtatem quemquam Poteſtativorum habere conveniat, ſed [illegible]s ſilere, ac attendere ſibi* (3). Quibus conſonant quæ in te[illegible]cione ad ejuſdem Synodi Patres locutus eſt Imp. Baſilius [illegible] præſente una cum Senatu, procuſum fuiſſe laudatum C[illegible]n, veluti rem notatu dignam obſervat Abbas Florius (5). Quoniam vero Ludovicus Thomaſſinus exiſtimat per eumdem Canonem eliminari tantummodo Regium Aſſenſum præpollentem in Epiſcopalibus electionibus auctoritati Epiſcoporum (6), idcirco adverte hanc ipſam Thomaſſini ſententiam adverſari A[illegible]onymo. Siquidem Regius Aſſenſus ab eodem Anonymo a[illegible], & a nobis impugnatus, talis eſt, ſine quo electi in Epiſ[illegible]piſcopalibus thronis imponi non poſſent: *Anziche non ſi poteſ[illegible] intronizare ſenza il di loro Aſſenſo* (7): atque adeo, qui præva[illegible]t auctoritati Epiſcoporum, & quo devoluta tandem eſſet ad [illegible]s Principes Epiſcopalium electionum ſumma. Hæc breviter d[illegible]ſunt, ne facile acquieſcas iis, quæ forte quis opponet contra illa [illegible]æ ſcripſimus.

III. Q[illegible] ſoquidem cauſam noſtram adverſus Scriptorem Anonymum n[illegible]arum juvat, quod etiam ante adventum Northmannorum in [illegible]liam, earum regionum temporale dominium ad Apoſtolica[illegible]edem pertinuerit, pag. 217. lin. ult. poſt illa verba: pertinuiſſe [illegible]ninium, addi poſſunt ea, quæ ſequuntur, nimirum: quod ipſum confirmatur ex iis, quæ idem Auctor paulo ante præmiſerat: *Apulienſes*, inquit, *per occultos Legatos IX. Leonem Apoſtoli-*

(1) *Vide Gothofr. Comment. in præd. Legem* (2) *Part.* I. *hujus Oper. art.* XIII. (3) *Vide Lup. Schol. in Can.* 22. VIII. *Synod. Gen.* (4) *Vide dictam Concionem Act.* X. *verſus finem*. (5) *Tom.* XI. *Hiſt. Eccl. Lib.* LI. *n.* XLIV. (6) *Thomaſ. de Benef. Part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 1. 2. 3. (7) *Anonym. pag.* 20. *& hujus Oper. pag.* 29. 40. *&c.*

Digitized by Google

ſtolicum ut in Apuliam cum exercitu veniat, invitant dicentes Apuliam ſibi jure competere, & deceſſorum ſuorum temporibus juris Eccleſiæ Romanæ fuiſſe (1). Item ſub finem pag. 146. adde citationem Cardinalis Cuſani, quæ incuria Typographi omiſſa eſt, hoc modo: (1) *Card. Cuſan. Epiſt. 1. (2) Victor. &c.*

IV. Non ſemper fuerunt ad manus illi iidem Auctorum libri, quibus ſemel in noſtro opere adornando uſi fuimus. Hinc eoſdem quidem Auctores, ſed modo unius, modo alterius editionis quandoque indicare debuimus, prout ſe ſe commoditas obtulit. Unde inter alia accidit, ut in Prima, & Secunda Parte Operis, ubi Baronii Annales citavimus, annorum tantum, non numerorum etiam meminerimus, quia nimirum præſto erat Romana ejuſdem Baronii editio, in qua numeri deſunt, ſeu in qua annorum geſta non diſtinguuntur numeris, ſicut diſtinguuntur in alia recentiori Annalium ejuſdem Baronii editione, qua in Tertia Parte uſi ſumus. Ita etiam quæ pag. 27. ex Leonis Oſtienſis lib. 3. cap. 44. retulimus, in editione Veneta anni 1513. per Lazarum de Soardis habentur loco citato, ſed in recentiori editione anni 1668. notis illuſtrata habentur ejuſdem lib. cap. 45. Cæterum ea Auctorum loca, quæ citamus, vidimus oculis noſtris; etenim infidæ, mendaces, minuſve exactæ, quas frequentes apud nonnullos Scriptores deteximus, citationes nos coegerunt plerumque ipſoſmet adire fontes, ut inde locorum, qui indicantur, rerum, & ſententiarum veritatem hauriremus.

V. Denique *Quiſquis legis nihil reprehendas, niſi cum totum legeris; atque ita minus reprehendes. Eloquium noli quærere: multum enim de rebus laboravimus: unde aut tenuis, aut prope nulla fuit cura verborum* (2). Interim quæ irrepſerunt præ aliis.

(1) *Malater. Hiſt. Sicul. lib. 2. cap. 14.* (2) *S. Aug. de Mendacio cap. 1. num. 1.*

Pag.	*lin.*	ERRATA	CORRIGE.
10	11	Cononum	Canonum
27	10	belli ſociis	belli ſocio Ricardo
32	9	Barclarius	Barclajus
32	21	Principatibus	Principibus
34	2	ad	id
37	15	humeres	humeros
55	12	proculſit	procudit
56	29	Lothanium	Lotharium
57	23	electionem	electionum
57	33	Petrus hactenus	*dele* hactenus

64	21	reclamationibus	reclamantibus
80	25	tuendn	tuenda
82	14	ejuſce	hujuſce
100	22	*& alibi* identidem	itidem
102	15	PBÆTENDATUR	PRÆTENDATUR
103	22	perantiqus	perantiquus
116	24	exagerat	exaggerat
128	9	qualiſcumqua	qualiſcumque
130	17	comprehendatur	comprehendantur
135	16	Srochmans	Strockmans
142	33	legitimum	legitimam
149	2	diſpeſſos	diſperſos
168	10	Archiepiſcum	Archiepiſcopum
170	9	ſuſceptos	ſuſpectos
177	5	uſui	uſu
181	12	Dolorenſis	Dorenſis
192	11	debaccatus	debacchatus
197	12	Scalam	Salam
207	8	mutante	nutante
237	35	cœdibus	cædibus
240	17	nomini	nominis

In Citationibus.

Pag.	num.		
7	3	*Epiſt.* 11.	*Epiſt.* 20.
8	12	*Labbai*	*Labbei*
10	1	*L. Privilegia* 22.	*L. privilegia* 12.
11	6	*in epiſt.*	*in epiſt.* 5.
14	2	*Concil.*	*Conciliab.*
14	3	*num.* 22.	*num.* 23.
14	5	*an.* 1346. *num.* 39.	*an.* 1348. *num.* 14.
15	1	*epiſt.* 35.	*epiſt.* 68. *in edit. Pamel.*
15	7	*Cap. ult.*	*Can. ult.*
15	9	*Cap.* 13	*Reg.* XIII.
17	1	*in Præf.*	*in Præf.* 2.
24	3	*& apud Petav.*	*Apud Petav.*
82	6	*Odeacr*	*Odeacer*
83	1	*iu*	*in*
97	4	*ſeniorom*	*ſeniorem*
97	5	*Cvp.*	*Cap.*
114	5	*l.*	*L.*
174	2	*apad*	*apud*

IN-

INDEX TITULORUM

PRÆFATIO

Occaſio, Argumentum, & Diviſio Operis. XVII

PARS PRIMA.

Omnia tum majora tum minora Regni Neapolitani Beneficia, præſertim vero Archiepiſcopatus Beneventanus, a ſervitute Regii Edicti vindicantur. *pag.* 1

ARTICULUS I. *Regium Edictum de arcendis alienigenis a Regni Beneficiis tale non eſt, quale ab Anonymo aſſeritur.* 2

ART. II. *Regium Edictum alienigenas arcens a Regni Beneficiis, qualecumque ſit, aut eſſe dicatur, nullius eſſe roboris oſtenditur.* 6

ART. III. *Ut Regio Edicto arcenti alienigenas a Regni Beneficiis juſtitia concilietur, perperam ſacrorum Canonum obſervantia prætexitur.* 10

ART. IV. *Nullos Eccleſia condidit Canones, quibus alienigenæ a Beneficiis repellantur.* 13

ART. V. *Exploditur primum argumentum deſumptum ex eo, quod Beneventana Archidiœceſis pene tota in ditione Regia poſita ſit.* 17

ART. VI. *Adverſus duplicem Anonymi Obſervationem Archiepiſcopatus Beneventanus a Regio Edicto propugnatur immunis ex eo, quod Beneventana civitas, in qua Metropolitana Sedes collocatur, ſubſit temporali Dominio Romani Pontificis.* 23

ART. VII. *Proponitur præcipuum argumentum, quo Archiepiſcopatum Beneventanum Edicto Regio comprehenſum demonſtrare conatur Anonymus, quamvis Beneventanæ urbis Dominium in Romanos Pontifices tranſierit.* 28

 ART.

ART. VIII. *Imperatoribus, Regibus, cæteriſque ſæculi Principibus ratione ipſius Principatus nullum unquam jus fuit in externam Eccleſiarum Politiam, Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervationem, & ſacrorum Canonum obſervantiam.* 31

ART. IX. *Partes in Canonicis ſacrorum Præſulum electionibus potiores laicis Principibus perperam adſcribuntur.* 38

ART. X. *Sæcularium Principum Aſſenſus in ſacrorum Præſulum electionibus falſo adſtruitur ex eo, quod in ipſos Principes Populus tranſtulerit quicquid juris in eaſdem electiones olim obtinebat.* 40

ART. XI. *Regius in ſacrorum Præſulum electionibus Aſſenſus falſo pariter adſtruitur ex Eccleſiarum fundationibus, ſive dotationibus, vel reſtaurationibus.* 44

ART. XII. *Quod olim viguerit ubique diſciplina Regii Aſſenſus in Epiſcoporum electionibus, quodque eam comprobaverint & commendaverint Romani Pontifices, non probatur neque ex Epiſtolis S. Gregorii Magni, neque ex Gratiani Decreto.* 48

ART. XIII. *Quæ congeſta ſunt a Chriſtiano Lupo & Van-Eſpen, monumenta nequaquam probant eam olim fuiſſe omnium Eccleſiarum diſciplinam, ut laici Principes jus Aſſenſus in Epiſcoporum electionibus exercerent.* 53

ART. XIV. *Quæ ex Epiſtola S. Innocentii I., & ex Juſtiniani Legibus Anonymus profert Teſtimonia, ejus cauſæ adeo non proſunt, ut potius noceant, noſtræque faveant.* 61

ART. XV. *Jus Regii Aſſenſus in ſacris Neapolitani Regni electionibus, præcipue vero in electione Beneventani Antiſtitis, non probant exempla, quæ ab Anonymo proferuntur.* 65

ART. XVI. *Etſi daremus vera eſſe, quæ pro Regio Aſſenſu huc uſque Anonymus diſſeruit, & nos confutavimus, adhuc ipſe cauſa caderet.* 73

ART. XVII. *Diluitur argumentum petitum ab electionibus Epiſcoporum Germaniæ.* 78

ART.

Digitized by Google

ART. XVIII. *Satis ſit Argumento ducto ab electionibus Romanorum Pontificum.* 81
ART. XIX. *Reſpondetur ad quaſdam ratiunculas, quæ ab Anonymo ſubnectuntur.* 84
ART. XX. *Evertitur aliud præcipuum argumentum, petitum videlicet ab utilitate indigenarum, quo Anonymus ſubjicere contendit Archiepiſcopatum Beneventanum Edicto Regio arcenti alienigenas a Regni Beneficiis.* 91
ART. XXI. *Naturalis ratio haudquaquam dictat Eccleſiaſticos reditus a ſolis indigenis eſſe percipiendos.* 99
ART. XXII. *Lex Regia de arcendis alienigenis a Regni Beneficiis nec vana, nec inutilis evadit ex hoc, quod ab ea Beneventanus Archiepiſcopatus excipiatur.* 103
ART. XXIII. *Refelluntur ea, quæ ex Conſtitutionibus Sixti IV. ab Anonymo ſubjiciuntur.* 107
ART. XXIV. *Objectioni reſpondet Anonymus, cujus reſponſioni occurritur.* 111
ART. XXV. *Diluuntur ea, quæ in ſuæ reſponſionis confirmationem ab Anonymo ſubnectuntur.* 117
ART. XXVI. *Reſpondetur argumentis, quibus Anonymus proludit Regio Placito, de quo mox fuſius acturus eſt, ut eidem ſubjectum eſſe oſtendat Archiepiſcopatum Beneventanum.* 122

PARS SECUNDA.

Omnia tum majora tum minora Regni Neapolitani Beneficia, præſertim vero Archiepiſcopatus Beneventanus, a ſervitute Regii Placiti vindicantur. 127

ART. I. *Regiæ juſſiones de ſervanda praxi Regii Placiti nec tales ſunt, quales ab Anonymo dicuntur, nec præſenti controverſiæ admodum congruunt.* 128
ART. II. *Profligatur Lex Regii Placiti, quatenus hæc quaſcumque complecti dicitur Apoſtolicas Literas.* 131
ART. III. *Oſtenditur qualis ſit Regii Placiti neceſſitas, quam Anonymus ſæpe inculcat, eaque evertitur.* 136

ART.

ART. IV. *Impugnatur iterum Lex de Regio Placito, quatenus ejuſdem vi quæcumque Apoſtolicæ Literæ laici Tribunalis examini ſubjici aſſeruntur.* 141
ART. V. *Convelluntur & principium, a quo Jus Placiti pendere, & cauſæ, propter quas illud Principibus convenire Anonymus pronunciat.* 146
ART. VI. *Refellitur jus Placiti, quatenus Literas quaſcumque Apoſtolicas reſpicit Chriſtianis ditionibus veluti extraneas.* 151
ART. VII. *Regium Placitum evertitur, quatenus Principibus convenire dicitur, ne perſonæ ipſis ſuſpectæ in ipſorum ditiones ſubinducantur.* 154
ART. VIII. *Quod Regii Placiti praxis neque perantiqua, neque perpetua, neque Principibus licita ſit, demonſtratur.* 157
ART. IX. *Argumento ducto ex ipſamet praxi Regii Placiti confirmantur ea omnia, quæ adverſus idem Placitum hucuſque diximus.* 163
ART. X. *Reſpondetur ad argumenta, quibus Regii Placiti praxim eſſe perantiquam & inconcuſſam in Regno Neapolis Anonymus probare nititur.* 165
ART. XI. *Reſpondetur ad ea, quæ Anonymus ſubnectit, petita potiſſimum ex contentionibus de Regio Placito, quæ ſub S. Pio V. contigerunt.* 173
ART. XII. *Impugnatur ſpecialius Lex de Regio Placito, hujuſque praxis, quatenus reſpiciunt literas Apoſtolicas ad rem Beneficiariam pertinentes.* 180
ART. XIII. *Confutantur ea, quæ ex hucuſque a ſe de Regio Placito diſputatis infert Anonymus.* 185
ART. XIV. *Refelluntur quæ Anonymus ſubnectit, petita ex multiplici ampliſſimaque juriſdictione Beneventani Præſulis.* 187
ART. XV. *Permiſſa hypotheſi, quod allata hucuſque ab Anonymo argumenta Regni Archiepiſcopatus Regio Placito ſubjectos demonſtrarent, non tamen inde evincitur, quod eidem Placito ſubjiciatur Archiepiſcopatus Beneventanus.* 192

Digitized by Google

ART. XVI. *Exſufflantur quæ in contrarium ab Anonymo afferuntur.* 193
ART. XVII. *Confutantur cætera, quæ in contrarium itidem ab Anonymo adducuntur.* 199
ART. XVIII. *Ultimum Anonymi effugium præcluditur.* 202.

PARS TERTIA.

Expenduntur nonnulla Facta Hiſtorica, quibus Anonymus abutitur ad dejiciendam Archiepiſcopatus Beneventani Libertatem. 207

ART. I. *De tranſlato Beneventanæ urbis temporali Dominio in Apoſtolicam Sedem ſententia Anonymi caſtigatur.* 208
ART. II. *De nutante penes Romanos Pontifices Beneventanæ urbis temporali dominio, & ejuſdem precaria poſſeſſione Anonymi ſententia expenditur, & emendatur.* 214
ART. III. *Quinam conſtituti olim fuerint Beneventanæ civitati fines.* 220
ART. IV. *De electionibus Romanorum Pontificum Anonymi ſententia exploditur.* 225
I. *De electionibus Romanorum Pontificum, quæ peractæ ſunt a tempore Leonis Iſaurici uſque ad Caroli Magni ætatem.* 225
II. *De electionibus Romanorum Pontificum ſub Imperio Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii & Ludovici II.* 227
III. *De electionibus Romanorum Pontificum, quæ a tempore Caroli Calvi ad tempora Othonis III. celebratæ ſunt.* 238
IV. *De electionibus Pontificum Romanorum, quæ ab Othone III. ad Henricum IV. contigerunt.* 244
V. *Conſectarium ex dictis.* 254
ART. V. *Conſtantini Porphyrogeniti teſtimonium de tempore translati Dominii Urbis Romæ in Romanos Pontifices expenditur.* 255
ARTICULUS ULTIMUS. *Concluſio totius Operis, cum Parænesi ad Anonymum.* 260

PRÆ-

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

Occaſio, Argumentum, & Diviſio Operis.

CUm primum Illm̃us Præſul Sinibaldus de Auria, poſtea S. R. E. Cardinalis renunciatus, anno MDCCXXXI. poſſeſſionem iniiſſet Beneventani Archiepiſcopatus, ſicut multorum obloquentium murmur concitatum eſt, ita ab uno ex iis, Auctore Anonymo, famoſum illud prodiit Opuſculum, quod hoc titulo prænotatum fuit: *Ragioni, per le quali ſi dimoſtra l'Arciveſcovato Beneventano, non oſtante che il Dominio temporale della Città di Benevento foſſe paſſato a' Romani Ponteſici, ſia compreſo nella Grazia conceduta da S. M. C.C. a' Nazionali, e ſottopoſto al Regio* Exequatur, *come tutti gli altri Arciveſcovadi del Regno*. Ex quo plane titulo illud ſtatim apparet, non ſolum Archiepiſcopatus Beneventani, ſed omnium pariter Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, immo & quorumcumque Regni Neapolitani Beneficiorum Libertatem ab Anonymo oppugnari & propelli: adeoque hoc item conſtat non tantum de unius Beneventani Archiepiſcopatus, ſed de omnium etiam ejuſdem Regni Beneficiorum Libertate nobis, qui prænotatum Opuſculum confutandum ſuſcipimus, cum ejus Auctore rem eſſe futuram. Utrumque autem manifeſtius infra patebit, ubi referemus argumenta, quibus ille & majora & minora prædicti Regni Sacer-

dotia unà involvit, iiſque omnibus impoſitam eſſe Regiam ſervitutem demonſtrare contendit.

In proœmio itaque ſui Operis laudat Auctor Caroli III. Hiſpaniarum Regis, & deinde Imperatoris ejus nominis VI. Juſſiones quaſdam; primo videlicet eas, quibus Beneficia omnia Regni Neapolitani ſolis indigenis conferenda, ſecundo illas, quibus Decreta & Reſcripta Apoſtolica cujuſcumque generis Regio Placito, vulgo *Regio Exequatur* ſubjicienda eſſe decernit (1). Hiſce Juſſionibus, ſive Edictis, veluti totius Diſputationis ſundamentis præjactis, ut propius ad rem idem Auctor accedat, indignatur Illmo Præſuli de Auria, quod hìc patria Genuensis cum eſſet, Regnoque Neapolitano prorsus extraneus, ſola fretus Literarum Apoſtolicarum facultate, multiplices exercuerit actus Eccleſiaſticæ juriſdictionis in quinque ejuſdem Regni Provinciis, ex quibus Beneventana Metropolis conſurgit, Regio Placito neque poſtulato, neque obtento (2). Refert deinde ob eam cauſam laicum Magiſtratum ſuper res Beneficiarias Neapoli conſtitutum ſupplicem Cæſari porrexiſſe libellum, in quo, ut ille refert, hæc petebantur. Primo, ut Cæſarea & Catholica Majeſtas dictos juriſdictionis actus corrigat, emendet, declaret nullos, ac attentatos, novumque Archiepiſcopum ulteriori horumce actuum exercitio interdicat. Secundo, ut Literæ quorumcumque Beneficiorum, Penſionum, aliarumque Proviſionum, ſi quas forte Illluſtriſſimus de Auria extra Beneventanæ civitatis limites expedire tentaverit, nequaquam

(1) *Anonym. pag.* 3. & 4. (2) *Anonym. pag.* 6.

quam executioni mandentur, niſi prius examini ſuppoſitæ, ac tales repertæ, quæ privilegio conceſſo indigenis cohæreant, Regio Placito muniantur. Tertio, ut interim cujuſcumque generis exactiones, redituum, fructuum & cæterorum quovis titulo ad menſam Archiepiſcopalem, ac Capitulum Beneventanum pertinentium, prohibeantur. Quarto, ut ſi quæ per obitum præſentium poſſeſſorum Beneficia vacare contigerit, illorum reditus dentur ſequeſtro, iiſque Regii Oeconomi aſſignentur, qui quicquid neceſſitatibus Eccleſiarum ſuperfuerit, ſervent ſucceſſoribus illis, qni eorumdem Beneficiorum diſtributiones Regio Placitò roboratas obtinuerint. Quinto demum, ut ad Præſides & Theſaurarios Provinciarum, ad Gubernatores Civitatum, ad Oppidorum & Pagorum Univerſitates urgentes dirigantur Literæ, quibus ad ſervanda adamuſſim præmiſſa adigantur; præcipue vero, ut in id attentius incumbant, ne Beneficii alicujus poſſeſſionem adipiſci quis audeat, niſi prius exhibuerit Regii Placiti teſtimonium Literis Apoſtolicæ conceſſionis inſcriptum (1).

Jam ut oſtendat Anonymus juſta eſſe ea omnia, quæ in prædicto ſupplici libello contineri diximus, duo ſibi demonſtranda proponit. Primum: quod Beneventanus Archiepiſcopatus, ſi Diœceſes ſpectentur, ex quibus componitur, Regio Edicto de conferendis ſolis indigenis Regni Beneficiis contineatur, veluti Regni Archiepiſcopatus; nec quicquam officere, quod dominium temporale unius Be-

c 2 ne-

(1) *Anonym. pag. 7.*

neventanæ Civitatis ex conceſſione veterum ejuſdem Regni Principum in Romanum Pontificem tranſierit (1). Secundum: quod poſt tot Regia juſſa impenſius Regii Placiti neceſſitatem inculcantia in quibuslibet Apoſtolicis proviſionibus, gravis hic ſit auſus Præſulum & Archipræſulum, Beneventanorum præſertim, quorum juriſdictio ad quinque Regni Provincias protenditur, aggredi nimirum in ipſo Regno, Romanarum duntaxat virtute facultatum, juriſdictionis exercitium, eodem Placito non petito, neque conceſſo; non enim poſſe eos, ait, ullam exercere Eccleſiaſticam juriſdictionem in quinque Provinciis Beneventanam Metropolim componentibus, niſi prius Literis Apoſtolicis, quibus iidem Archiepiſcopi inſtituuntur, Regium Placitum obtinuerint (2). Spondet demum una omnes ſoluturum ſe difficultates, quæ ex adverſo afferantur (3). Primum illud in primo, alterum in ſecundo, poſtremum in utroque ſui Operis Capite, ubi ſcilicet res poſtulat, Auctor exequi curat. Etenim duobus Capitibus, præter procemium, tota Diſputatio ſive totum Opuſculum comprehenditur; quæ capita rurſus in numeros diſtinguuntur.

Hæc modo a nobis compendio recenſita ea ſunt, quæ a ſe præſtanda ſuſcipit Anonymus in prænotato Opuſculo, quod ſane mole leve eſt, ſed principiis Eccleſiaſticam, in re præcipue beneficiaria, juriſdictionem penitus labefactantibus graviſſimum, talique artificio concinnatum, iiſque conſertum argumentis, quibus apprime conveniat illud S. Augu-

(1) *Anonym. Pag. 7. & 8.* (2) *Pag. 7. & 32.* (3) *Pag. 7.*

guſtini de ſimilibus operibus judicium: *Sunt multa, quæ appellantur ſophiſmata, falſæ concluſiones rationum, & plerumque ita veras imitantes, ut non ſolum tardos, ſed ingenioſos etiam minus diligenter attentos decipiant. Quod genus captioſarum concluſionum Scriptura, quantum exiſtimo, deteſtatur illo loco, ubi dictum eſt: qui ſophiſtice loquitur, odibilis eſt* (1).

Patet igitur ex dictis quænam ea ſit ſervitus, in quam Archiepiſcopatum Beneventanum una cum Neapolitani Regni Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus cæteriſque Beneficiis Scripto ſuo abducere contendit Anonymus: Regii Edicti a Regni Beneficiis alienigenas arcentis, Regiique Placiti Literis Apoſtolicis inſcribendi ſervitus eſt. Hanc ut avertamus duplicem ſervitutem, eorumdemque Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, ac reliquorum prædicti Regni Beneficiorum, præſertim vero Beneventani Archiepiſcopatus Libertatem adverſus Anonymi ipſius argumenta vindicemus, præſens opus aggredimur. Univerſam Diſputationem in tres Partes dividimus, in quarum prima a ſervitute Regii Edicti ſeu Privilegii conceſſi indigenis; in Secunda vero a ſervitute Regii Placiti eximimus Beneventanam Sedem, dataque occaſione, omnes etiam Regni Neapolitani Eccleſias: in Tertiam demum Partem, ne nimium interrupta principalis Controverſiæ ſeries Lectorem confundat, ac defatiget, facta quædam hiſtorica confutanda rejicimus, quæ ab Anonymo ſuo Operi inſerta ad præſentem quæſtionem minus ſpectant, ac longius examen requirunt.

Opus

(1) *De Doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 31.*

Digitized by Google

Opus autem italice editum latine confutamus, ut & ii, qui extra Italiam degunt, ac italicam linguam ignorant, agnoſcant eorum principiorum falſitatem, & argumentorum imbecillitatem, quæ in ipſorum etiam Regionibus ab intemperantioribus nonnullis Regiorum jurium defenſoribus adverſus Eccleſiaſticam Libertatem tanquam veriſſima, ac validiſſima jactantur. Ne vero Anonymus de minus fideli ſuarum ſententiarum interpretatione juſte conqueratur, plerumque eademmet ipſius dicta e vernaculo ſermone in latinum debita fide verſa dare curabimus; nec tamen obliviſcemur moris S. Hieronymi, qui non ſolum fatetur, ſed *libera fronte* profitetur *ſe in interpretatione Græcorum non verbum e verbo, ſed ſenſum exprimere de ſenſu. Etenim difficile eſt*, ait, *alienas lineas inſequentem non alicubi excidere; & arduum, ut quæ in alia lingua bene dicta ſunt, eumdem decorem in translatione conſervent*(1). Ubi vero ad inanem prolixitatem vitandam, detruncanda ea dicta, vel in compendium redigenda eſſe arbitrabimur, id a nobis ita præſtabitur, ut ſententiarum, atque rationum vis omnis retineatur. At quoniam noſter Anonymus eadem non ſemel repetit, captioſoque artificio jura factis, vera falſis immiſcens, veris quidem falſitatis, falſis autem veritatis ſpeciem obtrudit, nos ſingula, indicatis paginis, in quibus leguntur, ſeu etiam repetuntur, præfixa rerum ſumma, in articulos diſtinguemus, ut clariori, qua fieri poteſt, methodo procedat oratio, & cum ea, quæ ab ipſomet Anonymo dicuntur, tum ea,

quæ

(1) *Hier. Ep.* 101. *de Opt. Gen. Interpret.*

quæ a nobis reponentur, facilius intelligantur.

Cunctis forte non probabitur, quod in refellendis Anonymi dictis, ac ſententiis multus fuerim; ſed id res ipſa ſuaſit: ſi enim quæ ille uti certa, indubiaque pronunciat, nec tamen ullo argumento talia eſſe probat, ego e contra falſa dixiſſem, nec argumentis confutaſſem, nullus propemodum eſſet meo labori fructus. Siquidem adhuc anceps hæreret Lectoris animus, utri credendum, ſive utri cauſa adjudicanda eſſet. Cæterum *Nulla hic eloquentia eſt: nullus Oratorum tumor; quorum definitio eſt dicere ad perſuadendum accommodate.* Non enim de adverſario victoriam, *ſed puram puro ſermone quærimus veritatem* (1).

PARS

(1) *S. Hieron. lib. 1. adverſus Pelagianos.*

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIMA

Omnia tum Majora tum Minora Regni Neapolitani Beneficia, præſertim vero Archiepiſcopatus Beneventanus, a ſervitute Regii Edicti vindicantur.

QUamvis Anonymus Regium Edictum de arcendis extraneis a Regni Neapolitani Beneficiis per ſe ipſum valere pro certo habeat; ea tamen argumenta profert, quæ nedum Archiepiſcopatum Beneventanum eodem Edicto incluſum, ſed Edictum ipſum legitimum, validumque eſſe demonſtrent. Nobis idcirco cum eodem Anonymo lis quidem præcipua eſt de Archiepiſcopatu Beneventano, ſed quæ a lite de omnibus Regni Archiepiſcopatibus Epiſcopatibus, cæteriſque inferioribus Beneficiis non ſejungitur. Ut igitur eum undequaque aggrediamur, omnemque ſubdolæ Scriptionis molem dejiciamus, in hac prima Parte tria præſtabimus. Primò, oſtendemus Regium Edictum de repellendis Alienigenis a Regni Beneficiis tale non eſſe, quale ab Anonymo aſſeritur. Secundò, qualecumque illud ſit, nullius eſſe roboris demonſtrabimus. Tertio demum loco argumenta omnia, quibus ille Beneventanum Archiepiſcopatum eodem Edicto comprehenſum demonſtrare, unâque Edictum ipſum fulcire conten-

Digitized by Google

dit, confutabimus; ac inſimul oſtendemus nullam iis argumentis ineſſe vim reſpectu ipſius Beneventanæ Metropolis, dato etiam gratis, quod quatenus Regni Archiepiſcopatus & Epiſcopatus reſpiciunt, ſuum robur obtinerent. Primum, & Secundum duobus prioribus Articulis, Tertium (quandoquidem rerum multitudo, & diverſitas ita poſtulat) pluribus ſequentibus Articulis conficimus.

ARTICULUS I.

Regium Edictum de arcendis Alienigenis a Regni Beneficiis tale non eſt, quale ab Anonymo aſſeritur.

IN ſui exordio Operis ſtatim refert Anonymus Carolum III. Hiſpaniarum Regem eo tempore, quo Barcinone Regiam Sedem fixerat, Civitatis Regnique Neapolis precibus permotum, non minus ob ſuorum utilitatem Subditorum, quam juxta Sacrorum præſcriptum Canonum, præcepiſſe Edicto ſuo, ut omnes Archiepiſcopatus Epiſcopatus, aliæque Eccleſiaſticæ Dignitates, ac Regni ejuſdem Beneficia indigenis conferri deberent, *excluſis ſemper in omnibus tam alienigenis, quam Regio Dominio non ſubjectis*; eumdemque ad Imperiale Solium poſtea evectum idipſum ſtrictiori juſſione, conſtantiorique animo confirmaſſe, datis Viennæ Literis die 6. Auguſti 1713., & die 19. Aprilis ſequentis anni 1714., quæ in II. Volumine Privilegiorum Regni pag. 227. 228. 233., & 254. leguntur (1).

Verumtamen hæ ipſæ Regiæ Literæ, cum demonſtrent non illud eſſe Caroli Regis & Imperatoris Edictum, quod ab Anonymo deſcribitur, hunc & quidem in re maximi ponderis manifeſti mendacii redarguunt. Siquidem in Literis Barcinone datis ad Proregem Thaunium die 28. Februarii

Questi si chiamava: D. Wirrigo Filippo Lorenzo Conte di Daun che fu Viceré di Nap. dal dì 13. Febr. 1707. a Lug. 1708. e la seconda volta dal dì 1. Ag. 1713. al 1. Lug. 1719.

(1) *Anonym. pag. 3.*

rii 1708., quæ in prædicto Privilegiorum Volumine pag.227. habentur, Carolus Rex tantummodo præcipit, ut ſequeſtro dentur Beneficia, & Eccleſiaſtici redditus, qui ab alienigenis, nec non ab iis, qui extra Regnum degunt, poſſidentur. Hoc ipſum confirmat in Literis die 2. Martii ejuſdem anni Barcinone pariter ad eumdem Thaunium miſſis, quæ ibidem in fine paginæ 227. ad 228. leguntur: ibique ſolum addit, *Ægre admodum ſe ferre, quod producta in Regno opes ditandis illis inſerviant, qui Curiæ Romanæ inſerviunt, & ulterius peculiari ſe detineri cura, ut impoſterum hic adeo pernicioſus vitetur abuſus, efficiendo videlicet, ne Beneficiis, & Eccleſiaſticis redditibus exteri fruantur, niſi hoc ipſum indigenis cedat in commodum*. Ubi vides hoc tantum juberi, ut Beneficia, eorumque redditus ſequeſtro tradantur; atque a Carolo Rege non id præcipi, ſed duntaxat ipſi curæ eſſe, non quidem ut omnes extranei a Beneficiis repellantur, ſed illi tantummodo, qui utpote extra Regnum degentes, eiſdem Beneficiis & redditibus ita fruuntur, ut nihil utilitatis in indigenas effluat.

Jam vero in Literis die 26. Januarii anni 1710. Vico ſcriptis ad Cardinalem Grimanum Proregem, & eidem Voluminì pagina 233. inſertis, Carolus Rex mandat, *Ut ſi quæ Beneficia, & Eccleſiaſticæ Dignitates a Papa conferantur Regni Naturalibus, ſeu alias ſibi ſubjectis, rigidius præcedat examen; & ſi quidem Proviſi non ſuſpecti, ſibique devoti reperti fuerint, Regium Placitum concedatur; ſin minus, ſuſpendatur*. Poſt quæ ita ſubdit: *& quia major difficultas ſita eſt in diſcutiendis ingenio affectuque exterorum, qui a Sanctitate Sua Beneficia, atque Eccleſiaſticas Dignitates in Regno obtinent, propterea quod ad illud certo aſſequendum major temporis prolixitas, ac ſecretiores notitiæ neceſſario requiruntur, cumque ego nullatenus permittere debeam, ut hiſce adeo turbatis temporibus, quibus per multa media, eaque obliqua quietem, & Subditorum meorum fidem concutere ſtudent mei hoſtes, perſonæ minus tutæ ingrediantur ad poſſidendum in meis ditionibus Dignitates, & Eccleſiaſticos proventus, horumque auctoritatem, & uſum vertant in perniciem Populo-*

 rum,

rum, propter quorum ſolamen, & ſpirituale commodum adminiſtrantur; iſtiuſmodi plane juſtis obſervationibus permotus mando, ac jubeo, ut in dictis caſibus Regium ſuſpendatur Placitum, atque ad me Bullæ mittantur, ut ego ipſe videam, & cognoſcam, num ſuſpicioni locus eſſe poſſit in iis, quorum intereſt, de quibus, utpote mihi non ſubjectis, inquirenda eſt notitia exactior. Et admodum quidem caute in ejuſmodi eventibus me gerere ſatago, ne ſi cautio omittatur, oſtium pandatur incommodis, quæ inde oriri poſſent *.

Neque hic, ut patet, Carolus Rex a Regni Beneficiis excludit alienigenas, ſed de horum tantummodo ingenio, affectuque ſibi ipſi cognoſcendum eſſe decernit, idque ob temporum turbationem, & ſuorum hoſtium molitiones; quæ cauſæ (obiter obſerva) plane deerant, cum Illmo Præſuli de Auria collatus eſt Archiepiſcopatus Beneventanus.

Demum pagina 254. ejuſdem Voluminis habet octavum Articulum libelli ſupplicis ad eumdem Carolum Regem jam & Imperatorem, in quo Articulo Neapolitani petunt, ut Regia & Cæſarea Majeſtas executionem jubeat Literarum, quas die 2. Martii anni 1708. Barcinone expeditas ſupra memoravimus, *Ut videlicet*, inquiunt, *quæcumque Beneficia, & Eccleſiaſticæ Regni Dignitates ſolis indigenis conferantur, cum id Sacrorum Canonum ſit conforme Sanctionibus*. Ita quidem in libello ſupplici; ſed non ita in ipſis Regiis Literis, ut ſupra vidimus. Tandem ſub fine ejuſdem paginæ ad paginam 255. legitur *Regium Placitum* his verbis latine expreſſum: *Placet Suæ Cæſareæ & Catholicæ Majeſtati, quod illi Archiepiſcopatus Epiſcopatus, Præpoſituræ Perſonatus, cæteraque Eccleſiaſtica Beneficia, & Dignitates fideliſſimæ Civitatis, & Regni ad Regiam nominationem, & reſpective collationem ſpectantia Naturalibus tantummodo conferantur. Illi vero, ac illa, quæ non ſunt de nominatione, ſive collatione regia, ſua Cæſarea & Catholica Majeſtas conſtanti animo, atque omni conatu procurabit, ne aliis, quam Naturalibus eant collata, excluſis ſemper in omnibus tam alienigenis, quam*

* Hactenus exhibitas Regiarum Literarum particulas ex hiſpano in latinum ſermonem vertimus.

quam Regio dominio non ſubjectis; *firmis interim remanentibus ordinibus a Majeſtate ſua datis in hac materia ad favorem ipſorum Naturalium Regni*; *parique ſerietate*, *& vigilantia providebit*, *ut impoſterum evitentur exterorum fraudes*, *quæ contra has diſpoſitiones committuntur*. Ibidem pagina 256. legitur: *Datum Viennæ die*, non 6., ut ſcribit Anonymus, ſed 26. *Auguſti anni* 1713. Subſequuntur Regiæ Literæ die 19. Aprilis anni 1714., quibus prædicti Privilegii executio præcipitur, ſubjectis Thaunii Proregis, & Regentium Subſcriptionibus.

Vides hic Carolum Regem non eo tempore, quo Barcinone ſuam fixerat Sedem, ut ait Anonymus, ſed quo ad Imperiale Solium jam fuerat evectus, Viennæ tuliſſe Edictum, quo non quidem præcipit, ſicut idem Anonymus aſſerit, ut juxta Sacrorum præſcriptum Canonum (de his enim in Regio Placito nulla mentio) Regni Beneficia ſolis indigenis conferantur, ſed tantum hoc ipſum ſe curaturum promittit: *Procurabit*, *ne aliis*, *quam Naturalibus eant collata*, *excluſis ſemper in omnibus tam alienigenis*, *quam Regio Dominio non ſubjectis*. Addit ſane: *firmis interim remanentibus ordinibus a Majeſtate ſua datis in hac materia ad favorem ipſorum Naturalium Regni*. Sed & ejuſmodi ordines, ſeu juſſiones in præfatis Regiis Literis contentas jam obſervavimus longe differre ab Edicto, quod Anonymus effingit. Compendio dicam: Aliud eſt præcipere, ut redditus Beneficiorum, quæ ab extraneis poſſidentur, ſequeſtro tradantur; peculiari detineri cura, ne Beneficiis & Eccleſiaſticis redditibus exteri fruantur, niſi hoc ipſum indigenis cedat in commodum; jubere, ut ſuſpendatur Regius exequendi conceſſus, donec de Proviſorum fide certior notitia habeatur; ac demum procurare, ne Beneficia alienigenis diſtribuantur: aliud vero eſt, ferre Edictum, quo cuncta Regni Beneficia ſolis indigenis conferenda eſſe decernatur. Prima illa in ſuis Literis habet Carolus Rex & Imperator: hoc autem poſtremum ipſi ab Anonymo non ſine Cæſareæ Regiæque injuria Majeſtatis imponitur. Verum quia poſt eas Literas nemo extraneus ad Regni Beneficia admittitur, ac proinde praxis eam iiſdem Li-

Digitized by Google

Literis vim tribuit, quam ex ſe ipſæ non obtinent, idcirco ut & ejuſmodi abuſus clarius pateat, & adverſæ Scriptionis fundamentum convellatur, ſit.

ARTICULUS II.

Regium Edictum Alienigenas arcens a Regni Beneficiis, qualecumque ſit, nullius eſſe roboris oſtenditur.

NEgotium, de quo nunc ſermo, Eccleſiaſticum eſſe nemo inficias ierit; nam & Beneficia Eccleſiaſtica ſunt, & qui ad ea vocantur Eccleſiaſtico Ordini accenſeri debent. Cum vero de negotiis, rebuſque Eccleſiaſticis agitur, nullam in iis eſſe Principibus ſæcularibus facultatem, I. Sacra Scriptura indicat: Etenim Joſaphat Rex Juda divino ſpiritu ductus utriuſque poteſtatis limites præfigens, ita edixit: *Amarias Sacerdos, & Pontifex veſter in iis, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent* (1). At *Beneficia ad divinum cultum, atque Eccleſiaſtica munia obeunda ſunt conſtituta* (2), ut ait Concilium Tridentinum: In his ergo utpote ad Deum pertinentibus non Rex, ſed Pontifex præſidet, ideoque de iiſdem decernendi nulla Regi facultas, cum perſpicuum ſit nemini licere legem ſtatuere de illis rebus, in quibus non præſidet. II. Id ipſum Sacri Canones decernunt, dum hoc pacto loquuntur: *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſæculi poteſtates, quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas* (3): *Illicitum namque eſt eum, qui non ſit ex ordine Sanctiſſimorum Epiſcoporum Eccleſiaſticis intermiſceri tractatibus* (4). *Præſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam Poteſtativorum, vel cæterorum Laicorum habere conveniat* (5). III. Sancti Patres docent, inter quos Hoſius Cordubenſis ita ad Conſtantium Imperatorem: *Tibi Deus Imperium commiſit, Nobis, quæ ſunt Eccleſiæ con-*

(1) 2.*Paralip.*19.11. (2) *Seſſ.*21.*de Refor.cap.*2. (3) *Can. Si Imperator* 11.*diſt.*96. (4) *Can. Satis evidenter* 7. *ead. Diſt.* (5) *Can. Nullus Laicorum* 1.*Diſt.* 63.

concredidit; & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens magno crimini obnoxius ſis. Date, inquit, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo (1). Theodorus Studita Leonem Armenum ſic allocutus eſt: *Nec tentes nunc, o Imperator, Eccleſiaſticum ſtatum diſſolvere; ait enim Apoſtolus: quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Paſtores, & Doctores ad perfectionem Sanctorum; non dixit Reges. Tibi quidem, o Imperator, civilis ſtatus & exercitus commiſſus eſt. Hæc igitur cura; Eccleſiam autem Paſtoribus, & Doctoribus (ut ait Apoſtolus) derelinque* (2). S. Ambroſius ad Theodoſium: *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere; ſed ſi vis divinitus imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt*: Quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. (3). III. Concilia definiunt, inter quæ Synodus IV., ſeu, ut aliis placet III. dicta Palmaris CXVI. Epiſcoporum ſub Symmacho. Ea in Syodo lex Odeacris proſcripta eſt, qua res Eccleſiæ non alienandas laicus Princeps ſtatuerat. Lege namque in Synodo recitata, Laurentius Mediolanenſis ita excepit: *Iſta Scriptura nullum Romanæ Civitatis potuit obligare Pontificem, quia non licuit laico ſtatuendi in Eccleſia, præter Papam Romanum, habere aliquam poteſtatem, cui obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi*. Tum Eulalius Syracuſanus Epiſcopus: *Scriptura, quæ in Sacerdotali Concilio recitata eſt, evidentiſſimis documentis conſtat invalida. Primum, quod contra Patrum Regulas a laicis quamvis Religioſis, quibus nulla de Eccleſiaſticis facultatibus aliquid ſtatuendi legitur unquam attributa facultas, facta videtur*. Deinde cuncta Synodus dixit ... *Hanc ipſam Scripturam nullius eſſe momenti, quam, etſi aliqua poſſet ſubſiſtere ratione, modis omnibus in Synodali Conventu provida Beatitudinis veſtræ ſententia enervari conveniebat, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præſu-*

(1) *Apud S. Athanaſium in epiſt. ad ſolit. vitam agentes*.
(2) *Theoſterictus in vita S. Nicetæ apud Surium ad diem 3. Aprilis*.
(3) *Epiſt.* 11. *alias* 33.

Digitized by Google

ſumendi quibuſcumque laicis quamvis Religioſis, vel potentibus in quacumque Civitate, quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis Sacerdotibus diſponendi indiſcuſſe a Deo cura commiſſa docetur. Denique Symmachus quæ ex re futura viſa ſunt, legitima contra bonorum Eccleſiaſticorum alienationem auctoritate ſancivit (1). Hæc omnia referre placuit, quia ad rem noſtram apprime faciunt. Si enim ea Odeacris Lex tamquam irrita, nulliuſque momenti Synodali ſententia proſcripta eſt hoc uno titulo, quod a laico Principe lata fuerit, *Etſi aliqua poſſet ratione ſubſiſtere*, quia nimirum Eccleſiaſticis ſtatutis de non alienandis Eccleſiarum bonis favebat; quanto magis irritum, nulliuſque roboris judicandum eſt Regium Edictum bona Eccleſiaſtica ſequeſtro, & Beneficia ſolis indigenis addicens, quod non ſolum a laico Principe conditum eſt, ſed Eccleſiæ, ſummique Pontificis juribus quammaxime adverſatur? Huc etiam ſpectat Canon quadrageſimus primus Concilii IV. Lateranenſis, quo ſtatuitur, *Ut jura Clericorum non uſurpent laici, ut quæ ſunt Cæſaris, reddantur Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo recta diſtributione reddantur*. V. Hoc idem Reges, & Imperatores non ſemel faſſi ſunt. Theodoricus Italiæ Rex licet Arianus reſcripſit ad Patres præfatæ Synodi Romanæ ſub Symmacho, *Non aliquid ad ſe, præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere* (2). Baſilius Imperator in Allocutione ad Patres Octavæ Synodi, *Laico cuiquam*, inquit, *nulla ratione de Eccleſiaſticis cauſis diſputandi fas eſſe dico*; *opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum eſt* (3). Juſtinianus item Imperator, *Maxima quidem*, ait, *in hominibus ſunt dona Dei, a ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: illud quidem divinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens, ac diligentiam exhibens* (4). Quid, quod Galliæ Hiſpaniæque Reges, aliique Catholici Principes non quidem conditis a ſe Edictis ſtatuerint, ſed conceſſis a Sede Apoſtolica privilegiis id obtinere ſtuduerint, ut ſuarum ditionum Beneficia ſolis indigenis diſtri-

(1) *Tom. 5. Concil. Labbæi noviſſimæ edit. Venetæ*.
(2) *Tom. 5. Concil. Labbæi noviſſimæ edit. Venetæ*.
(3) *Action. 10.* (4) *Novel. 6. in proœm.*

diſtribuerentur? Ad quæ obtinenda privilegia non adeo profecto deſudaſſent,ſi ſenſiſſent ſibimet ipſis legitimam ineſſe poteſtatem ferendi leges, quibus ab iiſdem Beneficiis alienigenæ arcerentur.

Liquet igitur ex Sacra Scriptura, Eccleſiæ Canonibus, Patribus, Conciliis, Principum oraculis, ac ſenſibus nullam eſſe Regibus, & Imperatoribus decernendi de Eccleſiaſticis rebus facultatem, ac proinde omni prorſus robore deſtitui Regium Edictum, qualecumque illud ſit, quo bona Eccleſiaſtica ſequeſtro, & Beneficia indigenis aſſignantur; cum eidem deſit legitima auctoritas, & facultas condendis legibus omnino neceſſaria, utpote quæ ipſis Legibus & Edictis omnem vim tribuit, & efficaciam. Liquet etiam utriuſque Poteſtatis, Eccleſiaſticæ, & Politicæ conſtitutos eſſe limites, ne Sacerdos videlicet in ea, quæ ſunt Imperii, & Imperator, aut Rex in ea, quæ Sacerdotii ſunt, irrumpat. Quid ergo aliud ſit Beneficia, & bona Eccleſiaſtica politicis ſubdere Edictis, quam terminos a Patribus præfixos movere pro libito, limites confundere, fines exarare, ſylvam non ſuam cædere, in alienam meſſem falcem immittere, & Eccleſiæ jura violare?

Finge hic animo a Romano Pontifice latam eſſe Legem, qua ſtatuatur, ut Reipublicæ, Imperii, ſeu Regni alicujus civiles Præfecturæ, aliæque Dignitates indigenis duntaxat conferantur, & ſi ſecus fiat, earum proventus eccleſiaſtico ſequeſtro dentur. Nonne illico iſtiuſmodi lex nulla, irrita, invalida, injuſta, politicæ auctoritati injurioſa, temeraria, & ſcandaloſa conclamaretur? Regium fertur Edictum, quo Regni Archiepiſcopatus Epiſcopatus, & reliqua Beneficia ſolis indigenis conferenda eſſe decernitur: ſin minus, eorum redditus ſequeſtro addicuntur. Eccur igitur nos Divinæ Scripturæ monitis, Sacrorum Canonum Sanctionibus, Sanctorum Patrum ſententiis, Conciliorum definitionibus, & ipſorum ſæcularium Principum oraculis eruditi hoc ipſum Edictum Eccleſiaſticæ auctoritati injurioſum non conclamemus, cæteriſque modo recenſitis notis potiori jure non inuramus? Condant ſæculi Principes, quotquot volunt, de rebus Eccleſiaſticis leges, & privilegia concedant: (quis enim eos prohibere

poteſt, ſi Eccleſiæ prohibenti non parent?) nullus tamen erit umquam iis legibus, & privilegiis valor, nullæ vires, nulli effectus, niſi quos a vi, injuria, & potentia mutuabuntur. Quod quidem Valentinianus, & Marcianus Imperatores animadvertentes, in ejuſmodi leges ita edixerunt: *Omnes ſane pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interventu gratiæ, & ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo, & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus* (1).

ARTICULUS III.

Ut Regio Edicto arcenti alienigenas a Regni Beneficiis juſtitia concilietur, perperam Sacrorum Cononum obſervantia prætexitur.

LAtere non potuit Anonymum in confeſſo eſſe apud omnes Catholicos, quod nulla polleant ſpirituali auctoritate laici Principes, ut ipſemet Marca fatetur (2). Quare ut Regio Edicto repellenti extraneos ab Eccleſiaſticis Beneficiis vim, & auctoritatem conciliaret, Sacrorum Canonum obſervantiam prætexuit; aſſerit enim illud juxta eorumdem Canonum præſcriptum fuiſſe conditum (3), atque ejuſdem Conditori nullam aliam fuiſſe mentem, quam ut in Regno Neapolitano Sacri Canones valerent (4).

Videtur hic Anonymus italus cæteroquin Auctor in eorum eſſe ſententia, qui docent ſupremam Romani Pontificis poteſtatem moderandam eſſe per Canones. Qua in re patiatur mitti ſe ad eos Theologos, qui tertiam inter propoſitiones Gallicanas pari robore, & eruditione impugnarunt, inter quos Eminentiſſimi Aguirre (5), & Sfrondatus (6). Hoc unum nos obiter dicimus, Romanum Pontificem ſolvere poſſe, & diſpenſare valide, & licite in Canonibus Conciliorum etiam generalium, dummodo hæc diſpenſatio non tendat ad labefactandum Eccleſiæ ſtatum, ut ſcribit Petrus de Marca(7), qui

(1) *L. Privilegia* 22. *C. de Sacroſanct. Eccleſ.* (2) *Lib.* 2. *Concord. cap.* 4. *num.* 2. (3) *Anonym. pag.* 3. (4) *Idem pag.* 25. (5) *Defenſ. Cath. S. Petri diſp.* 37. (5) *Reg. Sacerd. lib.*4. (7) *Lib.*3. *Concord.cap.*14. & 15.

qui & iſta habet: „ Non agimus cum Sede Apoſtolica quaſi „ cum poteſtate quadam certis regulis ita devincta, ut eas „ nullo caſu egredi poſſit, cum ſciamus Canonum diſpenſa„ tionem, cujus eſt in Politia Eccleſiaſtica frequentiſſimus „ uſus, Summo Pontifici præcipue concreditam (1) „. Quinimmo a Romanis Pontificibus reipſa fuiſſe abrogatos veteres Canones, novoſque conditos, cum id Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas poſtulavit, plura venerandæ antiquitatis exempla teſtantur. Sic S. Leo I. Canonem vigeſimumoctavum Concilii Oecumenici, nempe Calcedonenſis abrogavit, ut ſuam cuique Patriarchæ, & Exarcho juriſdictionem conſervaret (2). Sic Clericos Sacerdotio non initiatos, atque Monachos a prædicatione Evangelii prohibuit idem S. Leo (3); quos tamen poſtea ad prædicationem admiſit S. Gregorius Magnus, miſſis in Angliam S. Auguſtino, aliiſque Monachis. Sic tandem, ut quid dicam de mutatione diſciplinæ circa Beneficia, ſacris electionibus ſuppreſſis, quæ juxta priſcos Canones a Clero Populoque peragebantur, eo tamen modo, qui inferius explicatur (4), nominationes ſubrogarunt Romani Pontifices.

Hinc adverſus Anonymi aſſertionem conficere poſſumus argumentum; nam ſi valet Regium Edictum ſolis indigenis Regni Beneficia addicens, eo quia id Sacri Canones præſcribant, (quod tamen falſo ſupponitur, ut in Articulo ſequenti videbimus) tanto magis valeret Regium Edictum, quo abolitorum jamdudum Canonum obſervantia reduceretur, eorum præſertim, qui ſacras electiones Clero & Populo tribuebant (5). Hoc ſecundum, puto, Anonymus non concedet; tanto minus ergo ab ipſo primum eſt concedendum. Neque enim, uti reor, hic opponet, *Semel recte ante factum nullatenus eſſe mutandum. Mutata quippe temporis cauſa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat, ut cum dicatur recte non fieri, ſi mutetur; contra veritas clamet, recte non fieri, niſi mutetur: quia utrumque tunc erit rectum, ſi erit pro temporum varietate diverſum* (6).

 In-

(1) *Idem ibid. cap. 7.* (2) *Ep. 54. apud Charlas tom. 2. de Libert. Eccl. Gallic. lib. 12. c. 4.* (3) *Epiſt. 62. & 63.* (4) *Art. x.* (5) *Vide ibid.* (6) *S. Aug. in epiſt. ad Marcellin.*

Interim tamen non diffiteor, immo ultro aſſentior Cæſarei, Regiique muneris eſſe Sacrorum Canonum tuitionem, non quidem contra Apoſtolicam Sedem, quam a Chriſto tuendam ſuſceperunt Catholici Principes, ſed contra eos, qui Sacroſancta jura ejuſdem Sedis peſſumdare moliuntur; idque a Canonibus ipſis addiſcimus & Patribus. Etenim *Principes ſæculi nonnumquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem. Sæpe per Regnum terrenum Cæleſte Regnum proficit; ut qui intra Eccleſiam poſiti contra Fidem & Diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum conterantur; ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem poteſtatis impertiat. Cognoſcant Principes ſæculi Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur; Ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit* (1). Et S. Leo Magnus ad Leonem Auguſtum: *Debes incunctanter advertere, Regiam poteſtatem Tibi non ſolum ad Mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam; ut auſus nefarios comprimendo, & quæ ſunt bene ſtatuta defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas* (2). Paucis dicam: ea incumbit ſæculi Principibus Sacrorum Canonum cura, quæ Eccleſiæ patrocinium, & præſidium ſit, non regimen, non imperium, non eorumdem Canonum pernicies. Si enim Reges, (ut Sfrondati Cardinalis verbis utar) aliique Principes ſæculares Canonum Cuſtodes ſunt, oportet ut Canones non deſtruant, ſed tueantur conſerventque (3); neque enim Cuſtodem vinearum appellaveris, qui harum cuſtodiam obtendens, ipſas a legitimis Colonis ſeu Adminiſtris cum omnibus fructibus avulſas certo perſonarum generi addixe-

(1) *Can. Principes 23. quæſt. 5.* (2) *Epiſt. 125.* (3) *Gall. Vind. diſp. 3. §. 3. n. 6.*

Digitized by Google

dixerit. Ita Canonum Cuſtos eſt non qui horum obſervantiam prætexens legitimam Beneficiorum diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ, eorumque redditus legitimis poſſeſſoribus adimit, hoſque, ac illa ſolis indigenis aſſignat, ſed qui ubi opus fuerit, & ejuſdem Sedis in diſpenſandis Beneficiis Libertatem Regiæ poteſtatis præſidio communit, & Beneficiorum poſſeſſoribus ipſorum reddituum percipiendorum liberam facit facultatem. Cæterum cum Sacri Canones nihil magis, ac ſæpius inculcent, quam ne ſæculares Principes rebus Eccleſiaſticis ſe immiſceant, & ne Eccleſiaſticæ cauſæ profanis tribunalibus ſiſtantur, qui iſtos Canones violant tam ſæpe, tam enixe ab Eccleſia commendatos, & non atramento tantum, ſed etiam ſanguine & vulneribus ſcriptos, eos Canonum Cuſtodes, an hoſtes dixeris?

ARTICULUS IV.

Nullos Eccleſia condidit Canones, quibus Alienigenæ a Beneficiis repellantur.

Quandoquidem Anonymus, ut ſpecie Eccleſiaſticæ Diſciplinæ reparandæ imperitis illudat, Regio Edicto Sacrorum Canonum obſervantiam attexit, proferat, quæſo, Canones illos, qui Beneficia quæcumque ſolis indigenis conferenda eſſe decernunt, *excluſis ſemper in omnibus tam alienigenis, quam Regio Dominio non ſubjectis*. Hujuſmodi profecto leges nunquam condidit Eccleſia, ſed eas ſæpe definivit juri communi, & Eccleſiaſticis moribus eſſe contrarias. Siquidem Innocentius III. damnavit Thomæ Mauroceni Patriarchæ Conſtantinopolitani Placitum, quo is poſt expugnatam a Latinis Conſtantinopolim caverat ſe nonniſi Venetis popularibus ſuis Beneficia S. Sophiæ collaturum, eique præcepit, ut viros literatos & alias idoneos, undequaque originem ducerent, in illa Eccleſia inſtitueret (1). Celebrem Caroli VII. pragmaticam Sanctionem, qua Galliæ Bene-

(1) *Innocentius III. lib. 9. Epiſt. 130. apud Raynal. ad an. 1206. num. 2. & in Geſtis ejuſd. Pontif. num. 92.*

neficia ſolis Gallis addicebantur, tamquam *perturbativam Eccleſiæ, ejuſque libertatem, ac unitatem perimentem, omne jus, omnemque legem diſſolventem* improbarunt, & execrati ſunt Romani Pontifices, Eugenius IV. (1) Pius II. (2) Innocentius VIII. (3), & Julius II. (4). Clemens VI. Alphonſum Caſtellæ Regem, qui ægre tulerat exterum Caurienſis Eccleſiæ ordinatum Epiſcopum, graviter repreſſit (5). Demum Martinus V. Uladislao Poloniæ Regi jubenti, ne quis extraneus Eccleſiæ Gneznenſis Canonicus eligeretur, fortiter obſtitit, illiuſque juſſionem *iniquam, & exorbitantem concluſionem* appellavit (6).

Veteres autem Canones de eligendis ex ipſius Eccleſiæ ſinu Paſtoribus, non cives, non indigenas, non cujuslibet Principis Dominio ſubjectos, ſed proprios Eccleſiæ Clericos undequaque oriundos accerſebant; quos idcirco *proprios* non nativitas, non origo, non ſæcularis ſubjectio, ſed ordinatio, domicilium, & Eccleſiaſtica ſervitus efficiebant. Unde Epigonus repetit (7) Julianum Clericum tribus titulis *ſuum, & proprium: ut qui*, inquit, *a tenera ætate a me baptizatus eſt, & qui multis annis a me nutritus, & in Mapalitanorum Parochia Lector factus eſt*. Ubi ita obſervat Franciſcus Hallierius: „ Quibus verbis triplici titulo ſibi ereptum reſtitui petit Clericum, primo titulo Baptiſmi, quod ab ipſo baptizatus eſſet, ſecundo domicilii, quod multo tempore cum ipſo habitaſſet, & ab ipſo nutritus fuiſſet, tertio Ordinis, atque Officii, quod ab eodem ordinatus eſſet Lector (8). Et hi quidem ejuſmodi titulis proprii Eccleſiarum Clerici non anteponebantur univerſim extraneis; niſi ut magis idonei propter linguæ peritiam, & propter notos ipſorum mores Clero & populo, ad quos juxta illorum temporum diſciplinam electio modo, de quo infra, ſpectabat. *Sacerdos*, inquit S. Cyprianus, *plebe præſente ſub omnium oculis eligatur, ... ut vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur*

(1) *Raynal. an.* 1439. *num.* 37. & *an.* 1440. *num.* 5. (2) *Gaguin. lib.* 10. *Bail tom.* 2. *in Concil. Bituricen.* (3) *Raynal. ann.* 1516. *num.* 22. (4) *In Concil. Lateran.* v. *ſeſſ.* 4. (5) *Raynal. an.* 1346. *num.* 39. (6) *Raynal. an.* 1429. *n.* 13. (7) *In Concil. Carthag. III. Can.* 54. *Cod. African.* (8) *De Sac. elect. part.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 3. *art.* 1. §. 3. *num.* 16.

tur (1). Nec alia de cauſa Concilium Illiberitanum conſtituit (2), ne quorum incognita vita eſſet, ii ad Clerum unquam promoverentur; ut nimirum publico teſtimonio comperta eſſe poſſent vita, moreſque eligendorum.

Hinc illi ipſi Scriptores, qui impenſius de excludendis alienigenis diſputarunt, omnem tandem diſputationis vim non in Sacris Canonibus, ſed in Sedis Apoſtolicæ privilegiis poſuerunt. Duos proferre ſufficiat in Romanas rationes non bene animatos, Salgadum, & Cenedum; quorum primus fatetur „ Indultis Apoſtolicis prohibitum eſſe extraneis in Hi-„ ſpaniarum Regnis obtinere Beneficium (3); alter vero cum late ſcripſiſſet contra Alienigenas, hæc addit: „ quamvis „ autem hæc ita ſe habeant; ſciendum eſt, ſi hujuſmodi ſta-„ tuta, & leges non fuerunt approbatæ per Sedem Apoſtoli-„ cam, Judices Sæculares eas obſervantes, & adeptionem „ poſſeſſionis Beneficii alienigenis prohibentes, & eos in illa „ turbantes peccare; quoniam contra libertatem Eccleſiaſticam agunt (4). „ Recte proinde deciſum refert Garzia, quod de jure quilibet poteſt eligi, & inſtitui, dummodo ſit idoneus, Cap. ad decorem de Inſtitut., & Statuta excludentia a Beneficiis certum genus Perſonarum dicuntur contra Jus (5).

Præterea Anonymus cum Sacris Canonibus Regium committit Edictum in eo ipſo, quod iſtud illorum præſcripto conforme eſſe contendit. Nam juxta Canones ille cenſetur extraneus, qui non eſt *de ipſa Civitate* (6), vel *de eodem loco* (7), vel *de propria diœceſi* (8), vel *de eadem Eccleſia* (9), ex quorum gremio quis ad Beneficia eligendus eſt. At juxta Regium Edictum ille ſolum reputatur extraneus, qui aliunde, quam a Regno ſuam ducit originem, Regioque Dominio non eſt ſubjectus. Quare ſi Canones ſpectes, is ſolum eligi debet, qui ſit ejuſdem Civitatis, aut Loci, aut Diœceſis, aut Eccleſiæ Clericus, in quibus Beneficium vacare contigerit.

Si

(1) *Epiſt.35. ad Clerum, & Plebem* (2) *Can.24.* (3) *De ſupplic. ad Sanctiſſ. part.1. cap.10. num.69.* (4) *Pract. Quæſt. Canon.18. num.7. & 8.* (5) *Part.7. cap.9. num.4.* (6) *Cap. nullus 13. diſt.61.* (7) *Cap. ſi in Plebibus 20. diſt.63. Concil. Remenſ. an. 630. cap. ult.* (8) *Cap. Sacrorum 34. diſt. 63.* (9) *Concil. Conſtantinopolitanum IV. cap.13. Cap. Metropolitano 19. diſt.63.*

Si autem Regium ſpectes Edictum, quicumque Clericus modo in Regno natus, cuilibet ex Regni Eccleſiis præfici poteſt. Tantum itaque abeſt, quod idem Edictum latum ſit juxta Sacrorum Canonum præſcriptum, ut potius cum illis committatur, atque confligat. Cum enim Canones in Clericis eligendis non nativitatem, non originem, non civilem ſubjectionem, ſed ordinationem, officium, ac ſubjectionem Eccleſiaſticam reſpiciant, contra vero a Regio Edicto non hæc, ſed illa reſpiciantur, inde fit, ut Canones reſpuant, quos Edictum admittit, admittant, quos Edictum reſpuit; & viceverſa Edictum repellat, quos Canones vocant, vocet, quos a Beneficiis Canones repellunt. Quamobrem illud Gelaſii I. hic uſurpare poſſumus: *Nobis opponunt Canones, dum neſciunt, quid loquantur. Contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quod primæ Sedi ſana, rectaque ſuadenti parere diffugiunt* (1).

Quorſum denique Anonymus, ut Regium Edictum ſuffulciat, veterum Canonum obſervantiam obtrudat, quos poſt ſubſtitutas ſacris Electionibus Pontificias reſervationes, & Regias nominationes jamdudum conſtat eſſe abolitos? *Eo ſtatu*, inquit Marca, *res Eccleſiæ nunc poſitæ ſunt, ut ſi quis de abſoluta, & integra reſtitutione juris antiqui, & novi abolitione contendat, perinde agat, ac ſi Imperiorum inveteratorum adminiſtrationem ad eam formam revocare velit, quæ in ipſis Regnorum initiis obtinebat. Nos veteres laudamus, noſtris tamen annis vivendum eſſe cenſemus* (2).

Collige ex hucuſque diſputatis nulla ſui parte ſubſiſtere Anonymi aſſertionem, qua dicit,,Edicto Regio de repellendis ,, Alienigenis nihil aliud effici, niſi ut vigeant in Regno non ,, minus civiles leges, quam Canones, & ipſorum Paparum ,, Conſtitutiones, nec non ut illud conformetur praxi, & generali Conſuetudini omnium Europæ Provinciarum (3). Porro ad Canones quod attinet, abunde jam diximus. Leges civiles extraneos a Beneficiis abigentes a Romanis Pontificibus proſcriptas vidimus, eaſque omnes eſſe ipſo jure irritas illa argumenta probant, quibus Regium Edictum nullius eſſe

(1) *Epiſt.* 4. (2) *Lib.* 3. *Concord. cap.* 6. (3) *Anonym. pag.* 25.

Digitized by Google

eſſe roboris oſtendimus. Addere poſſumus ex Marca *Duo veteris diſciplinæ certiſſima Axiomata. Primum eſt, Conſtitutiones Principum Canonibus, & Decretis receptis contrarias nullas eſſe ipſo jure*. Tales ſunt leges civiles alienigenas a Beneficiis arcentes, tale eſt Regium Edictum, ut ex dictis patet, & ex dicendis clarius patebit. *Alterum, quod ex primo ſequitur, executioni non eſſe mandandas* (1). A Romanis vero Pontificibus nullas unquam fuiſſe editas Conſtitutiones abigentes extraneos a Beneficiis adeo verum eſt, ut mirum ſit eas nobis opponi ab Anonymo, niſi forte harum nomine intelligat illa Apoſtolica privilegia, quibus quorumdam Regnorum Beneficia ſolis indigenis addicuntur. Ejuſmodi autem privilegia in Regnum Neapolitanum a Regio Edicto trahi, ac inibi valere non poſſe, niſi a Sede Apoſtolica concedantur, nemo ſanæ mentis in dubium revocarit. Hinc etiam liquet non Regiis Edictis, ſed Apoſtolicis privilegiis inductam eſſe in pleraſque Europæ Provincias praxim, & conſuetudinem conferendi Beneficia ſolis indigenis. Quare ut huic praxi, & conſuetudini Neapolis Regnum conformetur, Regio Edicto effici nequit; ſed opus eſt Apoſtolico privilegio, quo legitime id concedatur, quod per vim, & injuriam uſurpatur.

Diſcutienda jam ſunt argumenta, quibus Anonymus Regio Edicto Archiepiſcopatum Beneventanum ſubjicere conatur.

ARTICULUS V.

Exploditur primum argumentum deſumptum ex eo, quod Beneventana Archidiœceſis pene tota in ditione Regia poſita ſit.

UT difficultates omnes, quæ in præſenti controverſia occurrere poſſunt, diſſolvantur, proindeque in clariori ſuo lumine veritas collocetur, primum omnium ſupplex petit Anonymus, ne quis in ejus examine confundat, ſed ut ſeparet

(1) *Lib. 2. Concord. cap. 8. 11., & in Præf. edita an. 1541.*

Archiepiſcopatum Beneventanum a temporali dominio Beneventanæ Civitatis. Quo uno ſibi conceſſo, rem omnem pro confecta habet (1). Etenim poſt deſcriptos fuſiori calamo amplos ejuſdem Archiepiſcopatus fines ad quinque Regni Provincias pertingentes (2), inde argumentatur illum verum eſſe & indubium Regni Archiepiſcopatum, eoquod ipſa Beneventana Diœceſis pene tota, aliæque Diœceſes omnes numero ſeptemdecim, ex quibus idem Archiepiſcopatus ita componitur, ut ſi hæ aliis Metropolitis attribuantur, ille prorſus evaneſceret, in ditione Regia collocentur. „ Quis „ igitur, inquit, vel ſomniaverit, quod Regium Edictum „ perſpicuis verbis *Omnes Regni Archiepiſcopatus* indigenis „ conferendos eſſe decernens, *Excluſis ſemper in omnibus* „ *tam alienigenis, quam Regio Dominio non ſubjectis*, non „ complectatur Archiepiſcopatum Beneventanum longe, lateque Regni viſceribus inſidentem, & omnium ampliſſimum? „ Vere ergo nobis illud licebit objicere Archiepiſcopis Be„ neventanis, quod Archiepiſcopo Senonenſi de alia re diſ„ ferens Epiſt. 42. Sanctus Bernardus: *Quis vos excepit ab* „ *univerſitate? Certe qui tentat excipere, tentat decipe*„ *re* (3).

Ita Anonymus, cui ut reſpondeamus, ab hoc ultimo incipimus. Porro nos Beneventanos Archipræſules ab univerſitate nequaquam excipimus, qui non hos duntaxat, ſed univerſos Regni Antiſtites a ſervitute Regii Edicti ſupra exemimus, ubi iſtud nullius eſſe roboris oſtendimus. Siquidem *Qui de univerſis loquitur*, ut ait Cicero, *nihil excipit*: & idem S. Bernardus: *Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil* (4). Nec tota & omnis Beneventani Archiepiſcopatus in Regia ditione amplitudo efficere poteſt, ut Edictum undequaque inefficax, & infirmum aliquando convaleſcat. At ſi fingere velimus, quod idem Edictum quoad omnes Regni Archiepiſcopatus vim ſuam obtineat, neque in hoc caſu ſi Beneventanos Archiepiſcopos ab univerſitate excipiamus, hos decipere tentamus, cum nobis eoſdem excipiendi adhuc eæ rationes

(1) *Anonym. pag.* 8. (2) *Idem a pag.* 9. *ad* 11. (3) *Anonym. pag.* 12. (4) *De Conſid. lib.* 2. *cap.* 8.

nes ſuppetant, quæ nullum relinquant deceptioni locum.

Libenter itaque Anonymo damus, quod poſtulat. Archiepiſcopatum Beneventanum nequaquam confundimus, ſed illum a temporali Beneventanæ Civitatis dominio ea ratione ſecernimus, qua ſpiritualia a temporalibus, ſacra a profanis, Eccleſiaſtica a politicis ſecernenda ſunt. Ab Anonymo autem viciſſim petimus, ne confundat ipſe, ſed diſtinguat Archiepiſcopatus naturam, & *ſubjectum* ab ejus exercitio, & *objecto*. Quo uno nobis conceſſo, (neque enim negari poteſt) ſtatim apparebit, quam futilis ſit ab amplitudine Beneventani Archiepiſcopatus intra Regni viſcera conſiſtentis petita ratiocinatio. Etenim ſi nomime Archiepiſcopatus ejuſdem naturam accipiamus, hæc in jure Metropolitico conſiſtit, quod totum quantum eſt ſolis Metropolitanis Sedibus, eaſque legitime occupantibus ineſſe tamquam *ſubjecto*, ſatis ſuperque declarat ipſa Archiepiſcopatuum inſtitutio pervetuſta, quippe quæ vel eſt Apoſtolica, vel ſaltem proxima Apoſtolorum temporibus (1). Quilibet itaque Archiepiſcopatus, ſi ejus natura ſpectetur, illius ditionis cenſendus eſt, in qua eſt Metropolitica Sedes. Atqui Metropolitica Beneventi Sedes non in Regia, ſed in Pontificia ditione poſita eſt; non igitur Regiæ, ſed Pontificiæ ditionis cenſendus eſt Beneventanus Archiepiſcopatus.

Exercitium autem Archiepiſcopatus, ſeu juris Metropolitici reſpicit ſane tamquam *objectum*, circa quod verſatur, Diœceſes omnes Archiepiſcopatui ſubditas, quæ tamen ſive in eadem, ſive in diverſa ditione collocentur, perinde eſt, cum nemo ſanæ mentis in dubium revocare queat idem exercitium ipſi Metropolitico juri, cui annectitur, & a quo divelli nequit, eſſe tribuendum.

Verum quia Anonymo *Archiepiſcopatus* Loci nomen eſt, ut vulgo ſolet, non juris, aut Poteſtatis; intelligit enim eo nomine Diœceſes Archiepiſcopatui ſubjectas, ex quibus hunc conflari aſſerit; etſi has Diœceſes fateamur eſſe in ditione Regni ſitas, adhuc tamen negamus Archiepiſcopatum Beneventanum inde dicendum eſſe indubium Regni Archiepiſco-

(1) *Vide Juvenin. diſſert. 9. de Ordin. in ſpecie art. 3.*

Digitized by Google

patum. Etenim omnes eæ Diœceſes numero ſeptemdecim in Regno ſitæ ex hoc Archiepiſcopatus Beneventanus dicuntur, quod a Sede Metropolitana, quæ Beneventi erecta conſpicitur, & quidem tamquam membra a ſuo capite, pars ignobilior a nobiliori, materia a ſua forma eam appellationem derivant. Idcirco eaſdem Diœceſes confundere cum Archiepiſcopatu, quem conſtituere dicuntur, hominis eſt minus attente conſiderantis ea, de quibus differit: quod enim Diœceſes ſint, ſingulæ habent ex Sedibus Epiſcopalibus, quibus ſubduntur, quæ omnes cum in ditione Regia poſitæ ſint, ideo Epiſcopatus Regni reputantur. Quod autem eædem ſeptemdecim Diœceſes unum Archiepiſcopatum Beneventanum componant, non a ſe ipſæ habent, ſed tantum veluti ab una forma neceſſario requiſita ad unum aliquod conſtituendum ex multis, idipſum habent ab una Sede Archiepiſcopali Beneventana, cui ſubſunt, quæ cum extra Regni ditionem procul dubio collocetur, ideo illæ ipſæ Diœceſes qua ratione Archiepiſcopatus Beneventanus eſſe dicuntur, eadem extra Regni ditionem eſſe cenſendæ ſunt: tanto magis quod non ubi membra, ibi caput, ſed ubi caput, ibi membra eſſe exiſtimantur. Nec vero huic noſtræ rationi firmandæ deſunt Sacri Canones decernentes, ne uniuſcujuſque Provinciæ Eccleſiæ *Aliqua diverſitate ſe patiantur a Metropolitana Sede disjungi* (1). Item quod *A capite non debeant membra aliena reputari*, in quadam ſua decretali Epiſtola ſcripſit Innocentius III. (2).

Alia quoque ratio ſuppetit, quæ luculentius & forte etiam efficacius evertit Anonymi argumentum. Enimvero cum unaquæque lex vim ſuam obtineat in iis duntaxat urbibus, & locis, in quibus jura Imperii habet Legislator, certum eſt Edicto Regio non adſtringi Beneventanam Civitatem, quæ unius Romani Pontificis paret Imperio. Poteſt ergo Romanus Pontifex nullatenus obſiſtente Regio Edicto ad Metropolitanam Sedem, quæ Beneventi conſiſtit, ſive indigenam ſive alienigenam pro libito evehere Antiſtitem.

Petimus hic ab Anonymo, num quiſquis ille ſit a Summo Pontifice Beneventi Archiepiſcopus conſtitutus, ſpectata

vi

(1) *Can. de iis 13. diſt. 12.* (2) *Apud Thomaſſ. Diſcipl. part. 2. lib. 1. cap. 103. n. 5.*

vi Regii Edicti exercere valeat paſtoralis officii, & ſpiritualis juriſdictionis actûs cum in propria ſpeciali Diœceſi, tum in aliis Diœceſibus Archiepiſcopatum componentibus, quæ omnes in ditione Regni poſitæ ſunt? Si annuat, jam damus manus: nec enim dicendus eſt Regio Edicto comprehendi Archiepiſcopus, qui tum in ſui inſtitutione, tum in ſuæ exercitio juriſdictionis ab ejuſdem Edicti jugo eſt prorſus immunis. Si vero abnuat, ecce Diœceſes contributas per Regium Edictum amotas a præſtanda quam debent Archiepiſcopo ſuo obedientia, ideoque ſchiſma inductum: ecce calcatos Canones, qui & Gregum curam Paſtoribus, & Paſtorum obſequium præcipiunt Gregibus: ecce everſas Patrum regulas, quæ Diœceſum, & Archidiœceſum unitatem, atque integritatem adverſus mundanas viciſſitudines tuentur in eum certe finem, ut in iiſdem Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum auctoritas libera, intacta, illæſaque permaneat. Porro *Mundana quidem dividi, cæterum Eccleſiaſtica ſuo loco manere*, Anthimo Tyanorum Metropolitæ diviſiones in Præfectura Eccleſiaſtica molienti reſpondit S. Baſilius *Veteri conſuetudini, atque diviſioni* inhærens (1). Hoc ipſum ad Alexandrum Antiochenum S.Innocentius I. (2), & ad Epiſcopos apud Convicinium congregatos Nicolaus I. (3) reſcripſerunt; quibus adſtipulatur Juſtinianus Imperator. *Quæ*, inquit, *ad Sacerdotia ſpectant, volumus in priſtina manere forma negotio ipſo neque circa jus Metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem vel novationem ſuſcipiente* (4). Jam vero ante promulgatum Regium Edictum, Beneventanæ Sedis poſſeſſione legitime adepta, Archiepiſcopo liberum erat in tota ſua Archidiœceſi juris Metropolitici exercitium, a quo ſi eum poſt Edicti evulgationem prohiberi velit Anonymus, jam *Eccleſiaſtica* dividuntur; quandoquidem a ſui exercitio dividitur jus Metropoliticum: nec *ſuo loco*, *neque in priſtina forma* manent *Quæ ad* Beneventanum *Sacerdotium ſpectant*, jam *Negotio ipſo circa jus Metropoliticum mutationem & novationem ſuſcipiente*. Hinc Patrum Regulæ & ipſæ civiles Leges evertun-

(1) *Vide S.Greg.Nazian. Orat.*20., *&* *Notam* 82. *Nicetæ in eamd. Orat.* (2) *Ep.*18. *n.*2. (3) *Apud Gratianum Diſt.*10. Lege Imperatorum *Can.*1. (4) *Novel.*31. *c.*2.

tuntur. Concludendum itaque vel Archiepiſcopatum Beneventanum licet omnium in Regno ampliſſimum nullo modo comprehendi Edicto Regio, vel ſi quo modo comprehendatur, non minus Eccleſiaſticis, quam Civilibus Legibus idem Edictum adverſari.

Hinc etiam exſufflantur minæ tacite ab Anonymo intentatæ, dum ait Archiepiſcopatum Beneventanum ablatis ab eo Diœceſibus, ex quibus componitur, iiſdemque Metropolitanis aliis attributis, prorſus interiturum (1). Nam quouſque illæ Diœceſes Beneventanæ Sedi ſubjici perſeverabunt, Regno extraneus cenſendus erit Beneventanus Archiepiſcopatus. Neque vero divellere Diœceſes ab una Metropolitana Sede, aliiſque ſubjicere Regiæ poteſtatis eſt, ſicut eo loquendi modo Anonymus ſentire ſe forſitan innuit; (Regio enim, ſeu *Imperiali judicio non poſſunt Eccleſiaſtica jura diſſolvi* (2), ut Canones ſtatuunt) ſed ad Romani Pontificis ſpectat auctoritatem, qui teſte S. Bernardo *Poteſt ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopos ubi hactenus non fuerunt. Poſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit, itaut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & e converſo ſi neceſſe viſum fuerit* (3). *Unire enim Epiſcopatus, atque poteſtati ſubjicere alienæ*, ut ait Celeſtinus III. *ad Summum Pontificem pertinere dignoſcitur* (4), cui eadem facultas a Concilio Tridentino tribuitur (5).

AR-

(1) *Anonym. pag.* 12. (2) *Can. Lege* Imperatorum I. *diſt.* 10. (3) *Epiſt.* 131. (4) *In decretali ſicut de exceſſ. Prælat. cap.* 8. (5) *Seſſ.* 24. *cap.* 13.

ARTICULUS VI.

Adverſus duplicem Anonymi Obſervationem Archiepiſcopatus Beneventanus a Regio Edicto propugnatur immunis ex eo, quod Beneventana Civitas, in qua Metropolitana Sedes collocatur, ſubſit temporali Dominio Romani Pontificis.

ANtequam progrediamur ulterius, Anonymum monemus, potiſſimum noſtræ Cauſæ præſidium non in eo poni, quod temporale Beneventi dominium in Romanum Pontificem tranſitum fecerit, ſed in eo, quod Regium Edictum nullius ſit roboris, ut ſupra oſtendimus. Neque enim fas eſt eorum nos bellatorum ſequi morem, qui ut unam aliquam defendant, reliquas omnes Regni cujuſpiam Civitates hoſtium direptioni patere ſinunt; bene vero eorum, qui arcem quempiam obſidione preſſam ita tuentur, ut Regnum totum legitimo Regi ſervatum velint. Non itaque ſibi adblandiatur Anonymus nos ita poſſe pertrahi ad eximendum a Regii Edicti ſervitute Archiepiſcopatum Beneventanum ex hac ratione, quod ea Civitas Pontificiæ ditionis ſit, ut quoquomodo concedamus, vel concedere videamur eidem ſubeſſe Edicto omnes Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, qui in Regni ditione conſiſtunt. Sic enim ob peculiarem rationem temporalis dominii, quo in Beneventana Urbe potitur Romanus Pontifex, ejus nominis Archiepiſcopatum Regio Edicto incluſum non eſſe contendimus, ut ab ejuſdem Edicti ſervitute quoſcumque Regni Archiepiſcopatus Epiſcopatus, & cætera Beneficia libera prorſus eſſe velimus.

Hoc præmiſſo monito Anonymum inſequamur, qui opponenti adverſus ipſius argumentum, Beneventanum Archiepiſcopatum adhuc extraneum Regno eſſe cenſendum, quia temporale dominium ejus Civitatis tranſiit ad Apoſtolicam Sedem, reponit hujuſmodi objectionem vanam eſſe, longiorique reſponſione indignam; quam tamen refellendam ſuſcipit juxta quoſcumque, ut ait, aſpectus, quos eidem affingere quis velit (1). Pri-

(1) *Anonym. pag.* 12.

Primo igitur vult eſſe obſervandum „ præſentis Cardinem Controverſiæ non in eo verti, quod poſt geſtum bellum aliquod pax inter diſſidentes Principes ea lege inita ſit, „ ut una Provincia, vel Provinciæ pars ab aliis avulſa competitori Principi attributa fuerit, ſicut frequenter fieri „ conſuevit: nullam in caſu noſtro interfuiſſe Provinciæ partitionem; ſed temporale dominium unius duntaxat Civitatis in ampli Regni ſitæ viſceribus Romano Pontifici fuiſſe „ conceſſum, eodem Regno toto & integro remanente penes Concedentem. Itaque ſi vel in primo caſu Epiſcopatuum, Archiepiſcopatuum politia, natura, conditioque non „ immutantur, ſed eædem perſeverant, quæ prius erant, ut „ dicetur inferius; multo minus in præſenti caſu dicendum „ propter unius Beneventanæ Urbis abdicationem uſque adeo „ immutatam eſſe Beneventani Archiepiſcopatus naturam, „ ut is Regio Edicto, aliiſque Regiis juſſionibus non pateat, „ & ob eam cauſam indigenis, Regibuſque Neapolis ſubeunda jactura ſit illorum jurium, quæ prius in omnem Beneventanum Archiepiſcopatum, necnon in ipſos Archiepiſcopos obtinebant (1).

Quænam ſint hæc jura, quæ hic ab Anonymo jactantur, infra ab eodem expoſita videbimus & impugnabimus. Nunc ut ſuis ipſum armis aggredi incipiam, obſervo eam caſus figuram, quam ipſe idem exhibet & a præſenti quæſtione explodit, ab hac eadem quæſtione non eſſe alienam. Quandoquidem ſi rem altius repetere placeat, ſtatim inveniemus, quod Carolus Magnus ab Hadriano I. Pontifice contra Longobardos Italiam occupantes evocatus, poſt devictum Deſiderium eorum Regem *Ad Papam rediens omnia, quæ juris Eccleſiæ fuerunt, reſtituit: Ducatus quoque Spoletanum & Beneventanum Eccleſiæ ſuperaddidit*, ſicut a Joanne Iperio (2), & ab Anaſtaſio narratur (3). Vides hic poſt confectum a Carolo Magno bellum adverſus Longobardos rem ita compoſitam, ut una Provincia (Ducatus nempe Beneventanus) ſi non vi pactionis, certe donationis, quod in præſenti controverſia perinde eſt, Ro-

(1) *Anonym. a pag. 12. ad 13.* (2) *In Chron. S. Bertini cap. 8. par. 2. apud Martene in Theſauro Anecd. tom. 3.* (3) *Et apud Petav. Ration. Temp. lib. 8. cap. 7.*

Romano Pontifici attributa fuerit; proindeque in caſu noſtro interfuiſſe Provinciæ partitionem, nec unius duntaxat Beneventanæ Civitatis, ſed totius Beneventani Ducatus temporale dominium eidem Romano Pontifici fuiſſe conceſſum. Itaque ſi ante adjectum Romanæ Eccleſiæ Beneventanum Ducatum, nullum ſive Imperatoribus, ſive Italiæ Regibus, ſive demum Beneventanis Ducibus jus fuit in Beneventanam Eccleſiam, ut inferius contra Anonymum probabimus, multo minus poſt translatum a Carolo Magno in Sedem Apoſtolicam ejuſdem Ducatus dominium ſic immutatam quis dicat Beneventanæ Eccleſiæ, ſeu Archiepiſcopatus naturam, ut in ipſum, ejuſque Præſules Neapolitani Reges jus aliquod acquiſiverint.

Secundam obſervationem hoc pacto Anonymus ſubjicit „ Si Beneventi Principatum Romani Pontifices prius „ poſſediſſent, eoque a Northmannis invaſo, ea inter utroſque „ pactio inita fuiſſet, ut Papa Beneventi Civitatem, Northmanni vero Principatum retinerent, forte id in quæſtionem vocari poſſet, quod in ejuſmodi partitionibus evenire „ ſolet. Verum res aliter omnino ſe habuit. Principatus Beneventanus a Principibus Longobardis veluti immediatis „ Dominis, atque ab Occidentis Imperatoribus uti Italiæ Regibus, Dominiſque directis poſſidebatur. Poſtmodum jure „ belli, & inveſtituræ ab Henrico Nigro conceſſæ tranſiit ad „ Northmannos, qui Principatu ſibi retento Beneventi Civitatem Papæ ceſſerunt propter prætenſum in eam jus a „ Romana Eccleſia virtute cujuſdam permutationis cum eodem Imperatore Henrico habitæ, vi cujus effectum eſt, ut „ Romanus Pontifex jura, quibus in Bambergenſem Eccleſiam potiebatur, Imperatori remiſerit, eorumque vice „ temporale Beneventi dominium acquiſiverit „ Poſt hæc ſubjicit Anonymus hujus permutationis Hiſtoriam „ prout „ ait „ eam exhibent Leo Oſtienſis lib. 2. cap. 48., Chronicon Ducum & Beneventanorum Principum, Anonymus „ Barenſis, necnon alia antiqua monumenta collecta a Camillo Peregrinio in ſua Hiſtoria Principum Longobardorum pag. 266. (1)

(1) *Anonym. a pag. 13. ad 15.*

Nos inferius in tertia hujus operis Parte ſubjiciemus animadverſiones in iſtiuſmodi Hiſtoriam, in quam præter ipſius Hiſtoriæ veritatem, & præſentis inſtituti rationem, nonniſi ad oſtentandam eruditionem, ſeu verius ad creandam invidiam Romanis Pontificibus, aliqua ab Anonymo conjecta videbimus.

Interim ut prædictæ obſervationi occurramus, dicimus temporale dominium Beneventani Principatus, longe antequam hic a Northmannis invaderetur, fuiſſe penes Romanum Pontificem. Siquidem Carolus Magnus Occidentis Imperator, devictis Longobardis, iiſque ex Italia pulſis, non in ſuos ſucceſſores quatenus Italiæ Reges, ut Anonymus aſſerit (1), ſed in Sedem Apoſtolicam ſicut Spoletani, ſic etiam Beneventani Ducatus dominium tranſtulit. *Ducatus quoque Spoletanum, & Beneventanum Eccleſiæ Carolus ſuperaddidit*. Quamobrem hoc idem Apoſtolicæ Sedis in Beneventanum Principatum dominium agnoverunt Northmanni ipſi, cum a S. Leone IX. *Res Sancti Petri vi, & injuria ab illis raptas repoſcente pacem petentes, ſubjectionem, ſervitiumque ei promitterent, & quæ prius injuſte ſibi uſurpantes invaſerant, ejus beneficio, gratiaque retinere velle ſe dicerent*; ut ſcribit Hermannus Contractus (2). Quibus tamen Leo conſtans in repoſcendis rebus S. Petri non acquievit (3). Itaque cum Northmanni totam Calabriam & Apuliam, ad quam Beneventanus Principatus pertinebat, pervaſiſſent, nec dimittere vellent; tandem ſub Nicolao II. pertæſo bellorum, quæ ab iiſdem contra Eccleſiam gerebantur, pax ea lege compoſita eſt, ut totam Calabriam & Apuliam præter Beneventum beneficiario illi jure a Nicolao obtinerent; *Cum juramento fidelitate Romanæ Eccleſiæ ab eis primo recepta, nec non cum inveſtitione cenſus per ſingulos annos per ſingula boum paria denariis duodecim*; ut refert Leo Oſtienſis (4). *Eſt Papæ factus jurejurando fidelis; unde ſibi Calaber conceſſus & Apulus omnis*. Ita Guilielmus Apulienſis Auctor coævus (5) de Northmannorum Duce Roberto Guiſcardo. *Drabertus* (idem eſt, ac Robertus) *eſſe-*

(1) *Pag.* 13. (2) *Apud Baron. ad an.* 1053. (3) *Apud Baron. ibidem.* (4) *Lib.* 3. *cap.* 16. (5) *In Poemate de rebus a Northmannis in Italia geſtis lib.* 2.

effectus eſt homo ligius dictorum Paparum, & inductus fuit per dictos Papas per vexillum in poſſeſſionem Apuliæ &c. Ita Chronicon Siciliæ (1). *Fidelitate ab eis accepta*, (nempe Northmannis) præter Beneventum *totam Apuliam eis conceſſit* Nicolaus II. Ita Nicolaus Aragonenſis (2). *Idem quoque Nicolaus Northmannos vinculo excommunicationis exſolvit, eiſque feudatario jure conceſſit Apuliam & Calabriam, excepto Benevento.* Ita inter recentiores Brietius (3). Pax deinde compoſita denuo eſt iiſdem legibus inter S. Gregorium VII. & eumdem Robertum, quem ante unà cum belli ſociis ipſe Gregorius Sacrorum uſu interdixerat, quod hoſtili manu *Campaniam expugnaturus* ingreſſus fuiſſet, ut refert Leo Oſtienſis (4). Etenim S. Gregorius, ſicut ipſius Acta teſtantur, *Congrua ſatisfactione ſuſcepta, prius vinculo excommunicationis eum* (ideſt Robertum) *abſolvit, & conſequenter fidelitatem & homagium ejus recepit. Poſtmodum jam aſſumptum in ſpecialem B. Petri Militem de totius Apuliæ & Calabriæ Ducatu per vexillum Sedis Apoſtolicæ inveſtivit* (5). Duplex juramentum, fidelitatis unum, & reddendi cenſus alterum, quod Robertus præſtitit S. Gregorio, videri poteſt apud Baronium (6).

Cum itaque, invaſo a Northmannis Beneventano Principatu, qui utique inter res S. Petri recenſebatur, inter eoſdem, Romanoſque Pontifices pacis fœdus initum fuerit, & quidem bis, ea conditione, ut ipſimet Pontifices, excepto Benevento, quem ſibi retinerent, ejus nominis Principatum eiſdem Northmannis jure feudatario concederent; jam juxta præmiſſam Anonymi obſervationem, ſeu hypotheſim, in quæſtionem forte id vocari poterit, quod in ſimilibus diviſionibus accidere ſolet: num ſcilicet iidem Pontifices Beneventanum Archiepiſcopatum immunem prorſus voluerint ab illis juribus, quæ in eumdem Northmanni Principes uſurpaſſent. Hoc tamen dictum ſit, ut Anonymo morem geramus: nam aliunde omni procul eſt dubio Nicolao II., & S. Gregorio VII. non mi-

(1) *Cap. 7. apud Martene in Theſ. Anecdot. tom. 3.* (2) *Apud Baron. ad an. 1059.* (3) *In Mundi Annalibus ad an. 1059.* (4) *Lib. 3. cap. 44.* (5) *Act. Greg. VII. ſcripta a Cenſio Camer. c. 2. n. 10. apud Bolland. ad diem 25. Maji.* (6) *Ad an. 1080.*

minus fuiſſe curæ Eccleſiaſticæ Immunitatis tuitionem, quam eorum Succeſſoribus, qui Regnum Neapolis conceſſerunt ea inter alias lege, ut qui acciperent, ſervaturos ſe omnimodam Eccleſiarum Libertatem jurejurando ſponderent, uti ſuo loco videbimus. Immo hoc ipſum idem Robertus Northmannorum Princeps Nicolao, Gregorioque promiſit; in utroque enim juramento, quo fidem ſuam his Pontificibus obſtrinxit, ſic ait Robertus: *Omnes quoque Eccleſias, quæ in mea perſiſtunt dominatione cum earum poſſeſſionibus dimittam in tua poteſtate* (1). Non dimiſiſſet autem in poteſtate Pontificum omnes Eccleſias, ſi uſurpata, ſeu prætenſa jura in Beneventanam Eccleſiam retinuiſſet.

Ad prædictam vero permutationem quod attinet, habitam inter Romanum Pontificem S. Leonem IX. & Henricum Nigrum Imperatorem, vi ejuſdem non id effectum eſt, ut Pontifex dominium temporale, quo jamdudum non ſolum in Beneventana Civitate, ſed in toto Principatu potiebatur, acquireret, ſed tantum ut Cæſareis copiis adjutus adverſus Northmannos Beneventi poſſeſſionem caperet. Leo autem Oſtienſis, Chronicon Ducum & Principum Beneventanorum, Anonymus Barenſis, & Camillus Peregrinius locis ab Anonymo noſtro indicatis nihil habent, quod pugnet cum iis, quæ in hoc Articulo diximus.

ARTICULUS VII.

Proponitur præcipuum argumentum, quo Archiepiſcopatum Beneventanum Edicto Regio comprehenſum demonſtrare conatur Anonymus, quamvis Beneventanæ Urbis Dominium in Romanos Pontifices tranſierit.

Hucuſque quibuſdam quaſi velitationibus proluſit Anonymus validiori argumento, quo jam Beneventani Archiepiſcopatus Libertatem adoritur hoc pacto. „ Inter alia „ jura, quæ Occidentis Imperatores, & Principes Lon„ gobardi ſupra Archiepiſcopatum Beneventanum exerce„ bant,

(1) *Apud Baron. an.* 1059. & 1080.

„ bant, & quæ poſtea ad Northmannos, Svevoſque Princi-
„ pes translata fuerunt, illud numerabatur, quod a ratione
„ ipſa Principatus emanabat, jus nimirum curandi externam
„ Eccleſiarum Politiam, ac invigilandi, ut in iis Sacri Canones
„ ſervarentur, adeoque haberent laudati Principes potiorem
„ partem nedum in electione Epiſcoporum ſuffraganeorum,
„ ſed ipſiuſmet Metropolitæ, quinimmo ut hi Præſules ſine aſ-
„ ſenſu eorumdem Principum in ſacris Thronis collocari mi-
„ nime poſſent; necnon ut exacta Eccleſiaſtica diſciplina Sa-
„ cris Canonibus conſona in eiſdem Eccleſiis valeret, maxi-
„ me vero, ne male traducerentur ampli bonorum redditus,
„ quibus iidem Principes eas Eccleſias ditaverunt. Quæ pro-
„ fecto diſciplina commendata ab ipſiſmet Romanis Pontifici-
„ bus, ut ex pluribus patet S. Gregorii Magni Epiſtolis, &
„ ex Gratiani *Decreto*, tunc temporis ubique vigebat, ut in-
„ ter alios plurimos Chriſtianus Lupus in Diſſert. de Reg.
„ Nominat. cap. 6., & Van-Eſpen Juris Eccleſiaſtici part. 1.
„ tit. 13. cap. 3. demonſtrarunt. Quæ item diſciplina in Re-
„ gno Neapolis, ſicut ipſamet Regii Aſſenſus continuata pra-
„ xis oſtendit, ad tertium decimum uſque ſæculum perdu-
„ ravit; quando demum Principes Andegavenſes idem Re-
„ gnum a Romano Pontifice tributarium accipientes, dicto
„ juri, ſeu aſſenſui renunciarunt. At quidquid jurium in
„ externam Eccleſiarum politiam, Sacrorumque Canonum
„ obſervantiam, Eccleſiaſticam diſciplinam, necnon in Ar-
„ chiepiſcoporum Beneventi electionem, & Eccleſiaſticorum
„ redditaum adminiſtrationem dictis Imperatoribus, Regi-
„ bus, & Principibus fuit, nunc ad ſe tranſmiſſum habet Cæ-
„ ſar, licet Beneventanæ Urbis temporale dominium ad Ro-
„ manos Pontifices translatum fuerit. Etenim ad mobilitatem
„ neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſia mutari non debet,
„ ut habent Innocentius I. Epiſt. 18. & Juſtinianus Novel. 31.
„ cap. 2. Novel. 28. cap. 2. In quarum prima cum de divi-
„ dendis quibuſdam Provinciis, & in ſecunda de uniendis
„ aliis ſermo ſit, Sacerdotia tamen in priſtina manere forma
„ decernuntur. Si ergo in unionibus, & diviſionibus ipſis
„ Provinciarum nibil omnino Epiſcopatuum, & Eccleſiarum
na-

Digitized by Google

„ natura immutatur, quamnam mutationem ſomniare quis „ poterit in Archiepiſcopatu Beneventano ex hoc ſolum, „ quod unius Beneventanæ Civitatis dominium in Romanos „ Pontifices conceſſerit? His autem, quæ hucuſque dicta „ ſunt, robur majus, majorque vis ex eo accedit, quod ejuſ- „ dem urbis dominium mobile ſemper & vacillans, ejuſque „ poſſeſſio precaria ſemper fuerit penes Romanos Pontifices, „ cum a noſtrorum Regum penderet arbitrio, qui eam modo „ adimebant ipſis Pontificibus, modo juxta rerum viciſſitu- „ dines reſtituebant. Subeſt igitur Archiepiſcopatus Bene- „ ventanus, etſi ejus Civitatis dominium ad Romanos Ponti- „ fices tranſierit, Edicto Regio uti reſpicienti externam „ Beneventanæ Eccleſiæ politiam, Sacrorum in ea Canonum „ obſervantiam, Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervationem, „ Archiepiſcopi electionem, atque ipſius Archiepiſcopatus „ poſſeſſionem.

Hæc eſt perlongæ orationis Synopſis, qua Anonymus capitioſo artificio vera falſis, æqua iniquis, jura factis permiſcens demonſtrare contendit, non obſtante translatione temporalis dominii Beneventanæ Urbis in Romanos Pontifices, Archiepiſcopatum ejus nominis Edicto Regio eſſe comprehenſum (1). *At hæc quis non intelligat plena fraudis eſſe, & plena fallaciæ? Quæ quanquam ſint ſubtiliter confuſa, atque permixta, tamen abſolute artificioſam malitiæ, & ſtultitiæ calliditatem, & ineptiam teſtantur* (2). Nos vero eam omnem orationem in ſyllogiſmum contractam exhibuimus, ut ſine imminutione ejus, quam præſefert, vis & efficaciæ, eſſet brevitati conſultum. Cæterum ea omnia, tum quæ in ſynopſi retulimus, tum quæ omiſimus, ſive ad jura, ſive ad facta pertineant, & quoquo modo nobis negotium faceſſant, in ſequentibus Articulis paulatim proponemus, & confutabimus. Ut itaque jam *res cum re*, *cauſa cum cauſa*, *ratio cum ratione confligat* (3), ſit.

AR-

(1) *Vide Anonymum a pag. 17. ad initium pag. 23.* (2) *S. Hilar. lib. 4. de Trin.*
(3) *Auguſt. lib. de Utilit. Creden. cap. 1.*

ARTICULUS VIII.

Imperatoribus, Regibus, cæteriſque ſæculi Principibus ratione ipſius Principatus nullum unquam jus fuit in externam Eccleſiarum Politiam, Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervationem, & Sacrorum Canonum obſervantiam.

EXcandeſceret proculdubio Anonymus, ſi nos doceremus Romano Pontifici ratione ipſius Pontificatus ineſſe jus curandi Regnorum Politiam, civilis Status conſervationem, legumque civilium obſervantiam; ſtatimque opponeret illud Chriſti Domini: *Date, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, quæ ſunt Dei, Deo*; illud Hoſii ad Conſtantium Imperatorem: *Tibi Deus Imperium commiſit; nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit*; illud S. Gregorii II. ad Leonem Iſaurum: *Idcirco Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices a Republicæ negotiis abſtinentes: & Imperatores ergo ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi ſunt commiſſa capeſſant*. Has, inquam, aliaſque Patrum ſententias ſuperius relatas (1) nobis objiceret, quibus ab Imperii negotiis Sacerdotes arceantur. Age modo. Nos ipſi Anonymo aſſerenti Imperatores, Reges, cæteroſque Principes ratione ipſius Principatus habuiſſe jus curandi externam Eccleſiarum politiam, invigilandi Canonum obſervantiæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervationi (2), illas eaſdem Patrum ſententias opponimus, quibus utriuſque poteſtatis Eccleſiaſticæ, & Politicæ ita conſtituti ſunt limites, ut non minus Sacerdotes ab iis, quæ ſunt Imperii, & Principatûs, quam Imperatores, Reges & Principes ab iis, quæ Sacerdotii & Eccleſiæ ſunt, repellantur.

Hinc videre licet permixtas, atque confuſas ab Anonymo Pontificum, & Principum juriſdictiones, ut olim apud Synagogam, quas tamen Pontifices, Concilia, Patres, & ipſi laici Principes diſtinctas, ſeparataſque agnoverunt, atque voluerunt (3); jacta inter utramque poteſtatem nunquam deſitu-

(1) *Art. 2.* (2) *Anonym pag. 20.* (3) *Vide dicta in art. 2.*

ſitura ſemina diſcordiarum, & ſchiſmatum; ſubjectam Regno Eccleſiam, Imperio Sacerdotium. Nempe ut unum Archiepiſcopatum Edicto Regio ſubdat Anonymus, eô provectus eſt, ut totam Eccleſiam in Regum, & Principum redigat ſervitutem, ac externum omne ejus regimen eorum curæ ſubjiciat.

Etenim ea una nullo limite circumſcripta aſſertione non tantum complexus eſt quidquid ad deprimendam Eccleſiaſticam, & ſublimandam Politicam poteſtatem Barclarius, Puteanus, Marca, Feuretius, Richerius, aliique ejuſdem furfuris, editis voluminibus, ab Apoſtolica Sede jam proſcriptis, docuerunt; ſed inſuper tacuit eas omnes temperamenti, & moderationis rationes, quibus illi Politicæ aſſentatores, & Eccleſiaſticæ auctoritatis hoſtes, vulneribus Eccleſiæ inflictis ſaltem in ſpeciem mederi ſtuduerunt. Sane ſi illud abſolute verum ſit, quod Imperatores, Reges & Principes ratione ipſius Principatus habeant jus curandi externam Eccleſiarum politiam, invigilandi obſervantiæ Canonum, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervationi, (qua certe univerſali cura externum Eccleſiaſticum regimen totum concluditur) quid jam ipſis Imperatoribus, Regibus & Principatibus prætextu ejus juris in Eccleſiam non liceat? Quid Sacris Præſulibus ſuperſit, niſi ut in externo Eccleſiarum regimine ſæcularium Principum curæ ſubſint, cenſuræ, & arbitrio? Vel ſi mavis, quid reſtat Epiſcopis, niſi ut jure Epiſcopatus curent Rempublicam, dum Principes jure Principatus curant Eccleſiam? Porro ſive agatur de Sacris Ritibus in adminiſtratione Sacramentorum adhiberi ſolitis, de diebus feſtis celebrandis, de Eccleſiaſticis officiis, de indulgentiarum promulgatione, de cenſuris infligendis, ſive de cœlibatu, habitu, tonſura Clericorum, aliiſque quamplurimis, quæ Canonici juris titulis comprehenduntur; cum hæc omnia, & ſingula ad externam Eccleſiarum politiam, & ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertineant, horum proinde omnium, & ſingulorum cura, juxta Anonymi ſententiam, ad Principes ſpectabit, & quidem ratione Principatus; id eſt, ratione alicujus, quod omnino temporale, & politicum eſt, Imperatoribus, Regibus & Principibus ine-

Digitized by Google

inerit jus curandi ea, quæ prorſus ſpiritualia & Eccleſiaſtica ſunt; neque Eccleſiæ Præſules, Summique Pontifices obniti poterunt talia curantibus, quin contra ipſam agant rationem Principatus. Quæ quidem omnia & Apoſtolo adverſantur docenti, quod Spiritus Sanctus non Imperatotes, non Reges, non laicos Principes, ſed *Epiſcopos poſuit regere Eccleſiam Dei* (1), & nonniſi Defenſoribus Anglicani ſchiſmatis probari poſſunt, inter quos & Anonymum hoc unum diſcrimen hic intereſſe videtur, quod quæ illi jura Angliæ Regi uti Anglicanæ Eccleſiæ capiti tribuunt, eadem iſte ratione Principatus Catholicis Principibus adſtruat.

Hæc nos omnia, quæ ſane abſurdiſſima ſunt, ex Anonymi aſſertione legitime intulimus, ut errorem ſuum ipſe erubeſcat & emendet. Nam, ut ait S. Auguſtinus, *Sunt veræ connexiones ratiocinationis falſas habentes ſententias, quæ conſequantur errorem illius, cum quo agitur. Quæ tamen ad hoc inferuntur a bono & docto homine, ut ex iis erubeſcens ille, cujus errorem conſequuntur, eundem relinquat errorem; quia ſi in eodem manere voluerit, neceſſe eſt, ut etiam illa, quæ damnat, tenere cogatur* (2).

Addit Anonymus ibidem Imperatores, Reges, & Principes ratione ipſa Principatus nactos eſſe jus invigilandi, ut Sacri in Eccleſiis Canones obſerventur (3). Et ſane, ut verum fatear, Chriſtus Dominus Principes ideo ad Fidem vocavit, aut Fideles ad Principatum extulit, ut auctoritate ſua malos ipſi comprimerent, & matrem ſuam ab hoſtibus, & inobedientium filiorum infeſtationibus liberarent. *Intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent*, inquit S. Iſidorus Hiſpalenſis (4), *niſi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem*. Ad hoc etiam Catholicis Principibus collatum eſſe Regiæ protectionis officium monet Tridentina Synodus, ut ſubditos ſuos ad debitam Eccleſiaſticæ dignitati reverentiam compellant, neve Eccleſiæ *Immunitatem* Dei *ordinatione Canonicis ſanctionibus conſtitutam aliquo cupiditatis ſtudio*,

E ſeu

(1) *Act. cap.* 20. *v.* 28. (2) *Auguſt. de Doct. Chriſt. lib.* 2. *cap.* 31. (3) *Anonym. pag.* 20. (4) *De ſummo Bono lib.* 3. *cap.* 53. *apud Grat. Can. Principes* 23. *quæſt.* 5.

ſeu inconſiderattone aliqua violari permittant (1). Opem, præſidiumque debent Eccleſiæ Principes, ſed quomodo ad filii præſtant matri, quam defendunt, & cui imperare non audent.

Verum quod Chriſtus tamquam officium, & onus Eccleſiæ cauſa Principibus imponit, hoc Anonymus tamquam jus, & auctoritatem in ipſam interpretatur: quam ut matrem colere, audire, & ſequi Chriſtiani omnes tenentur, ei uti ancillæ præcipi, & leges poni a filiis contendit. Quid enim aliud eſt Principibus tribuere ratione Principatus jus invigilandi, ut Canones in Eccleſiis obſerventur, quam efficere Arbitros, Duces, & Dominos, quos Chriſtus conſtituit adverſus homines improbos Eccleſiæ ſuæ Cuſtodes, Protectores & Defenſores? Siquidem cum Eccleſiarum negotia, eaque pene omnia, quæ in Eccleſiis geruntur, ſacris, ut plurimum, Legibus & Canonibus ſubſint eadem moderantibus, nihil plane erit, quod prætextu ejus juris curandorum Canonum ſibi in Eccleſia Principes non vindicent, vel quod Principibus ab eorum Aſſentatoribus non tribuatur. Sufficiat, aliis miſſis, ea obſervare, quæ uti ex eo jure promanantia, ab Anonymo Cæſari attributa eſſe jam vidimus. Non enim eum tantummodo agnoſcit obſervantiæ Canonum curatorem, ſed ipſorum Canonum interpretem, qui ſcilicet ita Canones interpretetur, ut per hos extranei a Beneficiis arceantur. Nedum interpretrem agnoſcit, ſed judicem quoque geſtorum adverſus Canones, qui nimirum nullos, ac irritos declaret omnes juriſdictionis actus, ab Archiepiſcopo Beneventano Apoſtolicarum virtute Literarum exercitos. Vindicem tandem eum habet admiſſorum adverſus Canones, cum id ipſi ſuadere nitatur, ut eumdem Archiepiſcopum Regno extraneum prohibeat & ab exercendis impoſterum juriſdictionis actibus, & ab exigendis ſuæ Menſæ redditibus (2). En quo demum tendat aſſertum illud laicis Principibus adſtruens jus curandi ratione Principatus Sacrorum Canonum obſervantiam: eo tendit, ut eoſdem Principes Canonum interpretres, judices & vindices pro libito adverſus ipſas etiam Literas Apo-

ſto-

(1) *Seſſ. 25. de ref. cap. 20.* (2) *Vide Anonymum pag. 5. & 6.*

ſtolicas conſtituat: eo tendit, ut Principum ſit in Eccleſiis loqui & præcipere, Epiſcoporum autem, Summique Pontificis audire & parere; cum tamen Canones jubeant, ut Sacerdotes in Eccleſiis loquantur & præcipiant, Principes vero cum ſilentio audiant ac pareant (1): eo denique tendit, ut ipſorum Canonum obſervantiam peſſumdet & labefactet, atque ſupra Eccleſiaſticæ auctoritatis ruinas politicam poteſtatem extollat. Quamobrem Anonymo illud merito exprobari poteſt, quod olim Euſebianis curam Eccleſiaſticorum Canonum ſimulantibus Julius I. *Nos criminati eſtis, quaſi contra Canones egerimus. Perpendite igitur, quinam contra Canones agant* (2).

Ignoravit profecto convenire ſibi ratione Principatus jus illud curandi in Eccleſiis Sacrorum Canonum obſervantiam Conſtantinus, cujus ea vox fertur ad Epiſcopos Chriſtiano Imperatore digniſſima: *Vos quidem in iis, quæ intra Eccleſiam ſunt, Epiſcopi; ego vero in iis, quæ extra geruntur, Epiſcopus a Deo ſum conſtitutus* (3). Ignoravit Theodoſius, qui gloriabatur ſe a S. Ambroſio edoctum, *Quid diſcriminis eſſet inter Principem & Sacerdotem* (4). Ignoravit Marcianus, qui novit *quibus in cauſis uteretur Principis poteſtate, & in quibus exhiberet obedientiam Chriſtiani* (5): *Vir ſcilicet temperans, & ſuo contentus officio Eccleſiarum Canonum executor eſſe voluit, non conditor, non exactor*, ut ait Facundus Hermianenſis (6). Iſta ſeditioſæ Anonymi aſſertioni opponenda duximus, per quam Politica Poteſtas cum Eccleſiaſtica committitur.

Audiendus modo Marca, qui ex recitatis Facundi verbis, ita concludit: „ Hic eſt certus limes, quem Regiæ au„ ctoritati in his negotiis præfigere oportet, ne inconſulto „ trahamur ad eam adulationem, qua Principibus ſuis totius „ diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſummam Græci deferebant (7). „ In quam ſane adulationem tractum eſſe Anonymum ex ipſa ejus ſententia facile quiſque cognoſcet.

 Quid

(1) *Vide Canonem 22. octavæ Synodi Generalis.* (2) *Apud S. Athanaſ. in Apolog. contra Arianos* (3) *Euſeb. in vita Conſtantini lib. 4. cap. 24.* (4) *Theodoret. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 18.* (5) *Facundus Hermianenſis lib. 12. cap. 3.* (6) *Idem ibidem.* (7) *Concord. lib. 2. cap. 10.*

Quid quod idem Marca, egregius licet Regiorum jurium Aſſertor alibi ita ſcribit? „ Si proprie loqui velimus, „ executio Canonum juriſdictionem Eccleſiaſticam reſpicit: „ cujus partes ſunt, ut judicia Canonica reddat, pœnis Ca-„ nonicis, ideſt, excommunicatione, degradatione, & ſu-„ ſpenſione, & cæteris ejuſmodi, reos plectat, & ut omnia „ uno verbo complectar, ligandi, & ſolvendi Pontificium „ exerceat „ (1). Expectari igitur debent a laicis Principibus Eccleſiarum Antiſtites, qui adverſus Canonum violatores pœnis ſpiritualibus jam plexos, & adhuc refractarios brachii Sæcularis auxilium implorent; & hac ratione *Quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, Poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem.* Præpoſterus enim Ordo eſt, niſi Eccleſia ſicut in condendis Canonibus, ita etiam in curanda Canonum executione præcedat; atque velle eidem Eccleſiæ non petenti & invitæ, immo adverſus ipſam, opem ferre, ut contendit Anonymus, judicium eſt vel eam opprimere, non juvare cupientis, vel cum ea veluti cum lapſa in phræneſim, ſeu lethargum agere volentis.

Lubet propterea quærere hic ab Anonymo recenſente inter Regia jura jus illud invigilandi, ut Canones in Eccleſiis obſerventur, lubet, inquam, quærere, num Chriſtus Dominus Summum Pontificem, cæteroſque Eccleſiæ Paſtores, cum quibus cæteroquin ſe futurum ſpopondit uſque ad ſæculi conſumationem (2), tales futuros prævideri, qui receptos in Eccleſiis Canones aut ipſi violaturi, aut in violatores non animadverſuri eſſent, ac proinde neceſſe fuerit conferre ſæculi Principibus una cum jure Imperii jus invigilandi eorumdem obſervantiæ Canonum? Profecto ſine maxima Sacrorum injuria Paſtorum aſſeri nequit eos, quos Deus ſervos fideles & prudentes ſuper familiam ſuam (3), ac ſuper muros Jeruſalem conſtituit Cuſtodes (4), quos tanquam reddituros rationem pro animabus Fidelium pervigilare ait Apoſtolus (5), quique Vigiles in Sacris Literis appellantur (6), ita diſſolutos ſe gerere, ac ſomnolentos in ſacris Speculis, ut idcirco jus excuban-

(1) *Concord. lib.4. cap.1.* (2) *Matth. cap.28. v.20.* (3) *Matth.24.45.* (4) *Iſa.6.6* (5) *Hebr. 13. 17.* (6) *Cant. 3. 3.*

bandi pro obſervantia Canonum ad laicos Principes deferre oportuerit. „ Noviſſimorum ſane temporum iniquitas eſt „ (utor verbis viri inclyti Cardinalis Sfrondati, quæ ad rem præſentem apprime faciunt) „ ut quicumque bellum Eccleſiæ „ inferunt, benevolentiam ſimulent, amicitiam præſeferant. „ Olim hoſtes Eccleſiæ, hoſtes dicebantur; divexabant, non „ decipiebant ſuo ſatis proditi nomine. Nunc duplex Reli- „ gioni labor incumbit; nam priuſquam ſe ad hoſtes ſuos de- „ bellandos accingat, debet illos detegere; quod quidem „ hodie difficillimum eſt, cum alii Reformatores dicantur, „ alii vocentur Tutores Defenſoreſque. Illi Eccleſiam re- „ formando dilacerant, iſti defendendo, amplectendoque „ præfocant „. Paulo poſt merito carpit conſilia eorum, qui docent „ laicorum muneris eſſe, antiquos Canones tueri, „ priſcam diſciplinam vindicare, labenti Eccleſiæ humeres „ ſupponere. Nimirum dormit in Cymba Chriſtus, otiatur „ Spiritus Sanctus, Sponſa Chriſti conſenuit, anniſque fati- „ ſcens ſe ipſam non poteſt regere. Potuit quidem alias, „ dum juventute vigeret, dum floreret annis, Canones con- „ dere, Leges ferre, ſibi ipſi cavere; nunc rectore, pædago- „ goque indiget; nunc eſt tutoribus & curatoribus commit- „ tenda (1).

Collige ex dictis eam Anonymi aſſertionem, qua Imperatoribus, Regibus, aliiſque Principibus ratione ipſius Principatus tribuit jus curandi externam Eccleſiarum Politiam, diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſervationem, & Canonum obſervantiam, non modo falſam, & Eccleſiæ Præſulibus injurioſam, ſed ſcandaloſam, ſeditioſam, temerariam, SS. Patrum ſententiis, nec non verbis Apoſtoli docentis Epiſcopos a Spiritu Sancto fuiſſe poſitos ad regendam Dei Eccleſiam, eſſe contrariam.

* * * *
* * *
* *
*

A R-

(1) *Sfrond. Gall. Vind. Diſſert. 1. §. 8. document. 56.*

ARTICULUS IX.

Partes in Canonicis Sacrorum Præſulum electionibus potiores laicis Principibus perperam adſcribuntur.

PErgamus cum Anonymo, qui ex jure curandi externam Eccleſiarum Politiam ſæculi Principibus falsò attributo, infert potiorem eorumdem fuiſſe partem in electione nedum Epiſcoporum Metropolitæ Beneventano ſubjectorum, ſed ipſiuſmet Metropolitæ (1). Quæ quidem aſſertio, præterquamquod a principio deducitur, quod jam impugnavimus, aliunde adeo eſt falſa, ut verum eſt a Concilio Nicæno II. fuiſſe definitum omnem electionem a Magiſtratibus celebratam, *Manere irritam* (2), & a Synodo VIII., *Nullam in talibus poteſtatem habere quemlibet Potentium* (3). Hinc peto ab Anonymo: potior pars in Epiſcoporum electionibus laicis attributa Principibus, fuit ne talis, ſine qua electiones ipſæ illicitæ tantum, vel invalidæ etiam fuiſſent? (nam ſi neutrum, quomodo potior pars dici poſſit, ſine qua electiones cum validæ, tum licitæ conſtitiſſent?) Si primum; Synodus VII. igitur & VIII., quæ laicos Principes excludunt ab electionibus, has illicitas eſſe voluerunt: quod quidem ſine nota erroris dici non poteſt. Si ſecundum; Aſſertio favet errori, quo Hæretici volunt Sacrorum Miniſtrorum electiones neceſſario eſſe penes Plebem & Magiſtratum (4), & directe opponitur Nicæno Canoni ſtatuenti tales electiones manere irritas. Addere poſſumus adverſus eamdem aſſertionem Paſchalis II. auctoritatem, qui Sæculares Principes a ſacris electionibus omnino ejicit: *Alienum eſt*, inquit, *ab Eccleſia, & a Sacris Canonibus inhibitum, ne Principes & Sæculares viri inveſtituras non ſolum dare, ſed nec electioni Epiſcoporum audeant ſe violenter inſerere* (5).

Ipſa etiam ratio naturalis dictat ovibus non convenire ut regant, ſed tantum ut regantur. At laici Principes oves ſunt, & electio Paſtorum actus eſt regiminis. Quocirca cum vi-

(1) *Anonym. pag.* 20. (2) *Can.* 3. (3) *Can.* 22. (4) *Apud Bellar. lib. de Clericis cap.* 7. (5) *Epiſt.* 3. *ad B. Anſelmum*.

vigerent priſcæ Epiſcoporum electiones, hæ penes Clerum erant, illiſque ex conceſſione Eccleſiæ populus aderat non quidem ut judex, ſed ut teſtis morum & vitæ eorum, qui eligebantur. Potior vero auctoritas & ſupremum circa eaſdem electiones judicium erat penes Epiſcopos, non penes Sæculares Principes, ut inter alios a Gaſpare Juvenin oſtenditur (1). Quidquid autem a ſæculi Principibus circa Sacras Electiones peractum legitur, non id ad ipſos aliquo Principatus jure pertinuit; ſed vel precibus obtinuerunt, vel Summi Pontifices & Epiſcopi eis indulſerunt, præſertim ut tumultus & ſchiſmata ſi quæ orirentur, compeſcerent, utilemque Eccleſiæ operam navarent (2); vel tandem per vim ſibi uſurparunt (3).

Prædictæ aſſertionis falſitatem pariter oſtendunt SS. Leonis I. & Gregorii Magni Epiſtolæ, in quibus omnes in Sacrorum Præſulum electionibus partes Epiſcopis primum & Clero, deinde Nobilibus & Plebi deferuntur, nulla facta mentione ſive Imperatorum ſive Regum. *Metropolitano defuncto*, inquit S. Leo, *cum in locum ejus alius fuerit ſubrogandus, Provinciales Epiſcopi ad Civitatem Metropolitanam convenire debent, ut omnium Clericorum, atque omnium Civium voluntate diſcuſſa ... optimus eligatur* (4). *Expectarentur certe vota Civium, teſtimonia Populorum, quæreretur Honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum ſolent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas, cuſtodiri .... Teneatur ſubſcriptio Clericorum, Honoratorum teſtimonium, Ordinis conſenſus & Plebis* (5). Item S. Gregorius quas pro Epiſcoporum electione mittebat Epiſtolas, nulla habita mentione Longobardorum Regum, qui tunc temporis, Roma, Ravennaque exceptis, in Italia dominabantur (6), ita inſcribere conſuevit: *Clero, Ordini & Plebi Peruſinæ Civitatis* (7); *Clero, Nobilibus, Ordini & Plebi Neapolitanæ Civitatis* (8); *Clero, Ordini & Plebi Civitatis Nepienſis &c.* (9). Non eſt autem ſimile vero a Sanctis Leone & Gre-

(1) *De Sacram. Diſſert. 9. de Ordin. in ſpecie art. 3.* (2) *Thomaſ. de Diſcipl. part. 2. lib. 2. cap. 6. num. 14.* (3) *Vide Juvenin Diſſert. cit.* (4) *Epiſt. 84. cap. 6.* (5) *Epiſt. 89.* (6) *Petav. Rat. Temp. part. 1. lib. 7. cap. 10.* (7) *Lib. 2. Epiſt. 3.* (8) *Epiſt. 8.* (9) *Epiſt. 30.*

Digitized by Google

Gregorio fuiſſe omiſſos laicos Principes, ſi horum fuiſſet in Sacris Electionibus potior auctoritas; immo cum quam plurimæ Epiſcoporum electiones, Imperatoribus ac Regibus inconſultis, celebratæ legantur, nemo ſibi facile in animum induxerit, quod aut Electores potiorem illam auctoritatem tam ſæpe negligere auſi ſint, aut ipſi Principes eamdem tam frequenter negligi paſſi fuerint. Hoc nunc ſatis; nam iis, quæ in hoc Articulo diximus, major lux accedet ex illis, quæ de laicorum Principum conſenſu in Sacras Electiones jam dicturi ſumus.

ARTICULUS X.

Sæcularium Principum Aſſenſus in Sacrorum Præſulum Electionibus falſo adſtruitur ex eo, quod in ipſos Principes Populus tranſtulerit quidquid juris in eaſdem Electiones olim obtinebat.

INter alia jura, quæ Anonymus Occidentis Imperatoribus, Principibus Longobardis, Northmannis, Sveviſque tribuit ratione Principatus, recenſet eorumdem in Sacrorum Præſulum Electionibus Aſſenſum, & talem quidem, ſine quo in Epiſcopali Solio collocari, & Epiſcopatus poſſeſſionem capere nemo poſſet (1). Et iterum,, Regius,, inquit,, Aſſen-
,, ſus requirebatur in omnibus Prælatorum Regni electioni-
,, bus, ſive ut graviſſimi Auctores ſentiunt, quia Principes,
,, in quos omnem poteſtatem Populus tranſtulit, tanquam
,, gerentes vices ipſiuſmet Populi, qui in electionibus Epi-
,, ſcoporum una cum Clero potiorem partem habebat, eodem
,, idcirco jure uti debebant; ſive quia iidem Principes Ec-
,, cleſias a fundamentis extruxerant aut reſtauraverant, aut
,, demum latifundiis redditibuſque locupletaverant, ſicut in
,, noſtro Regno Longobardi, Northmannique quoad hoc
,, nedum liberales, ſed largi admodum, profuſique perege-
,, runt (2).

Adverto primum captioſam eſſe eam Anonymi aſſertionem,

(1) *Anonym. pag.* 20. *&* 21. (2) *Idem a pag.* 33. *ad* 34.

qua docet Populum una cum Clero potiorem partem habuiſſe in Epiſcoporum electionibus. In his enim aliæ Populi, aliæ Cleri partes erant. Populus ad eas concurrebat poſtulatione & bonæ vitæ teſtimonio; Clerus vero jure ſuffragii: neque Populus in re Eccleſiaſtica dare poterat jus Electo, quod ſolus dabat Clerus. Quare eadem captioſa aſſertio favet Hæreticis, qui Sacrorum Miniſtrorum electiones penes Plebem neceſſario eſſe contendunt. Pulchre Goffridus Vindocinenſis Abbas: *Tota itaque ordinatio Epiſcopi in electione conſiſtit & conſecratione. Hæc autem prius per ſemetipſum Chriſtus fecit, deinde vero vicarii ejus. Et in Apoſtolis quidem a Chriſto facta ſunt, quoniam ab ipſo & electi & conſecrati fuerunt. In aliis vero omnibus a nullis aliis fieri licet, niſi a vicariis Chriſti; ſunt autem vicarii Chriſti Clerici in electione, Epiſcopi in conſecratione. Cæteri omnes petere quidem Epiſcopum poſſunt, eligere vero vel conſecrare non poſſunt* (1).

Quod autem Populus eam omnem, quam in Epiſcoporum electionibus partem habebat, in Principes tranſtulerit, hiſtoricæ veritati manifeſte adverſatur; nam eamdem partem in Antiſtitum electiones conferre conſuevit ipſe Populus uſque ad ſæculum decimum ſecundum, quando ſeditioſis factionibus ſemet ab electionibus ejicere cœpit (2), a quibus tandem ſæculo decimotertio Innocentius III. in Concilio Lateranenſi Populum ſummovit, quamquam & priſcæ conſuetudinis non pauca alicubi veſtigia ſuperfuerint in dies ſingulos fugientia (3). Porro apud Thomaſſinum extant plura documenta & exempla electionum a ſæculo V. ad XII. in Italia, Gallia, Germania & Hiſpania celebratarum, in quas & partem ſuam populus ſemper contulit, & inſimul ſæculares Principes non raro conſenſerunt (4): quod ſane argumento eſt, nec populum facultatem eam omnem, quam obtinebat in electionibus, tranſtuliſse in Principes, nec Principes Aſsenſum Regium præſtitiſse electionibus ex eo, quod populus ejuſmodi

F præ-

(1) *Opuſc. 2.* (2) *Thomaſſ. Diſcipl. part. 2. lib. 2. cap. 32. num. 9.* (3) *Idem ibidem cap. 33. num. 1.* (4) *Vide eumd. ibid. cap. 16. num. 7. cap. 20. num. 2. 4. cap. 21. num. 3. 4. cap. 22. num. 1. cap. 23. num. 7. cap. 24. num. 1. 3. 4. cap. 31. num. 4. cap. 32. num. 1. 10. cap. 35. num. 2. cap. 36. num. 2.*

prærogativam in ipſos tranſtulerit. Quid vero ſentiendum ſit de eodem Aſſenſu infra docebimus (1).

Hæc de diuturno populi concurſu ad elect iones in univerſum dicta ſint: nam quod in regionibus, quæ modo Neapolis Regnum conſtituunt, a tempore S.Gregorii M., quando Longobardi in Italia regnabant, ad ſæculum uſque XII.,quando prædictæ regiones Northmannis parebant, ſuas populus ſacris electionibus partes contulerit, peculiaria monumenta teſtantur. Siquidem, ut alia omittam, id oſtendunt ejuſdem S. Gregorii epiſtolæ inſcriptæ *Clero*, *Nobilibus & Plebi Neapolis*: *Clero*, *Ordini & Plebi Miſeni*, ut Epiſcopum rite eligerent (2), & exemplum Innocentii II., qui anno 1137. in electione Gregorii in Archiepiſcopum Beneventanum vitæ ejus teſtimonium a populo requiſivit (3). Itaque cum ſub Longobardis & Northmannis Principibus populus conſuetam in Epiſcoporum prædictarum regionum electionibus facultatem exercuerit, eam in eoſdem Principes tranſtuliſſe non potuit.

Quid quod eamdem facultatem in Principes Populus ne quidem transferre potuiſſet, etiamſi voluiſſet? Non enim hanc a ſe ipſo habuit, ſed ab Eccleſia accepit, quæ ſicut prius ad Sacrorum Præſulum electiones multitudinem vocare conſuevit, ſic eam poſtmodum repulit, cum Plebis poſtulatione & teſtimonio jam non juvari,ſed factioſis ſeditionibus electiones ipſas turbari animadvertiſſet,ut paulo ante obſervavimus.

Sed ut magis prædictæ aſſertionis falſitas appareat, finge animo, quod Populus eam facultatem in Principes tranſtulerit: illam profecto transferre tantum potuit, quam ipſe habebat: verum non potiorem habebat, neque talem, ut ſine ejuſdem Populi aſſenſu electus Epiſcopus aut Archiepiſcopus in ſua Sede collocari, & Epiſcopatus ſeu Archiepiſcopatus poſſeſſionem capere nequiret, ſed talem tantummodo, qua teſtimonium ferret morum & vitæ eorum, qui ad Epiſcopatum & Archiepiſcopatum eligebantur: hanc igitur, non illam Populus tranſtulit in ſuos Principes, ſi tamen tranſtulit, uti finximus. Ubi

(1) *Art.* XIII. (2) *In nova edit. lib.* 2. *epiſt.* 6. *& lib.* 9. *epiſt.* 76. (3) *Falco Benev. ad an.* 1137.

Ubi autem id legitimi moris aliquando inolevit,ne electi Epiſcopi in Epiſcopali Solio ſederent, aut Epiſcopatus poſſeſſionem inirent, niſi prius Principes aſſentirentur, ejuſmodi Aſſenſus is non erat, quem Principes præſtarent, vel negarent pro libito, ideoque electos arbitratu ſuo approbarent, aut rejicerent, ſed quem præſtare omnino tenerentur: & hoc ipſum non ratione Principatus, non Populi conceſſione, ſed Eccleſiæ indulgentia ſeu Romanorum Pontificum privilegio obtinuerunt. *Electiones*, inquit Innocentius III. ad Conſtantiam Siciliæ Reginam & juniorem ejus filium Fridericum, *ſecundum Deum per totum Regnum canonice fiant de talibus quidem perſonis, quibus vos & hæredes veſtri requiſitum a vobis præſtare debeatis aſſenſum* (1). Conſtitutos proinde ipſis limites prætergreſſi ſunt Principes, quandocumque prætextu Regii Aſſenſus legitimas Epiſcoporum electiones & Epiſcopatuum poſſeſſiones turbare præſumpſerunt (2).

Adverte hic Regii Aſſenſus prærogativam, & quidem peramplam,per Guillelmum Regem ab Hadriano IV. vi extortam (3), ab Innocentio III. contractam, & Conſtantiæ Siciliæ Reginæ conceſſam (4), tandem ſub Clemente IV. a Carolo Andegavenſi cum ſui, tum hæredum ſuorum nomine fuiſſe ejuratam (5).

Indicet modo Anonymus graviſſimos illos Auctores, qui ſentiunt requiſitum fuiſſe olim in omnibus Præſulum Regni electionibus Regium Aſſenſum, quia Populus eam omnem partem, quam in eiſdem electionibus obtinebat, in Principes tranſtulerit. Sane pro hac ſententia à Petro Jannonio (6) unus citatur Duarenus lib.3. de Sac. Eccleſ. Miniſt. cap. 11.; cujus opinio vel ex hoc rejicienda eſt, quia ſingularis, & quia in ejus libro reperitur, qui *permittitur, ſi tamen correctus fuerit* (7).

Rem geſtam hic referre liceat, ex qua plane conſtat, quid de Aſſenſu Principis in ſacris electionibus olim ſenſerit Orientis Eccleſia. Inter cætera, quæ Nicephorus Phocas Im-

F 2 pe-

(1) *Baron. ad an.* 1097. (2) *Thomaſſ. Diſcipl. Part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 3. & 4. (3) *Baron. ad an.* 1097. (4) *Idem ad eundem annum*. (5) *Vide infra art.* XVI. (6) *Tom.*4. *Hiſtor.Civil.lib.*23.*cap.*5. (7) *Vide Indicem Romanum*.

perator egit adverſus Eccleſiæ Libertatem, *Id omnium graviſſimum fuit*, inquit Cedrenus, *quod legem tulit, cui & Epiſcopi quidam leves adulatores ſubſcripſerunt , ne Imperatoris injuſſu ullus crearetur Epiſcopus.* Verum Polyeuctus Patriarcha Conſtantinopolitanus antequam Joannem Tzemiſcam Phocæ occiſorem, & in Imperio ſucceſſorem Cæſareis inſignibus decoraret, voluit *Conſcindi libellum Edicti , quod ad confundendas res Eccleſiaſticas Nicephorus Phocas ediderat .* Ita laudatus Auctor, qui paulo poſt ſubdit: *Edictique libellus prolatus & diſcerptus eſt , priſtinaque Eccleſiæ Libertas reddita* (1).

ARTICULUS XI.

Regius in Sacrorum Præſulum electionibus Aſſenſus falſo pariter adſtruitur ex Eccleſiarum fundationibus , ſive dotationibus , vel reſtaurationibus .

Alterum Regii Aſſenſus fundamentum in eo, ut ſupra vidimus, collocat Anonymus, quod ſæculares Principes Eccleſias fundaverint, aut reſtauraverint, vel reditibus auxerint; atque hæc omnia, quoad Regni Neapolitani Eccleſias, nedum liberaliter, ſed profuſe & large fuiſſe præſtita aſſerit a Longobardis & Northmannis Principibus (2).

Verumtamen quamplurimas olim extitiſſe & adhuc extare Eccleſias a laicis Principibus neque fundatas, neque reſtauratas, neque reditibus auctas novit quiſquis Eccleſiaſticam Hiſtoriam vel a limine ſalutaverit. Quapropter corruit illud univerſale Regii Aſſenſus fundamentum.

Ad Eccleſias vero Regni Neapolitani ſpeciatim quod attinet, ex eis quamplures, ante Longobardorum & Northmannorum Principum Dynaſtias, fuiſſe a fundamentis extructas, reſtauratas & congruis reditibus auctas, & inter has Beneventanam Eccleſiam, quiſque videre poteſt apud Ughellum

(1) *Cedrenus Georg. in Compendio Hiſt. tom. 2. pag. 658. & 1664.* (2) *Anonym. pag. 34.*

lum in Italia Sacra, ubi de ejuſdem Regni Archiepiſcopis & Epiſcopis ſermonem inſtituit.

Sed reſtauraverint, locupletaverint, immo etiam a fundamentis extruxerint aliquas in Regno Eccleſias (neque enim hoc negamus) Longobardi Principes: non tamen inde ſequitur, quod acquiſiverint jus Aſſenſus in electione Antiſtitum eiſdem Eccleſiis præficiendorum, antequam hi Epiſcopatuum poſſeſſionem capeſſerent. Porro ejuſmodi jurium acquiſitioni repugnaſſe eorum temporum diſciplinam a S.Gregorio Magno addiſcimus. Cum enim Subdiaconus quidam Mamertinæ in Sicilia civitatis fundamenta jeciſſet Baſilicæ Martyrum, ſcripſit Gregorius Felici ejus Urbis Epiſcopo, ut fundationi diligenter perpenſæ aſſentiretur; ſed fundatori ſignificaret, exinde in eam Baſilicam ipſi non plus poteſtatis acceſſurum, quam cuique fidelium: *Nunciaturus ex more nihil illic Conditoris juri ulterius jam deberi, niſi proceſſionis gratiam, quæ Fidelibus omnibus in commune debetur* (1). Conſonant duo reſcripta, quibus nomen Gelaſii Papæ præfixum erat, & quæ Gratianus Collectioni Canonum innexuit (2); in iis quippe approbat Pontifex a viris prædivitibus conſtructas in ſuis latifundiis duas Eccleſias, quas & dedicari jubet, propoſita tamen hac lege, *Ut ſibi nihil fundator ex hac Baſilica noverit vindicandum, niſi proceſſionis aditum, qui Chriſtianis omnibus in commune debetur*. Quidquid autem illa verba *proceſſionis gratiam*, *proceſſionis aditum* tandem ſignificent, de quo diſputatur inter Auctores, certum eſt ex allatis teſtimoniis, tunc temporis Eccleſiarum fundatoribus nihil juris fuiſſe attributum in Sacrorum Miniſtrorum electiones. Sed neque in Hiſtoria Longobardorum Principum, quam ex variis in unum collectis opuſculis Camillus Peregrinius adornavit, facile eſt invenire veſtigium Regii in electione Epiſcoporum Beneventi Aſſenſus, qui ex fundationibus, aliiſve ſupradictis titulis profectus fuerit.

Quod deinde ad Northmannos Principes ſpectat, Goffri-

(1) *In nova edit. PP. S. Mauri lib. 2. epiſt. 5. alias lib. 12. epiſt. 10. ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem*. (2) 16. q. 7. *Canon.* Piæ mentis, & *Canon.* Frigentius.

fridus quidem Monachus Rogerio Comiti adſcribit fundationem, ſeu dotationem complurium Siciliæ Epiſcopatuum (1). Quocirca & Epiſcopos eos nominabat Comes (2). At cum non fundarentur, ſi unam Agrigentinam excipias (3), vel dotarentur eæ Eccleſiæ, niſi reſtitutis iis rebus, quas olim poſſediſſent, tunc penes Eccleſiam jus fuit ſemper electiones iis nominationibus ſubrogandi, ut optime obſervat Thomaſſinus (4). Cæterum Rogerium Romanis Pontificibus ob id præter alia fuiſſe infenſum, quod in Epiſcoporum electionibus intemperantius ſe immiſceret, ita narrat Baronius: „ Reperitur „ quod Rogerii I. temporibus non in Sicilia modo, ſed etiam „ in Apulia, cæteriſque ejus Regni Provinciis Epiſcopatus „ per Regios codicillos conferebantur.... Sed per Hadrianum Papam iſta poſtea fuiſſe ſublata, cum conceſſit inveſti„ turam Guillelmo Regi Rogerii filio, ita declarat Rober„ tus Abbas in additamento ad Sigebertum his verbis: „ *Cum Papa Hadriano pacem fecit, concedendo ei conſecratio„ nes Epiſcoporum Regni ſui & Ducatus, ſicut antiquitus eas „ habuit Eccleſia Romana. Unde diſcordia fuerat inter Patrem „ ſuum Rogerium & Innocentium & Eugenium Romanos „ Pontifices* (5). Porro iſta cum aliis ab Antipapa Anacleto „ fuiſſe conceſſa Rogerio quis poterit dubitare, cum aliunde „ acceſſiſſe dici non poſſit, laborantibus in contrarium omni„ bus anteceſſoribus Romanis Pontificibus, & in hoc ipſum „ uſque ad mortem inſiſtentibus, ut iſta a laicis Principibus „ male uſurpata in priſtinum uſum, & Libertatem Eccleſiaſti„ cam revocarent (6).

Ut ad Svevos demum Principes veniamus, Fridericus II., ad quem extincta Northmannorum Regum ſobole Neapolitani Regni ſceptrum pervenit, Regium Aſſenſum veluti abuſum his verbis ejuravit: *Illum volentes abolere abuſum, quem quidam Prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, Decretum de electionibus Prælatorum concedimus & ſancimus, ut electiones Prælatorum libere & canonice fiant* (7). Quod autem

(1) *Thomaſſ. Diſcipl. Part.2.lib.2. cap.37. num. 2.* (2) *Hiſp.Illuſ. tom. 3. pag.333.* (3) *Ibidem.* (4) *Ubi ſupra.* (5) *Robertus de Monte in Append. ad Sigebertum ann. 1157.* (6) *Baron. ann. 1197.* (7) *Apud Baron. an. 1197. & Raynal. an. 1213. num. 24.*

Digitized by Google

tem ibi Fridericus complexus ſit abuſum cujuſque Regii Aſſenſus ſive ante, ſive poſt electiones, ſatis demonſtrat ejuſdem reſcriptum ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi legi juſſum, in quo *Concedebat, ac quitabat, ſi aliquod jus habuiſſet in electionibus Eccleſiarum Regni* (1). Hunc eundem Fridericum expoſtulantem, quod ſe inconſulto quibuſdam Regni Eccleſiis Honorius III. præfeciſſet Antiſtites, monuit Pontifex conſtituendorum Epiſcoporum jus Apoſtolicæ Sedis poteſtati indivulſe cohærere (2).

Si igitur Neapolitanis Regibus in Epiſcoporum electionibus uſurpare Aſſenſum Regium molientibus Romani Pontifices ſemper pro viribus reſtiterunt; rurſus ſi Fridericus II. Apoſtolicæ Sedis nondum apertus hoſtis ipſum Aſſenſum nomine abuſus traduxit ac ejuravit, id ſane argumento eſt eumdem Aſſenſum ab Eccleſiarum fundationibus, reparationibus, vel dotationibus legitime non fuiſſe profectum. Nec Northmanni Reges (ſi unum Rogerium excipias Anacleti Antipapæ, cui favebat, privilegio fretum) ejuſmodi Regii Aſſenſus titulos unquam objeciſſe leguntur Romanis Pontificibus urgentibus electionum libertatem adverſus ipſorum conatus: quod certe facere non omiſiſſent, ſi in Eccleſiarum fundationibus, reſtaurationibus, ſive dotationibus legitimam Regii Aſſenſus originem agnoviſſent.

Non tamen imus inficias, quod Longobardi & Northmanni Principes in Regno Neapolis plura Beneficia, præſertim vero in Beneventana ditione, fundaverint ac dotaverint, Epiſcopatuum item aliquorum dotem auxerint. Sed quid inde pro Anonymi ſententia? Demonſtrandum eſſet, quod iſta illi præſtiterint ea lege, ut penes ipſos eſſet jus Aſſenſus in Sacrorum Præſulum electiones; & rurſus quod Eccleſia hanc legem ſubierit. Bona enim, quæ Deo in Beneficiorum fundationibus, vel dotationibus offeruntnr, ab omni prorſus onere libera juxta Canones cenſentur, niſi aliter ex offerentium voluntate, Eccleſiæque accipientis conſenſu ſit cautum. Quam difficultatem etſi Anonymus ſuperaret, (quod non credimus) reſtat alia non minoris ponderis. Etenim cum Lon-

(1) *Vide Concil. Lugdun. an.1245. celebratum*. (2) *Raynald. an.1226. num. 8.*

Longobardi, Northmannique Principes nec omnes ejuſmodi fundationes, ſeu dotationes, ac Eccleſiarum reparationes, nec ex iis plures peregerint ære publico, ſed proprio, jus Aſſenſus, quod eiſdem acquiſitum aſſeritur, nequaquam dicendum eſt tranſiiſſe ad eos Reges, qui non jure aliquo conſanguinitatis, ſed tantum jure feudi ſucceſſerunt. Denique cum pleraſqueRegni Eccleſias non fuiſſe a Regibus extructas, nec reparatas neque dotatas oſtendant aperte & ipſarum Eccleſiarum antiquitas, & perpetua Fidelium erga eaſdem liberalitas, neſcio quo pacto Anonymus ex titulo fundationis, vel reſtaurationis ſeu dotationis omnes Regni Archiepiſcopatus & Epiſcopatus Regio Aſſenſui, Regioque proinde Edicto indiſcriminatim ſubjectos eſſe velit.

ARTICULUS XII.

Quod olim viguerit ubique diſciplina Regii Aſſenſus in Epiſcoporum electionibus, quodque eam comprobaverint & commendaverint Romani Pontifices, non probatur neque ex Epiſtolis S. Gregorii Magni, neque ex Gratiani Decreto.

Communiſſimam nihilominus eam fuiſſe olim diſciplinam, ne videlicet quis in Epiſcopum electus in Epiſcopali Sede collocari & Epiſcopatus poſſeſſionem capere poſſet, non petito prius ac obtento Aſſenſu laicorum Principum, eamque diſciplinam ab ipſis Romanis Pontificibus fuiſſe commendatam & approbatam aſſerit Anonymus; idque perſpicuum eſſe ait ex pluribus S. Gregorii Magni Epiſtolis & ex Gratiani Decreto (1).

Jure hic miremur hominis impudentiam, qui falſiſſimæ aſſertioni fidem adſtruere præſumit veneranda Romanorum Pontificum, & præſertim S.Gregorii Magni auctoritate. Etenim percurrenti mihi hujus Pontificis epiſtolas plurimæ ſane ex iis occurrunt, in quibus Clerum Nobiles & Plebem Civita-

(1) *Anonym. pag. 21.*

tatum hortatur, ut ſpectatæ virtutis viros in Epiſcopos eligant communibus votis (1), & electos mittant Romam *Cum* Pontificio *conſenſu*, *ſicut priſcis fuit temporibus*, ordinandos (2): At ubinam Gregorius meminit Aſſenſus Principum ea ratione requiſiti, ut hoc prius non obtento, nemo poſſet Epiſcopale Solium conſcendere, nemo Eccleſiarum capere poſſeſſionem? Indicet ipſe Anonymus non dico plures, ſed vel unam Gregorii Epiſtolam, in qua hæc, quam communiſſimam appellat, diſciplina commendetur & approbetur. Habes profecto inter Epiſtolas Gregorii unam (3), in qua Sanctiſſimus Pontifex contra Maximum *Prætenſorem in Salona*, qui ſe electum Epiſcopum juſſione Imperatoris jactabat, urget hujuſmodi juſſiones videri ſubleſtæ fidei: nam *Sereniſſimi Domini*, inquit, *Imperatoris* (Mauritii videlicet) *animum non ignoramus*, *quod ſe in cauſis Sacerdotalibus miſcere non ſoleat*, *ne noſtris in aliquo gravetur peccatis*. Ubi Guſſanvillæus in notis ad eam epiſtolam hæc ſubjicit, licet invitus: „ Negare tamen videtur „ S. Gregorius in more poſitum Epiſcopos iſtis juſſionibus „ promoveri, eos ſcilicet, qui Romano Pontifici ſuberant; „ quamquam ea, quam adducit ratio, quoad omnes æque „ militet„. Altaſerra vero in notis ad eamdem epiſtolam ita monet„: Principes non debent falcem mittere in meſſem alie„ nam, & electioni Epiſcoporum ſe ingerere, nec aliis rebus „ Eccleſiaſticis.

Verum quidem eſt S. Gregorii duas extare epiſtolas, ad Joannem Primæ Juſtinianæ Epiſcopum unam, & ad omnes Illyrici Epiſcopos alteram (4), in quibus Apoſtolico calculo approbat eumdem Joannem fuiſſe electum *Totius Concilii Sacerdotum unito conſenſu*, *& Sereniſſimi Principis voluntate*, nempe Mauritii Imperatoris. Sed hic intelligendam eſſe eam voluntatem, qua Mauritius electioni Joannis a Concilio Sacerdotum celebratæ, ut par erat, obſequutus eſt, non vero voluntatem, ſine qua idem Joannes Epiſcopatus poſſeſſionem conſequi nequiret, patet ex eo quod, ipſo S. Gregorio teſte,

(1) *Vide lib.2. epiſt.6.39. lib.3. ep.14.15.22.26.29. lib.5.ep.22.23.26. lib.6. ep.21. lib.7. ep.20. lib.10. ep.62. lib.13. ep.14. &c. novæ editionis*. (2) *Lib.2. ep.39. lib. 3. ep. 22. &c.* (3) *Lib. 4. ep. 20.* (4) *In nova edit. lib. 2. epiſt. 22. & 23.*

ſe in electionibus Epiſcoporum Mauritius miſcere non ſoleret. Adeſt præterea peculiaris ratio, cur electioni dicti Epiſcopi voluntas Imperatoris acceſſerit. Prima enim Juſtiniana, ut obſervat Guſſanvillæus in notis ad præfatas duas epiſtolas, alias Acridus, nunc vero Locrida in Albania, urbs olim Macedoniæ ad Licnidum lacum, Civitas eſt, in qua natus fuit Juſtinianus Imperator, qui eam inſtauravit, & privilegiis ornavit, jure præſertim Metropolitico Prævalitanæ Provinciæ, immo & primitiali dignitate,& Vicaria Apoſtolicæ Sedis: quod privilegium obtinuit a Vigilio Papa Juſtinianus, prout in Novella trigeſima prima habetur. Inter ea vero jura, ſeu privilegia a Vigilio conceſſa, illud etiam non ſine probabili conjectura fuiſſe dicas, ut electioni Epiſcopi prædictæ Urbis voluntas Græci Imperatoris accederet; eo vel magis quod Prima Juſtiniana quamquam tunc temporis revera ſpectaret ad Patriarchatum Romanum (1), inter Urbes tamen Imperii Orientalis nnmerabatur (2). Non eſt autem hic nobis ſermo de electionibus Orientalibus, in quibus multum ſibi uſurparunt Græci Imperatores, ſed de Occidentalibus, præcipue vero de illis, quæ in Regno Neapolis peragebantur; circa quas in S. Gregorii epiſtolis ne veſtigium quidem extat Regii Aſſenſus, qui Epiſcopatuum ſeu Epiſcopalium Sedium poſſeſſionem præiret. Id etiam hic cum Guſſanvillæo (3) obſervare poſſumus, quod ſi aliquando Imperatorum juſſiones in electionibus, præſertim Orientalibus, quid operabantur, tunc non diſciplinæ parendum, ſed tempori ſerviendum erat, Canonibus tantiſper ſepoſitis; quorum tandem vigor reſtitutus eſt in ſeptima & octava Synodo, cum damnatæ ſunt Potentium molitiones adverſus antiquiſſimam electionum Libertatem.

Venio modo ad Gratiani Collectionem, vulgo *Decretum*, quæ non plus favet Anonymo, quam S. Gregorii Epiſtolæ faveant. Hoc ut clarius pateat, duo prænotanda ſunt; primum, judicium Antonii Auguſtini de Collectione ipſa Gratiani, quod in Epiſtola præfixa Canonibus pœnitentialibus his verbis expreſ-

(1) *Doujat in Append. Prænot. Canonic.* (2) *Auget in notis ad præfatas S. Gregorii epiſtolas.* (3) *In Notis ad epiſt. 20. lib. 4. Epiſtolarum S. Gregorii.*

expreſſit (1): „ Video multos Juris Pontificiis ſtudioſos ve-
„ hementer decipi, qui Gratiani Collectionem parem vim
„ cum Gregoriana habere putant, cum tamen Gregorius IX.
„ Pontificia auctoritate uſus, omnibus in Volumine Decreta-
„ lium contentis vim legis ſtatuerit; Gratianus unius Magi-
„ ſtri & Monachi perſonam gerens, ea, quæ refert, non majori
„ pollere auctoritate potuit efficere, quam ante fuerint. Si
„ quæ igitur ab eodem relata ex Pontificiis indubitatæ fidei
„ Epiſtolis, ex Conciliis generalibus ſumpta, ea ſuprema illa
„ poteſtate, qua excellunt, apud omnes vim legis obtinent.
„ At quæ ex provincialibus Conciliis, aut ex Epiſcoporum, aut
„ aliorum Sanctorum Libris, aut Epiſtolis accepta ſunt, ea
„ generalem non habent auctoritatem. Accidit autem ſæpe,
„ ut falſæ ſint apud Gratianum inſcriptiones ſingulorum Ca-
„ pitum; ita ſit, ut ne illa quidem Capita vim legis obtineant,
„ quæ dicuntur eſſe ſumpta ex Romanorum Pontificum, aut
„ ex generalium Conciliorum Decretis: ſed neceſſe eſt adire
„ fontes, unde emanarunt, ut certa ab incertis diſtinguamus „.
Secundum, quod „ quamvis Romani Correctores (2) ſub
„ Gregorio XIII. emendatius ediderint Decretorum Opus,
„ non adeo abſolutum omnibus numeris opus nobis effece-
„ runt, ut non ſequentium curis aliquid laboris reliquerint,
„ cum non pauca ſuperſint, quæ caſtigationem adhuc aliquam
„ deſiderare videntur. Et quidem non immerito Bellarmi-
„ nus (3) in eo præſertim Gratianum reprehendi poſſe exiſti-
„ mat, quod non habuerit delectum Auctorum, ex quibus
„ Decreta collegit, adducitque aliqua loca in ejus rei exem-
„ plum „. Ita Doujat.

His prænotatis, ad quæ ſi Anonymus reſpexiſſet, vel ea a nobis non ignorari animadvertiſſet, nullatenus Gratiani Collectionem adduxiſſet in ſuæ cauſæ patrocinium, diſcutiendi jam ſunt ejuſdem Collectionis Canones, qui in Epiſcoporum electionibus quoquo modo Sæcularium Principum requirunt Aſſenſum. Hi habentur in Diſt. 63. ubi de Electionibus agitur, & ad quinque numerantur. Primus eſt in dicta Di-

(1) *Apud Doujat Prænot. Canonic. lib. 4. cap. 14.* (2) *Doujat ibidem* (3) *De Script. Eccleſ. in Gratiano.*

ſtinct. Canon nonus, qui ad literam deſumptus eſt ex ſupracitata Epiſtola S. Gregorii ad Joannem Primæ Juſtinianæ Epiſcopum, cui jam reſpondimus. Secundus & tertius Canon ſunt in eadem Diſtinctione decimus ſextus & decimus ſeptimus, qui ibidem tribuuntur Leoni IV. in Epiſtolis ad Lotharium & Ludovicum Auguſtos, atque ad Ritam Comitiſſam. At in Editionibus Conciliorum Labbæi, tum primis, tum noviſſimis nullæ tales Leonis IV. extant Epiſtolæ. Quartus Canon eſt in prædicta Diſtinctione decimus octavus, qui ibi excerptus aſſeritur ex Epiſtola Stephani Papæ (quem hujus nominis IV. eſſe ſcribit Van-Eſpen (1) ab Anonymo laudatus) ad Guidonem Comitem. Verum in præfatis Conciliorum Editionibus nulla Stephani IV. ad Guidonem Comitem ſcripta Epiſtola reperitur. Quintus denique Canon eſt in eadem Diſtinctione vigeſimus quintus, qui ibidem depromptus legitur, ut revera eſt, ex Concilio Toletano duodecimo cap. 6., in quo hæc habentur: *Unde placuit omnibus Epiſcopis Hiſpaniæ, ut ſalvo privilegio uniuſcujuſque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcumque regalis poteſtas elegerit, & jamdicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet Provinciis in præcedentium Sedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores.* In quem Canonem, poſt verba Loaiſæ, quæ pro ſe affert Van-Eſpen (2), hæc Loaiſa ſubdit, quæ Van-Eſpen ſubdole omiſit. „ Omnia „ autem hæc fiebant conceſſione Romanæ & Apoſtolicæ Se„ dis, cujus auctoritatem Eccleſia Hiſpaniæ majorem in mo„ dum coluit & obſervavit (3) „. Ex eo igitur Toletanæ Synodi Canone deduci nequit diſciplina, quæ a jure Principatus originem traxerit, quæ communiſſima fuerit, ac commendata & approbata ab ipſiſmet Romanis Pontificibus, ſed conſuetudo in Hiſpaniis tantum vigens, quam Toletana Synodus ex conceſſione Apoſtolica invexerit: niſi malimus dicere hanc ipſam conſuetudinem ex privilegio Apoſtolico haudquaquam inductam, ſed fuiſſe potius abuſum pernicioſiſſimum, qualem probant Literæ Petri Regis Aragonum, quas infra (4) profe-

re-

(1) *Jur. Eccleſiaſt. part. 1. tit. 13. cap. 3.* (2) *Loc. cit.* (3) *Loaiſa in Notis ad Concil. 12. Toletan.* (4) *Art. ſeq.*

remus : quem abuſum a Gothis Regibus jampridem invectum cum Toletani Patres eliminare ſe non poſſe cernerent, præſenti malo occurrentes meliori quo poterant modo, ſtatuerunt, ut quos Regalis poteſtas elegiſſet, num ii digni eſſent Epiſcopali faſtigio, a Toletano Præſule probarentur. Ubi etiam vides non Regis, ut vult Anonymus, ſed Toletani Antiſtitis ſupremum judicium & Aſſenſum fuiſſe deſideratum, ut electi a Rege Epiſcopalium Sedium poſſeſſionem caperent.

Cæterum ſi ex Gratiani Collectione res definienda eſt, noſtra procul dubio eſt victoria. Sunt enim in eadem Diſtin. *63*. plures Canones, & quidem excerpti ex legitimis & genuinis fontibus Conciliorum Generalium, nimirum Conſtantinopolitani IV. & Nicæni II., ut ibidem adnotatur (1); qui Canones laicos Principes ab Epiſcoporum, aliorumque Sacrorum Miniſtrorum electionibus prorſus arcent. Quocirca Anonymum non immerito homini comparaverim, qui ex collectione gemmarum cujuſcumque generis eas ſeligat, quæ parvi aut nullius valoris, ſive etiam falſæ ſunt, ut imperitis atque ipſarum ſpecie deceptis quamplurimi vendat.

ARTICULUS XIII.

Quæ congeſta ſunt a Chriſtiano Lupo & Van-Eſpen, monumenta nullatenus probant eam olim fuiſſe omnium Eccleſiarum diſciplinam, ut laici Principes jus Aſſenſus in Epiſcoporum electionibus exercerent.

QUod Occidentis Imperatores & Beneventani Principes exercuerint jus Aſſenſus in Beneventani Præſulis electione, hoc extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe ſcribit Anonymus, additque „ Fruſtra laborare mo„ do Romanos Scriptores occultandi cauſa hance illorum „ temporum praxim; ex hiſtoria enim Eccleſiaſtica jam clare „ demonſtrari eam fuiſſe olim omnium Eccleſiarum diſciplinam

(1) *Diſt. 63. Can. 1. 2. 7.*

„ nam in Epiſcoporum & Archiepiſcoporum electionibus, ut
„ inter alios plurimos oſtenderunt Chriſtianus Lupus in Diſ-
„ ſert. de Regia Nominat. tom.3. Schol. præfixa cap. 6., &
„ Van-Eſpen Jur. Eccl. part.1. tit.13. cap.3. (1).

Multa, fateor, congerit Lupus loco modo indicato, ut demonſtret legitimum Regum Conſenſum in Canonicas Electiones, quæ omnia & ſingula quoniam nimis longum foret refellere, aliqua in Lupum ipſum ſubjicere & ad præcipua ab eodem allata monumenta reſpondere pro re præſenti ſatis erit.

Et primo quidem quænam ſit vel non ſit legitima, atque univerſalis in unaquaque re Eccleſiæ praxis ac diſciplina, unde, quæſo, ſecurius ac verius peti poteſt, quam a Conciliis Œcumenicis, quorum eſt poſt Romanum Pontificem leges ferre pro tota Eccleſia ad diſciplinam pertinentes. Atqui Synodus Septima Oecumenica Epiſcoporum electiones ab Epiſcopis peragendas, & Metropolitani, non vero laicorum Principum Aſſenſu confirmandas eſſe decernit (2). Rurſus Concilium Generale Octavum expreſſius oſtendit illum Regum Conſenſum in Sacrorum Antiſtitum electiones non fuiſſe legitimum, dum ita ſtatuit: *Promotiones atque Conſecrationes Epiſcoporum concordans prioribus Conciliis, Electione ac Decreto Epiſcoporum Collegii, fieri ſancta & univerſalis hæc Synodus definit & ſtatuit: atque jure promulgat neminem laicorum Principum vel Potentum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio vel contentio; præſertim cum nullam in talibus poteſtatem, quemquam Poteſtaticorum vel cæterorum laicorum habere conveniat, ſed potius ſilere ac attendere ſibi, uſquequo regulariter a Collegio Eccleſiaſtico ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Si vero quis laicorum ad concertandum, & cooperandum ab Eccleſia invitatur, licet hujuſmodi cum reverentia, ſi forte voluerit, obtemperare ſe adſcientibus; taliter enim ſibi dignum Paſtorem regulariter ad Eccleſiæ ſuæ ſalutem promoveat. Quiſquis autem Sæcularium Principum vel Potentum, vel alterius dignitatis*

(1) *Anonym. pag. 21.* (2) *Synodus VII. Gen. Can. 3.*

tis laicus adverſus communem & conſonantem, atque Canonicam electionem agere tentaverit, Anathema ſit, donec obediat ac conſentiat, quod Eccleſia de electione ac ordinatione proprii Præſulis ſe velle monſtraverit (1). Cernis per hunc Canonem Sæculares quoſque Principes a negotio electionum non ſolum fuiſſe repulſos, dum hæ fierent, ſed juſſos ne quid agere tentarent contra eaſdem jam peractas, ipſorumque Conſenſum non expetitum, ſed imperatum ſub pœna Anathematis. Doceat nunc Anonymus, doceat Lupus, quo pacto ea fuerit omnium Eccleſiarum diſciplina, atque legitimus ille arbitrarius Regum Conſenſus, contra quæ ipſamet Eccleſia in Concilio Oecumenico congregata procuſſit Canonem, & quidem Anathematis fulmine obarmatum. Cernis etiam in hoc ſolum Regum Conſenſum fuiſſe legitimum, quod quandoque ipſi Reges, cæterique laici Principes vocati ſint ab Eccleſiis ad cooperandum electionibus. Et id quidem reponi poteſt aliquibus ex momentis a Lupo allatis.

Verumtamen Lupum contra Lupum jure hic opponere poſſumus. Ipſe enim Regum Conſenſum in electiones Canonicas, quem in cit. Diſſert. de Reg. Nominat. cap. 6. vocat legitimum, in Scholiis ad præfatum Synodi Octavæ Canonem appellat *Servitutem*, cui Barbari Romanæ Reipublicæ *Dilaceratores*, inter quos recenſet Northmannos, Eccleſiam ſubjecerunt, dum Sacras Electiones a ſuo arbitrio fecerunt pendulas, utpote quæ ſine prævia eorum licentia non eſſent faciendæ, vel jam factæ ipſorum ſuffragio eſſent confirmandæ. Item appellat INSOLENTIAM Græcorum Auguſtis, atque Francorum Regibus SOLEMNEM, & REGIUM JUGUM, quod excutere ſemper conata ſit Eccleſia Romana, quodque circa Innocentii III. tempora plane videatur excuſſum.

Inſuper Lupus in Diſſertatione ab Anonymo indicata laudat S. Ivonem Carnotenſem Epiſcopum, quod adverſus Hugonem Primatem Lugdunenſem aliter opinantem, per vigeſimum ſecundum Octavæ Synodi Canonem excludi Reges exiſtimet a ſola Epiſcoporum electione, ſive activo ſuffragio, non vero a Conſenſu in electiones jam celebratas. At idem Lu-

(1) *Synodus VIII. Gen. Can. 22.*

Lupus in Scholiis ad eumdem Octavæ Synodi Canonem ſcribit S. Ivonem ejus diſtinctionis beneficio conatum eſſe ſaltem palliare graſſantem adhuc ſuo tempore in ſuis Regibus BARBARAM VIOLENTIAM; eum tamen errare evinci ait ab ipſiſſmet verbis ejuſdem Canonis.

,, Neque refert ,, (ſubdit ibidem Lupus reſpondens auctoritati Summorum Pontificum, qua Ivo firmare curat ſententiam ſuam) ,, quod Sancti Romani Pontifices quandoque apud ,, Reges pro electis Epiſcopis, ut eis Epiſcopatus, ad quos ,, erant canonice electi concederentur, intercesſerint, ac ,, eorumdem Conſecrationem, prout impetraretur iſta conceſſio, diſtulerint. Etenim diſpenſatoria fuit iſta patien- ,, tia ſequens propheticam Regulam: *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo*. Et hinc Reges conceſſionem ,, iſtam ,, (hoc nomine venire Regiam electionum Confirmationem, ſive Regium Conſenſum in electiones jam peractas ibi docet Lupus) ,, facere pertinaciter recuſantes fre- ,, quenter excommunicavit, eorumque Regna Eccleſiaſtico ,, per multos dies interdicto ſubjecit eadem Romana Eccle- ,, ſia, idque ex auctoritate noſtri Canonis........ Quare ,, de ipſo ad Manaſſem Remenſem Epiſcopum recte ſcripſit ,, S. Ivo, quod *Canonicas electiones vetat* ALIQUA RATIONE ,, *a Regibus impediri* (1).

Ita, inquam, Lupus in Scholiis ad vigeſimum ſecundum Synodi Octavæ Canonem. (2) reſpondet Literis Romanorum Pontificum a S. Ivone in Epiſtola ad Hugonem Lugdunenſem (3) pro ſua ſententia tantum indicatis, & quas idem Lupus in Capite ſexto Diſſertationis de Regia Nominatione putat eſſe Leonis IV. ad Lothanium & Ludovicum Auguſtos, & Stephani IV. ad Guidonem Comitem apud Gratianum, eaſque ibi affert pro Aſſenſu Regio, oblitus ſcilicet eorum, quæ in Scholiis ad prædictum Canonem contra ipſum Regium Aſſenſum antea dixerat. Has autem Summorum Pontificum Epiſtolas cum eſſe apocryphas ſupra oſtenderimus, eæ nihil jam nobis negotii faceſſunt. Præterea ipſemet Lupus alibi oſtendit præſertim ex Epiſtolis Hadriani I. liberas omnino in Ita-

(1) *S. Ivo Epiſt.* 102. (2) *Chriſt. Lupus Tom.* 3. *nova Edit.* (3) *S. Ivo Epiſt.* 60.

Digitized by Google

Italia & Thuſcia fuiſſe electiones; & ſibi objiciens Epiſtolam Leonis IV. ad Lotharium & Ludovicum Auguſtos, quam genuinam eſſe putat, & in qua Regium Conſenſum pro Reatino Epiſcopo Pontifex poſtulat, reſpondet fuiſſe NOVUM GENUS VIOLENTIÆ, quod Reatinum Epiſcopum ſine ſuo Aſſenſu conſecrari non permiſerit Imperator Lotharius (1).

Laudatam ſuperius propheticam Regulam ſecutum eſſe Joannem VIII. non immerito dixerim, ſi quid de rigore Canonum aliquando remiſit in ſuis Epiſtolis, a Lupo pro Regio Aſſenſu allatis, ut nimirum Sæcularibus Principibus, præſertim vero Imperatoribus & Galliarum Regibus, morem gereret. Ad id enim eum impulerunt illorum temporum acerbitates, ut paratum haberet, quod enixius implorabat, (ſicuti conſtat ex pluribus ejus Epiſtolis) illorum Principum auxilium adverſus Saracenos Italiam populantes, majoremque in dies vaſtationem minitantes. Sed de Joanne VIII. iterum inferius.

Citat etiam pro Regio Aſſenſu Lupus extantes apud Sirmondum (2) antiquas Epiſcopalium electionum formulas, quibus electum ſuum Clerus & Populus præſentabant Regi, & ſibi in Epiſcopum concedi ſupplicabant. Verum Sirmondus ibidem narrat hac in re reclamaſſe ſæpe numero Epiſcopos Gallos, atque in Synodis ſuis priſtinam electionem Libertatem ſartam tectam retinere fuiſſe conatos, videlicet in Concilio Aurelianenſi III. Can. 3. in Avernenſi Can. 2. in Aurelianenſi V. Can. 11. in Pariſienſi III. Can. 8. in Pariſienſi V. Can. 8. in Remenſi Can. 25. & in Cabillonenſi Can. 10. Unde apparet, etſi tandem vicerit Regia auctoritas, hanc tamen victoriam non juri, ſed violentiæ eſſe tribuendam: niſi cui magis placeat cum Marca eam dicere legitimam ex conceſſo ab Apoſtolica Sede privilegio (3).

Ut morem Regii Aſſenſus in Hiſpaniis quoque viguiſſe oſtendat Lupus, innuit Literas, in quibus Petrus hactenus Aragonum Rex eidem Aſſenſui a ſe & a ſuis Prædeceſſoribus

H uſur-

(1) *Lupus Tom. 4. in Diſſert. de Laica Antiſt. Inveſtit. cap. 1.* (2) *In præfat. de antiq. Epiſc. promot., quæ habetur tom. 8. Concil. Labbæi verſus finem.* (3) *Concord. lib. 8. cap. 16. num. 8.*

uſurpato renunciavit. Sed ſilentio præterit inibi ab eodem Rege morem Regii Aſſenſus dici PESSIMAM CONSUETUDINEM. *Regi Regum*, inquit, *per quem Reges regnant reverentiam debitam exhibentes, & Sponſæ ejus Sanctæ videlicet Eccleſiæ integram libertatem conſervare volentes*, PESSIMAM CONSUETUDINEM *a Noſtris hactenus conſervatam, qua electiones Prælatorum ſine noſtro Conſilio & Aſſenſu procedere non permittebamus, amore Dei & Sanctæ Eccleſiæ, & pro remedio animæ noſtræ & Patrum noſtrorum relaxamus, vobiſque* (nempe Regni Aragoniæ Epiſcopis, ad quos Epiſtola data eſt) .... *liberam eligendi facultatem per nos & per omnes Succeſſores noſtros, Aſſenſu Regio minime requiſito, in perpetuum indulgemus*. Hæ Regiæ Literæ ab Innocentio III. referuntur & approbantur (1).

Quicquid demum ſit de priſca conſuetudine Regii Aſſenſus in aliis Regionibus, profecto in Regno Longobardorum ſub Carolo Magno & ejus Succeſſoribus nequaquam viguiſſe hunc morem, ut Regius Conſenſus in Epiſcoporum electiones requireretur, diſerte probat ibidem Lupus (2) ex Epiſtolis ſeptima & decima Hadriani I. ad ipſum Carolum Magnum apud Sirmondum. Diſtinguit pariter ibi Lupus inter Eccleſias, quæ ad Romani Epiſcopi Metropoliticam olim ampliſſimam, & inter Eccleſias, quæ ad Patriarchalem duntaxat ejuſdem poteſtatem ſpectabant, uti etiam nunc ſunt Eccleſia Aquilejenſis & Mediolanenſis. Harum quidem, non illarum confirmandis, aut etiam dirigendis electionibus ſe miſcuiſſe, ait Lupus, Longobardorum, necnon Gothorum Reges; contra Canones tamen: nam & earumdemmet Eccleſiarum Confirmationem, non excepta Metropoli Ravennatum, ſubdit ſibi ſoli juxta Canones ſervaſſe Romanam Eccleſiam.

Hoc ipſum comprobat Lupus auctoritate Flori Diaconi Lugdunenſis, qui ſub Caroli Magni Filio & Nepotibus claruit. Hic enim in erudito de Epiſcoporum electionibus Opuſculo ita ſcribit: *In Romana Eccleſia uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis, ſolo diſpenſationis divinæ judicio, & Fidelium ſuffragio legitime Pontifices conſe-*

(1) *Epiſtol. lib. 10. Epiſt.* 144. (2) *De Reg. Antiſt. Nominat. cap.* 6.

ſecrari, *qui etiam omnium Regionum & Civitatum*, *quæ illi ſubjectæ ſunt*, *juxta antiquum morem*, *eadem libertate ordinant*, *atque conſtituunt Sacerdotes* (1).

Obſerva hic Beneventanam Eccleſiam ſub Longobardorum, Caroli Magni, & Succeſſorum Imperio uſque ad annum 969., quando, ipſo fatente Anonymo, erecta fuit in Metropolim (2), pertinuiſſe ad Eccleſiæ Romanæ Provinciam, ideoque juxta ea, quæ a Lupo doceri diximus, uſque ad eumdem annum 969. (tunc temporis imperabat Otho I.) neque Longobardorum Principes, neque Occidentis Imperatores ſe ullatenus inſeruiſſe electionibus Beneventanorum Præſulum, haſque proinde ab omni prorſus Regii Aſſenſus ſervitute fuiſſe immunes. Nam „ quod Romanæ Metropoli ſubjectas Eccle- „ ſias ab avita Canonum libertate in Regii Placiti ſervitutem „ transfixerit hac in re parum pius Ludovicus „ falsò aſſerit loco citato Lupus deceptus a ſuppoſititiis Epiſtolis Leonis IV. ad Auguſtos, & Stephani IV. ad Guidonem Comitem. Quid autem ſentiendum ſit de Regio Aſſenſu ſub Othonibus, Northmannis & Svevis infra dicetur (3).

Sed & quam infirmus fuerit magnificus titulus Regii Aſſenſus, ubi is viguit, exponit ipſemet Lupus ex eodem Floro, qui in laudato Opuſculo hæc ſubdit: *Quod in quibuſdam Regnis conſuetudo obtinuit*, *ut conſultu Principis ordinatio fieret Epiſcopalis*, *valet utique ad cumulum fraternitatis propter pacem & concordiam mundanæ poteſtatis*, *non tamen ad complendam veritatem vel authoritatem ſacræ ordinationis*, *quæ nequaquam Regio Potentatu*, *ſed ſolo Dei nutu & Eccleſiæ fidei conceſſu cuique conferri poteſt*. Quæ Flori verba plane oſtendunt Regium, qui alicubi vigebat, Aſſenſum non fuiſſe neceſſario requiſitum, ſed *Propter pacem & concordiam* toleratum, & a Regibus non pro arbitrio, ſed ex obligatione Canonicæ electioni præſtandum. Quod ipſum docet S. Gregorius VII. *Rex*, inquit, *oblatæ nobis ſuæ promiſſionis memor electionem Matiſconenſem non ſolum non impediat*, *ſed eum*, *quem debet*, *Aſſenſum præbeat*. Et rurſum: *Quod ſi fa-*

(1) *Florus Lugdunenſis apud Lupum Diſſert.*, & *cap. cit.* (2) *Anonym. pag.* 9.
(3) *Art.* 15.

cere noluerit, indubitanter noverit, nos hanc Eccleſiæ ruinam (quam nimirum Anonymus vocat Eccleſiæ diſciplinam) *nequaquam diutius toleraturos, ſed ex auctoritate Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli duram inobedientiæ contumaciam Canonica auctoritate coercituros* (1). Et Gregorius IX. *Non prohibemus*, ait, *quin Regis requiratur Aſſenſus, ſed propter hoc ipſam Electionem nolumus infirmari* (2). Hæc & alia ejuſmodi habet Lupus ſub fine prædicti ſexti Capitis, cujus proinde ſententia de legitimo Regum Conſenſu in Canonicas electiones deſinere tandem videtur in Conſenſum a Regibus ex officio præbendum.

Obſervare quoque hic non pigeat Regium Aſſenſum ab Eccleſia exagitatum, & de loco exturbatum, non ſemel mutaſſe ſedem: nunc enim eum reperies in ipſomet actu electionum, nunc ante, nunc poſt electiones. Quinimmo veluti Protheum varias eum induiſſe formas indicat ipſa appellationum diverſitas, quibus apud eumdem Lupum a Scriptoribus donatur. Modo enim appellatur *Conceſſio Epiſcopatus*, modo *Regis Juſſus*, *Licentia*, *Suffragium*, *Voluntas*, modo *Regis & Procerum Regni Sanctio*, modo *Regalis Convenientia & Imperiale Donum*, modo *Principis Ordinatio*, *Conſenſio*, ſeu *Conſenſus*, modo *Nutus*, *Interrogatio* & *Conſultus Principis*. Unde liquet, quanta ſit Anonymi confidentia erigentis in diſciplinam omnium Eccleſiarum eam rem, de qua, (nam tot eſt induta nominibus) quærere jure poſſis, quod Hebræi de manna omnigenis imbuto ſaporibus: QUID EST HOC (3)?

Quæ hucuſque diximus in Lupum, eadem fere in Van-Eſpen pariter dici poſſunt; nam hic potiora ſaltem monumenta, quæ affert pro Aſſenſu Regio (4), mutuatus eſt ab ipſo Lupo.

Infer ex dictis Regium Aſſenſum, qui olim non ubique, ſed alicubi in ſacris electionibus requirabatur, & ſine quo Electi Epiſcopalium Sedium poſſeſſionem capere non permittebantur, originem duxiſſe, non, ut perperam ſentit Anonymus, ex jure Principatus, ſed pro varietate Regionum & vario Regum ingenio, vel ex præpotentia Principum, qui ma-

(1) *S. Greg. VIII. Epiſt. 33. & 36. apud Lupum loc. cit.* (2) *De Elect. cap. 14. apud eumdem.* (3) *Exod. 16. 15.* (4) *Loc. ſupra ab Anonym. cit.*

maxime è re ſua eſſe duxerunt Epiſcopos habere ſibi devinctos, vel ex conniventia Eccleſiæ *Propter pacem, & concordiam mundanæ poteſtatis*, vel denique ex jurgiis, & tumultibus in electionibus oriri ſolitis, ad quos compeſcendos neceſſe habuit Eccleſia advocare ſæcularium Principum auxilium (1), ut electiones rite procederent, & Simoniaci, aliaſve manifeſte indigni, intruſique repellerentur (2). Hinc ubi idem Aſſenſus ex præpotentia Principum natus eſt, & aliquandiu conſervatus, iniquus ſemper fuit, & uſurpatus; ubi ex conniventia Eccleſiæ, fuit toleratus; ubi ex neceſſitate arcendi impedimenta canonicæ electionis, dummodo præſcriptos limites non prætergregeretur, fuit legitimus; ſicut legitimus ſemper extitit, qui ex privilegio Apoſtolicæ Sedis electionibus rite celebratis præſtari debuit.

Finem huic Articulo imponimus rogantes æquum & doctum Lectorem, ut jam judicet, num traducendi ſint veluti Romanæ Curiæ Aſſentatores (quod facit Anonymus) Scriptores illi, quos occultandæ Regii Aſſenſus diſciplinæ in omnibus Eccleſiis olim receptæ fruſtra jam poſt Lupum, & Van-Eſpen adlaborare idem Anonymus aſſerit (3); an potius cenſendi ſint Adulatores ſæcularium Principum illi Scriptores, qui una cum Anonymo eam quondam diſciplinam ubique viguiſſe ſentiunt.

ARTICULUS XIV.

Quæ ex Epiſtola S. Innocentii I., & ex Juſtiniani Legibus Anonymus profert Teſtimonia, ejus cauſæ adeo non proſunt, ut potius noceant, noſtræque faveant.

UT oſtendat Anonymus, quod mutatis in diviſione civili Provinciarum politicis rebus, Eccleſiaſtica Politia adhuc immota permaneat, affert S. Innocentii I. ſententiam, qui ab Alexandro Antiocheno interrogatus, num ſemper Ec-

cle-

(1) *Thomaſſ. Diſcipl. part. 2. lib. 2. cap. 6. num. 14.* (2) *Lupus tom. 4. nova edit. pag. 130. §. Notanda ſunt.* (3) *Anonym. pag. 21.*

cleſia imitari debeat Imperiales Provinciarum partitiones? In hæc verba reſpondit: *Non viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari, honoreſque, aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator. Innocent. epiſt.* 18. *num.* 2. *ad Alex. Antioch. tom.* 2. *Concil. pag.* 1269. Affert etiam Juſtiniani Imperatoris teſtimonium, qui duabus in quatuor Provincias diviſis Armeniis, *Novel.* 31. *cap.* 2., ita decernit: *Quæ vero ad Sacerdotia ſpectant, ea (ut ſæpe diximus) volumus in priſtina manere forma, negotio ipſo neque circa jus Metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem, vel novationem ſuſcipiente, ſed prius ordinatis nunc quoque ex ordinatione auctoritatem obtinentibus, & prioribus item Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, ut quantum ad ipſa nihil penitus innovetur.* Adducit quoque ex *Novel.* 28. *cap.* 2. aliud Juſtiniani teſtimonium, qui duabus Elenoponti unitis Provinciis, *Nihil*, inquit, *circa Sacerdotium illarum innovamus*. Hinc concludit:
„ Tanto minus poſſe ſomniari a quoquam aliquam accidiſſe in
„ Archiepiſcopatu Beneventano mutationem propter conceſ-
„ ſum Romano Pontifici ejus unius Urbis temporale domi-
„ nium, atque ob eam cauſam tum Principem, tum Provin-
„ ciæ incolas amiſiſſe illa jura, & prærogativas, quibus antea
„ in eodem Archiepiſcopatu fruebantur (1).

Omnia in hoc argumento vera ſunt præter concluſionem, quæ falſo, ut ajunt, laborat ſuppoſito. Non enim in Archiepiſcopatu Beneventano obtinuit aliquando laicus Princeps jus aliquod aut prærogativam, de quibus dici poſſit, quod mutato Beneventi dominio, penes eumdem Principem immota perſeveraverint. Sed neque ejus Provinciæ incolæ umquam jure aliquo vel prærogativa potiti ſunt, vi quorum ſive ab Archiepiſcopatu, ſive ab aliis Beneficiis in eodem Archiepiſcopatu conſtitutis alienigenæ arcerentur, ſicut hucuſque oſtendimus, & deinceps oſtenſuri ſumus.

Ea autem ab Anonymo allata teſtimonia, ſi res bene perpendatur, noſtram potius, quam illius Cauſam juvant. Etenim S. Innocentio & Juſtiniano ſermo eſt de partitionibus & unio-

(1) *Anonym. a pag.* 18. *ad* 19.

Digitized by Google

& unionibus Provinciarum, quæ tunc temporis ita fiebant in ditione Imperii, ut Provinciarum ſive diviſarum, ſive unitarum temporale dominium penes Imperatorem remaneret: propterea que jura in res Eccleſiaſticas ipſimet Imperatori ſemper eadem, prætenſa tamen ac uſurpata, & nunquam legitima manebant, utpote quæ ab ipſo temporali Provinciarum dominio naſcebantur. At nobis ſermo eſt de diviſione Beneventanæ Civitatis a Regno Neapolis, quæ non ita accidit, ut ejuſdem Urbis dominium temporale penes Neapolitanos Reges manſerit; ſed ita, ut manſerit penes Romanum Pontificem, aut ſi mavis, ad hunc tranſierit; penes quem proinde manſiſſe, vel ad quem tranſiſſe fatendum eſt, quidquid Juris in Beneventanum Archiepiſcopatum laici Principes olim prætenderint, aut ſibi uſurpaverint. Siquidem penes quem manet, ſeu ad quem tranſit Urbis alicujus temporale dominium, ea quoque jura, ſive vera, ſive conficta, ſive legitima, ſive uſurpata penes eumdem maneant, aut ad eumdem tranſeant, neceſſe eſt, quæ nonniſi ab ejuſmodi dominio proficiſcuntur, vel proficiſci aſſeruntur.

Illud item hic recolendum eſt, quod alibi obſervavimus, videlicet Beneventi dominium non ea ratione fuiſſe mutatum, ut Northmanni, retento ſibi Regno Neapolis, unam Beneventi Urbem Pontifici conceſſerint; ſed ea ratione, ut Pontifices Romani, conceſſo Northmannis Regno Neapolis, quod iſti invaſerant, Beneventanam ſibi Civitatem retinuerint: ac proinde hic nobis eſſe quæſtionem de diviſione, quam non Princeps laicus, ſed quam pro ſuis cauſis duxit faciendam Summus Pontifex; quem propterea ſibi retinuiſſe nemo ambigat quidquid priſci juris in Archiepiſcopatum Beneventanum comminiſci quis poſſit.

Quid, quod a ſe & pro ſe allatis Innocentii & Juſtiniani teſtimoniis Anonymus Cauſam ſuam jugulat, iiſdemque noſtra defenditur? Facta ſiquidem diviſione Neapolitani Regni ab Hiſpano Imperio, Carolo Regi III., qui poſtea Imperator VI. vix illud Regnum adepto idem Anonymus tribuit jus excludendi ab ejuſdem Regni Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, cæteriſque Beneficiis, immo etiam ab Archiepiſco-

patu

patu Beneventano alienigenas: quo profecto jure Hiſpani Reges nunquam uſi ſunt, neque eodem unquam ſe præditos agnoverunt. Et viceverſa Romano Pontifici negat ineſſe jus conferendi Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Beneventanum præſertim, cæteraque Regni Beneficia etiam extraneis: quo jure pariter carere contendit omnes ejuſdem Regni Præſules in diſpenſandis Beneficiis, quæ ad ipſorum diſtributionem pertinent. Verum hoc eodem jure vocandi ad Regni Beneficia etiam alienigenas tum Romanos Pontifices, tum ipſiuſmet Regni Præſules ſemper fuiſſe potitos, atque uſos continuata ad noſtra uſque tempora praxis oſtendit. Ejuſmodi itaque jus perantiquum, poſt diviſum nuper ab Hiſpano Imperio Regnum Neapolis, Summis Pontificibus, Regnique Præſulibus recuſare, & novum illud Carolo Regi concedere in Beneficiorum negotio, quid eſt aliud, quam *Ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum* velle *Eccleſiam Dei commutari*, *& quæ ad Sacerdotia ſpectant*, ea nolle *in priſtina manere forma*, jam *negotio ipſo*, ſicut etiam alibi obſervavimus, *mutationem, & novationem ſuſcipiente*, nec non multa innovare *circa Sacerdotia* nedum Præſulum Regni, ſed Romani Pontificis, contra reclamationibus & laudato S. Innocentii Reſponſo, & adductis Juſtiniani Legibus? *Jam ne vides*, *jam ne ſentis*, Anonyme *frater*, *jam ne intelligis te argumentis tuis contra te militaſſe* (1)? Expendenda hic eſſent, quæ de temporali Beneventi dominio nutante penes Apoſtolicam Sedem narrat Anonymus (2): ſed ea in III. Part. art. 2. commodius examinabimus.

A R-

(1) *S. Opta. Milev. lib. 2. de Schiſm. Donatiſt.* (2) *Anonym. pag. 19.*

ARTICULUS XV.

Jus Regii Aſſenſus in ſacris Neapolitani Regni Electionibus, præcipue vero in electione Beneventani Antiſtitis, non probant exempla, quæ ab Anonymo proferuntur.

NOn meliori ſucceſſu oſtendere nunc ſtudet Anonymus, quod Occidentis Imperatores, Beneventi Principes, Northmannique Reges jus Aſſenſus in ſacris electionibus, præcipue Beneventanis, reipſa exercuerint, quam hactenus demonſtrare rationibus & Scriptorum auctoritate ſtuduerit eoſdem Principes, Regeſque eo jure in omnibus Regni Eccleſiis, Beneventana non excepta, olim fuiſſe potitos. Quotquot enim ad id ſuadendum exempla profert, ea non juris exercitium, ſed injuriæ probant violentiam. Hoc ut aperte pateat, ſingula ab ipſo Anonymo allata exempla proferemus, & noſtras ad illa reſponſiones ſubjiciemus.

„ Quamquam Ferdinandus Ughellus in ſerie Præſulum „ & Archipræſulum Beneventanorum ab habenda exerciti „ ejus juris mentione abſtinuerit; attamen eidem verba fa- „ cienti de electione Alonis, qui ſecundus fuit Beneventa- „ nus Archiepiſcopus, neſcio quomodo ex calamo exciderit, „ ipſum Alonem ab Othone II. fuiſſe electum, ac in illa Se- „ de poſitum, atque a Joanne XIV. anno 984. conſecra- „ tum (1).

Narrat quidem Ughellus Alonem, non ab Othone II. qui anno 984. jam obierat, ſed ab Othone III. qui tunc temporis imperabat (2), fuiſſe electum, & in Beneventana Sede collocatum; at id eveniſſe addit obniſu, & potentia ipſiuſmet Othonis. Unde Othone defuncto, Alo Benevento prorſus expulſus, & a dignitate ejectus, alio a civibus electo Archiepiſcopo, exul vitam amiſit (3). Propterea Anonymus, qui te-

(1) *Anonym. pag. 21.* (2) *Vide Petav. Rat. Temp. tom. 2. ſub finem, & Franciſ. Pag. Brev. Geſt. Pontiſ. Rom. edit. Venet. tom. 2. in ſerie Imperat. Occid.* (3) *Ughel. tom. 8. Ital. Sac. de Archiep. Benevent.*

temere Ughellum arguit ſtudioſæ negligentiæ in commendandis memoriæ Beneventanæ Eccleſiæ electionibus, ſæcularium Principum opera peractis, vere ſemet ſimilis culpæ reum pronunciat, dum ea tacet de electione Alonis, quæ modo retulimus, & quæ in Ughello a ſe citato non potuit non legiſſe.

,, Northmanni noſtri Reges, qui in eadem jura ſucceſ-
,, ſerunt, illa exercere continuarunt, præſertim vero Ma-
,, gnus Rogerius I. Rex Siciliæ (1).

Hic ille eſt Rogerius, quem S. Bernardus in ſuis epiſtolis tyrannum appellat (2), qui Anacletum & Victorem Antipapas coluit, qui ab Honorio II. primum (3), deinde ab Innocentio II. in Concilio Lateranenſi fuit excommunicatus (4), in quem idem Innocentius movit exercitum hac inter alias de cauſa, ſi Azorio fides (5), quod ſibi Epiſcoporum electiones uſurparet, cujus tandem geſta in eumdem Innocentium Otho Friſingenſis ita perſtringit: *Rogerius Innocentium Papam in Apuliam cum militia Romanorum venire volentem, flagitioſe in Christum Domini manum mittens ex inſidiis cœpit, & Regii nominis inter alia ab eo auctoritatem, & abſolutionem anathematis extorſit* (6). Ex quibus omnibus facile colligere quiſque poteſt, num juri, an injuriæ tribuenda ſint, quæ in Epiſcoporum electionibus egit Rogerius.

His, aliiſque, quæ in Rogerium ex Baronio ſupra diximus (7), addi poſſunt, quæ idem Baronius ex Joanne Sariſberienſi ibidem ita refert. ,, Narrat is Auctor Robertum Ro-
,, gerii Cancellarium Eccleſiam Avellanam tunc forte vacan-
,, tem, tribus diverſis, qui oblato pretio eam expetebant,
,, per ſimulatam ſpeciem addixiſſe, ac deinde quartum quem-
,, dam, nec opinantem, illis rejectis, conſecrandum curaſſe;
,, quæ quidem per ſucceſſores legitimos Romanos Pontifices,
,, præſertim vero per Innocentium III. cujus de horum abro-
,, gatione extant diplomata, abroganda fuerunt (8).

Hæc omnia una cum iis, quæ alibi (9) ex Baronio retulimus,

(1) *Anonym. pag.* 21. (2) *Apud Baron. ann.* 1097. (3) *Pag. Franciſ. Brev. Geſt. Rom. Pontif. in Honorio II. num.* 8. (4) *Falco Benevent. in Chron. ad an.* 1139. (5) *Inſtit. Moral. part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 43. (6) *Otho Friſing. lib.* 7. *cap.* 24. (7) *Art.* XI. (8) *Apud Baron. ad ann.* 1097. *ubi de Monarch. Sicil.* (9) *Art.* XI.

mus, qui bene perpenderit, procul dubio cognoſcet, qualenam fuerit exercitium, qualis radix & terminus ejus juris, ſeu Regii Aſſenſus, quem a Rogerio I. continuatum commendat Anonymus. Exercitium plane fuit vi extortum, & ſimoniaca labe pollutum, cujus radix ab Antipapa proceſſit, cujus continuatio ſimoniam redoluit, cujus terminus fuit Apoſtolica abolitio. Stat ſua tamen laus iis, quæ Ille præclare geſſit(1).

Quoniam vero Anonymus jus Aſſenſus contendit fuiſſe exercitum a Rogerio in electionibus omnium quidem Regni Antiſtitum, ſed præſertim Beneventanorum, etſi ea Civitas Pontificiæ ditioni ſubeſſet, opportune occurrit electio cujuſdam Gregorii in Beneventanum Archiepiſcopum, de qua Falco, qui aderat, ita ſcribit: *Innocentius in Sacro Beneventano Palatio ſedens in conſpectu Cleri & Populi Beneventani clamavit, ut ſi quis contra perſonam ſive electionem Gregorii Beneventani electi, canonice & rationabiliter opponere vellet, libera fronte opponeret; & quia nemo Civium contra ejus electionem objecit, die adveniente Dominico, Apoſtolicus ipſe electum conſecravit* (2). Nulla hic mentio Aſſenſus præſtiti eſt ſive a Rogerio, ſive a Lothario II. Imperatore, qui tunc temporis Beneventi degebat (3).

„ Et quoniam, pergit Anonymus, Papæ de eodem
„ Regio Aſſenſu Rogerio litem ſæpe movebant volentes, ut
„ electiones, Sede vacante, Clero liberæ forent, in fœdere
„ Hadrianum IV. Pontificem inter & Guillelmum I. icto,
„ eum hic Princeps convenire voluit, promittens præſtitu-
„ rum ſe Aſſenſum hac adjecta conditione, quæ apud Ray-
„ naldum, alioſque Auctores legitur: *Si perſona illa de pro-*
„ *ditoribus, aut inimicis noſtris, vel hæredum noſtrorum non*
„ *fuerit, aut magnificentiæ noſtræ non extiterit odioſa, vel alia*
„ *in ea cauſa non fuerit, pro qua non debemus aſſentire* (4).

Ita ſane. Sed I. ex Baronio obſervare debuit Anonymus „ Rogerio mortuo, filium ipſius Vvillelmum inveſtitu-
„ ram... quæſiviſſe ab ipſo Hadriano ejus nominis IV. cujus
„ cauſa haud fuit leviter altercatum, ex petente illo litteris
„ ſuis inveſtituram conditionibus valde iniquis, ac fortaſſe

I 2 iiſdem,

(1) *Baron.* 1139. (2) *Falco Benevent. ad an.* 1137. (3) *Falco ibid.* (4) *Anonym. pag.* 21.

Digitized by Google

,, iiſdem, quibus Rogerius pater Regnum accepiſſet ab Ana-
,, cleto. At licet legati Hadriani ei pacis cauſa miſſi, viſi ſint
,, ex parte aliqua his, quæ petierat, conceſſiſſe, Hadrianus
,, tamen omnino reſiliit, nec inveſtituram concedere voluit
,, cum infamibus conditionibus illis, ſed aliis plane contra-
,, riis (1),,. II. Animadvertendum Anonymo erat, cujuſnam indolis fuerit Guillelmus I. & qua ratione, fracto priori fœdere, alias poſtmodum pacis conditiones jurium Eccleſiæ inimicas ab Hadriano extorſerit. Etenim Guillelmus hic cognomento Malus Beneventana palatia populatus eſt, & alia oppida Eccleſiæ occupavit in Hernicis; qui idcirco ab Hadriano excommunicatus facinora facinoribus addens, Apuliam hoſtili animo ingreſſus loca omnia, quæ Romanæ Eccleſiæ parebant, flamma & ferro conſumpſit (2), ac tandem ipſum Hadrianum ſummum Pontificem Beneventi obſeſſum compulit ad ſubeundas iniquas pacis leges, quæ nullius proinde momenti fuiſſe cenſendæ ſunt, ut obſervat Baronius (3). Certe quæ contra Eccleſiaſticam Libertatem, urgente neceſſitate, per vim, metumque ab Hadriano Guillelmus extorſit, novis pactis & honeſtioribus conditionibus interpoſitis, penitus abolita poſtmodum fuerunt ab Innocentio III. qui cum Conſtantia Imperatrice, ejuſque Filio Friderico è ſtirpe Sveva (ad quem, extincto virili genere Northmannorum Regum, per ipſam Conſtantiam Neapolitani Regni ſceptrum tranſiit) rem ita compoſuit, ut Eccleſiaſtica Libertas in priſtinum reſtitueretur (4).

Nec quemquam moveant, quæ ſubdit Anonymus:,, Quam-
,, vis Innocentius III. pactum ab Hadriano cum Guillelmo
,, initum adulterare curaverit, non tamen auſus fuit abolere
,, Regium Aſſenſum, hoc uno contentus, quod quotieſcum-
,, que idem fuiſſet a Regibus Aſſenſus requiſitus, eum Reges
,, canonicis electionibus præſtare tenerentur; ſicut ipſemet
,, Innocentius decernit in ſuo Diplomate apud Raynaldum,
,, quo Regnum Neapolis Conſtantiæ feudatario jure conceſſit:

(1) *Baron. ad an.* 1097. (2) *Vide Franciſ. Pag. Brev. Geſt. Pontific. Rom. in Hadriano IV. num.* 13. & 15. (3) *Baron. ad ann.* 1097. (4) *Baron. ibidem*.

„ ſit: *Electiones autem ſecundum Deum per totum Regnum canonice fiant de talibus quidem perſonis, quibus vos, ac hæredes veſtri requiſitum a vobis præbere debeatis Aſſenſum.*
„ lib. 1. epiſt. 410. Quod ipſum inculcat in epiſt. 411. ad
„ eandem Conſtantiam, & in epiſt. 412. ad Regni Præſules,
„ quæ Epiſtolarum ejus tom. 1. leguntur. Atque hoc pacto
„ Innocentius ex ſexu, & Friderici pueritia proficiens eum-
„ dem Aſſenſum ad ceremoniam quandam reducere cogita-
„ vit, prætendens cognoſcere ipſemet cauſas, propter quas
„ Aſſenſum Princeps præſtare non deberet (1).

Hæc, inquam, neminem moveant; nam hunc qualemcumque Aſſenſum nequaquam veluti jam in more poſitum, & legitimum Innocentius approbavit, ſed tamquam quid novum, & gratiam ſpecialem conceſſit, ut liquido conſtat ex citata epiſtola 411. ad Conſtantiam Reginam, ubi hæc ſcribit: *Nec novum, nec injuſtum exiſtit, ſi Regno Siciliæ gratiam facimus ſpecialem . . . ſi . . . vobis deferre velimus, & ſalva juſtitia, & Eccleſiarum canonica libertate petitionibus veſtris aſſenſum facilem exhibere.* Conſtat etiam ex epiſtola cit. 412. ad Archiepiſcopos, Epiſcopos & univerſum Siciliæ Clerum, in qua hæc leguntur: *Si chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Conſtantiæ Imperatrici Reginæ una cum chariſſimo filio illuſtri Rege Siciliæ in multis gratiam facimus ſpecialem, non eſt ab aliquibus in admirationem ducendum, cum Regnum Siciliæ ad jus, & propietatem Eccleſiæ Romanæ pertineat.* Subnectit deinde in utraque epiſtola Innocentius prærogativam Regii Aſſenſus eo modo, quo Anonymus retulit; quam proinde patet veluti quid novum, & ſpeciale donum fuiſſe conceſſam.

„ Verum, objicit Anonymus, grandior factus Fride-
„ ricus advertens fuiſſe Hadriani & Guillelmi pactiones ab
„ Innocentio immutatas, antiqua jura repetiit, Regio Aſſen-
„ ſui electos omnes ſubjecit electiones ſæpe ſæpius rejiciens,
„ nec permittens, ut recens electi in Antiſtites ſine conſenſu
„ Regio Sacris Sedibus imponerentur: unde ortæ lites inter
„ ipſum Fridericum & Gregorium IX. atque Honorium III.
„ Innocentii ſucceſſores (2).

Obje-

(1) *Anonym. a pag. 21. ad 22.* (2) *Anonym. pag. 22.*

Objectioni reſpondet ipſe Honorius III. dum Fridericum ea, quæ ab Anonymo laudantur, perpetrantem per hæc verba coarguit: *Et quid eſt, quod jamdudum audivimus, & nuper etiam perculit aures noſtras, quod ad Epiſcoporum electiones videlicet manus extendas? Electioni Averſanæ præſertim Eccleſiæ, & Epiſcopatuum in Provincia Salernitana vacantium te immiſcens, an forte ſuſpiras ad Progenitorum tuorum abuſum, quem Dominus zelotes abominans, illis ita ſua providentia obviavit, ut præter te, vix de ipſorum progenie ſuperſit? Sed & recolis abjuraſſe te abuſum eumdem, & bonæ memoriæ Innocentio Papæ Prædeceſſori noſtro, & poſtmodum nobis renunciationem hujuſmodi privilegio confirmaſſe* (1).

Verba, quibus Regii Aſſenſus abuſum, Innocentio prius, & deinde Honorio id exigentibus, ejuravit Fridericus, in ejus Diplomate hæc ſunt: *Illum igitur volentes abolere abuſum, quem quidam Prædeceſſorum noſtrorum exercuiſſe dignoſcuntur, Decretum in electionibus Prælatorum concedimus, & ſancimus, ut electiones Prælatorum libere, & canonice fiant, quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel major, & ſanior pars illius duxerit eligendum* (2).

Eumdem Fridericum alibi Honorius denuo ita perſtringit: *Dicis jus Regibus Siciliæ in electionibus Prælatorum, ſicut aſſeris, debitum ex antiquo noſtris Conſtitutionibus minorari. Verum ſi ſcripta tua, & Genitricis tuæ manu ſollicitudinis volviſſes, ſi Sanctorum etiam Patrum Conſtitutiones adverteres, non culpares Eccleſiam circa defenſionem Eccleſiaſticæ libertatis, cum non debeat de proſecutione mordere juſtitiæ, qui contendere nititur de abuſu* (3). Hæc Honorius III. in Fridericum jam grandiuſculum, de quo pariter Gregorius IX. ita poſtea conqueſtus eſt: *Si quando Eccleſias contingat Paſtoris ſolatio viduari non permittuntur ſibi Sponſum eligere, & viduitatis veſtimenta deponere, donec adulterinis alicujus amplexibus, qui non canonice, ſed per impreſſionem ele-*

(1) *Apud Raynald. ad an.* 1221. *num.* 32. (2) *Apud Baron. ad an.* 1097. *ubi de Monarch. Sicil.* (3) *Apud Raynald. ad an.* 1226. *num.* 8.

electus, aut alias intruſus fuerit, extiterint copulatæ (1). Jam vero in concertationibus de Regio Aſſenſu habitis Friderico ne, an Honorio & Gregorio juſtitia faverit, judicium ſit penes Lectorem. Unum addo; eumdem Fridericum jam ſenem reſipuiſſe, ac emendaſſe ea, quæ ab ipſo adhuc juniore geſta adverſus Eccleſiæ Libertatem ab Anonymo laudantur. Etenim in ultimis tabulis inter alia hæc ſcribi voluit: *Item relinquo totam Terram Eccleſiæ liberam, & volo, quod jura Eccleſiæ reſtituantur* (2).

Cæterum Anonymum latere non potuit Fridericum, cujus grandioris facti in reſtituendo Regio Aſſenſu ſolertiam commendat, illum eſſe, quem propter plurima perjuria, ſacrilegia, in Eccleſiam Romanam molitiones, & præſertim propter ab eo vetitas, everſaſque Canonicas electiones (3) Gregorius IX. anathemate percuſſit, deinde Innocentius IV. in Concilio Oecumenico Lugdunenſi I. iterum a Fidelium Communione ſemovit, & approbantibus Concilii Patribus, ab Imperio depoſuit; ſic enim habet in epiſtola ad Carolum Andegavenſem ipſemet Innocentius: *De Regno ipſo Fridericum, ſacro approbante Concilio, privavimus* (4).

En qualem demum in Sacrorum Præſulum electionibus Aſſenſum ab omnibus Neapolis Regibus uſque ad Andegavenſes continuatum aſſerat Anonymus (5), Aſſenſum utique uſurpatum, tyrannicum, ſacrarum electionum iniquum everſorem, ſimoniacum, a Summis Pontificibus diris devotum, & ab ipſis etiam Regibus ſub abuſus nomine ejuratum. En quales religioſiſſimo piiſſimoque Cæſari in Rogerio I. Guillelmo I., & potiſſimum in Friderico II. propoſuerit, ut eos imitaretur, Aſſenſus Regii Aſſertores. Profecto ſi a vi & injuria deductum argumentum valet ad jus legitimum aſſerendum, poterit aſſerri exemplum Neronis, qui S. Petrum in crucem egit, aliorumque ethnicorum Cæſarum, qui Pontifices alios ultimis ſuppliciis affecerunt, ut nimirum iſtiuſmodi exemplis Imperatoribus adſtruatur legitimum jus necis in Romanos Pontifices. Di-

(1) *Apud Raynald. ad an.* 1236. *num.* 15. (2) *Apud Matth. Pariſ. cit. a Baron. ad an.* 1097. (3) *Raynald. ad an.* 1239. *n.* 1. 2. 3. (4) *Raynald. ad. an.* 1253. *n.* 2. (5) *Anonym. pag.* 22.

Diſcutienda remanet obſervatio digna plane auctore ſuo, quam Anonymus ſubnectit, videlicet „ Tot inter contentiones a Friderico II. adverſus Romanos Pontifices Eccleſiaſticarum electionum cauſa ſuſceptas, haudquaquam „ fuiſſe in controverſiam vocatum Regium Aſſenſum quoad „ Archiepiſcopatum Beneventanum, ex eo quod ejus urbis „ dominium ad Eccleſiam Romanam tranſiſſet; ſed hunc cæterorum Regni Archiepiſcopatuum ſubiiſſe ſortem, nec „ cuiquam veniſſe in mentem, eum putandum non eſſe Regni Archiepiſcopatum, ac idcirco omne in eumdem jus ab „ ejus Regibus fuiſſe amiſſum (1).

Hæc ſane obſervare omiſiſſet Hiſtoricus Juririſconſultus, ſi attentius conſuluiſſet hiſtorias. Etenim ab incœptis Honorium III. inter & Fridericum II. concertationibus, nempe ab anno 1221., quo idem Pontifex ademptam fuiſſe ſacris electionibus Libertatem a Friderico conqueſtus eſt, ut ſupra vidimus, uſque ad annum 1250. quo idem Fridericus e vivis exceſſit (2), unica tantum vice vacaſſe Beneventanam Sedem patet ex ſerie Archiepiſcoporum Beneventi apud Ughellum (3). Tunc autem, eodem videlicet anno 1221. Ugolinus ex nobili familia de Comitibus electus eſt ab ipſo Honorio Archiepiſcopus Beneventanus, & ab eodem Pontifice Romæ conſecratus (4). Nec tamen legimus in hujuſmodi electione, obtentu Regii Aſſenſus, ſe immiſcuiſſe Fridericum, a quo cæteroquin canonicas Regni electiones fuiſſe jamdudum turbatas relatæ ſuperius Honorii Epiſtolæ demonſtrant.

Sed & eamdem Anonymi obſervationem non habere hic locum evincunt tum Romanorum Pontificum ſagacitas, tum Friderici feritas humanorum, divinorumque jurium impatiens. Quorſum enim Summi Pontifices pro Libertate omnium Regni electionum ex æquo decertantes objeciſſent Friderico rationem, quæ pro ſolis Beneventanis electionibus valeret? Num vero talis erat Fridericus, qui ſacris Canonibus pro ſacrarum electionum Libertate ſtantibus obſiſteret, obſequeretur autem Pontificiæ in Urbe Beneventana dominationi, cui in-

(1) *Anonym. a pag. 22. ad 23.* (2) *Pagi Franciſ. Brev. in Innocentio IV. num. 45.* (3) *Ughel. Ital. Sac. tom. 8. in Archiep. Benev. num. LXVIII.* (4) *Ughel. ibidem.*

innixa eſſet Beneventanæ electionis Libertas? At etiam anno 1239. Beneventanæ Civitati cladem maximam a ſæviente Friderico fuiſſe illatam ejus ævi Scriptores affirmant (1). Conſtat quoque ex publico documento apud Ughellum (2), anno 1246. nomine ejuſdem Friderici Beneventi ſediſſe Judicem Limkenulphum quemdam, qui etiam litem inter Archiepiſcopum & Clericos exortam lata ſententia diremit. Qua ergo ſpe felicis exitus, ſi eo tempore Beneventanæ Sedis vacatio accidiſſet, Friderico prætexenti Regium conſenſum in Archiepiſcopi electionem oppoſuiſſent Romani Pontifices tranſlatum ad Apoſtolicam Sedem Beneventi dominium, quod ille invaſerat? Hæc jura ſunt, quæ in Pontificiæ ditionis urbem ſemel uſurpata uſque ad ultimam ſenectutem non amiſit Fridericus; jura nimirum cladium, jura pervaſæ dominationis & proſtratæ Eccleſiaſticæ Libertatis. Jam vero, ut Anonymum etiam liberalitate vincamus, ſit.

ARTICULUS XVI.

Etſi daremus vera eſſe, quæ pro Regio Aſſenſu hucuſque Anonymus diſſeruit, & nos confutavimus, adhuc ipſe cauſa caderet.

NAm I. Sæcularium Principum conſenſus in Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Electiones talis non erat, quo extranei ab Epiſcopatuum & Archiepiſcopatuum faſtigio excluderentur. Liquet id, quoad Regnum Neapolis, de quo in præſentia ſermo, plurimis exemplis, quæ ab ævo S. Gregorii Magni ad ſæculum uſque decimum tertium continuata legimus: quo ſæculorum intervallo Regii Aſſenſus praxim in eodem Regno Anonymus viguiſſe aſſerit (3). Omnia vero hujuſmodi exempla quoniam nimis longum eſſet referre, ex iis aliqua tantum ſubjicimus, quibus aſſertionis noſtræ veritas ſatis ſuperque eluceſcet. Ut autem rem paulo altius repetamus, ſæculo Chriſti quarto Nolæ S. Paulinus origine Romanus, ortu Aquitanus, Theani S. Paris Athenienſis, Brun-

K

(1) *Apud Ughel. ubi ſupra num. LXVIII.* (2) *Ibidem.* (3) *Anonym. pag.21.*

Digitized by Google

Brunduſii Aproculus Romanus; quinto ſæculo Beneventi S. Sophius Britannus, Surenti S. Renatus Gallus, Capuæ S. Priſcus Africanus, Andriæ S. Ricardus Anglus; ſæculo ſexto Neapoli Fortunatus; (hunc, cujus patria non indicatur, alienigenam putamus: certe Neapolitani Paulum Nepeſinum aut Florentium Eccleſiæ Romanæ Subdiaconum, vel Prælatum ſibi dari in Præſulem paulo ante peroptarunt, ut refert Ughellus) ſæculo ſeptimo, quo ineunte S. Gregorius Magnus adhuc in vivis agebat, Gallipoli Sabinus, ſeu Sabinianus patria Romanus, cui idem S. Gregorius ſcripſit Epiſtolam, Brunduſii Theodorus, ſeu Theodoſius natione Græcus, Tarenti Maſona origine Gothus; ſæculo octavo Crotone Thoſinus Græcus; ſæculo nono Capuæ S. Paulinus Britannus, Theate Theodoſius Gallus; ſæculo decimo Neapoli Nicetas Græcus; ſæculo undecimo Beneventi S. Milo Arvernus, Siponti Albertus Placentinus, Reghii Raingerius Gallus, Tropeæ Kolachinus Græcus; ſæculo duodecimo Beneventi Lombardus Placentinus, Ugolinus de Comite, Salerni Guillelmus Ravennas, Siponti Gerardus Veronenſis, Capuæ Gaufredus Gallus; ſæculo demum decimo tertio Neapoli Algerus Burgundus, Barii Corradus Germanus, Trani Nicolaus Remenſis, Antiſtites floruerunt (1). Poſt ſæculum decimum tertium ad noſtra uſque tempora frequentiora occurrunt exempla eorum, qui, licet extranei, Regni Neapolitani Eccleſiis præfuerunt (2): nam recentior ætas ipſorum patriam retinuit, & poſterorum memoriæ mandavit.

Hæc cum ita ſint, dum Anonymus ab antiquitatis ſcriniis erutum Regium Aſſenſum pertrahit ad fulciendum recens Regium Edictum, quo alienigenæ a ſacris Regni Infulis repelluntur, quid aliud facit, quam ut tribuat eidem Aſſenſui eam vim, qua olim caruit? Quid aliud agit, quam ut evertat ipſius venerandæ antiquitatis praxim, eodem Regio Aſſenſu haud obſtante, tot electionum extraneis faventium exemplis ſtabilitam, ad noſtram uſque ætatem continuatam, nulloque Imperatorum, Principum & Regum Neapolis Edicto hactenus

(1) *Vide Ughellum in Ital. ſac., ubi de Epiſcopis & Archiepiſcopis, quorum nomina recenſuimus.* (2) *Vide eumdem ibid. in Archiep. & Epiſc. Regn. Neap. poſt ſac. 13.*

nus impugnatam? Conſuetudines Eccleſiarum ſunt ſervandæ ab incolis: etenim invaluerunt reverentia eorum, qui illis ab initio præfuerunt, & qui illis deinceps ſucceſſerunt. Nam hi tamquam leges acceptas per manus poſteris tradiderunt, non ſatis pium atque ferendum arbitrati, ſi traditiones, in quibus educati eſſent, non honorifice colerent, ſed comtemptui haberent.

Videat itaque Anonymus, quo fundamento ad muniendam legem de arcendis alienigenis Regius trahatur Aſſenſus, quem etſi antiquitus in omnibus Eccleſiarum Regni electionibus, ut ipſe ait, requiſitum fuiſſe concederemus, liquet tamen talem numquam extitiſſe, qui alienigenas a Regni Præſulatibus excluderet. Eam propterea legem ſatis damnat ipſa novitas, quæ vel in ipſo Regio, quo communitur, Aſſenſu inceſſit vetuſtatem. Rurſus, ſi Occidentis Imperatores, Longobardi, Northmanni, Svevique Reges obtentu Regii Aſſenſus non expulerunt extraneos ab Epiſcopatibus & Archiepiſcopatibus, in Regno, ideſt in ipſorum ditione conſtitutis, quî Anonymus obtentu ejuſdem Aſſenſus Regium Edictum, ut illi placet, munientis vult expelli extraneos a Beneventana Sede, quæ in ditione Pontificia collocatur? *Satis multo dormiſti tempore*, Anonyme, *qui poſt tot ſæcula, nunc excitatus hæc loqueris*.

II. Quamquam aſſentiremur Longobardos Principes, ſive etiam ipſorum prædeceſſores, penes quos erat Beneventi dominium, fuiſſe potitos jure Aſſenſus in electione Beneventani Antiſtitis, fateri nihilominus deberet Anonymus hujuſmodi jus una cum temporali dominio ejus urbis ad Romanos poſtmodum tranſiſſe Pontifices. Aſſenſus quippe Regius, juxta ipſum Anonymum, ideo in ſacrorum Præſulum electionibus requirebatur, quia Principes gerebant vices Populi, qui omnem, quam habebat in iiſdem electionibus, facultatem ad ipſos Principes tranſtulerat (1). Solus autem Populus Beneventanæ Civitatis, non totius item Diœceſis, vel Archidiœceſis Beneventanæ facultatem obtinebat in electione ſui Præſulis aut Archipræſulis. Id manifeſte evincitur ex electione

(1) *Anonym. pag.* 33.

ne cujuſdam Gregorii, quem *In conſpectu Cleri & Populi Beneventani* nihil contra objicientis Innocentius II. ad Beneventanam Sedem extulit, ut ſupra narravimus (1). Quinimmo hanc quoque fuiſſe aliarum fere Eccleſiarum diſciplinam S. Leonis Magni, & S. Gregorii item Magni epiſtolæ ſatis innuunt. Sanctus enim Leo ita ſcribit: *Metropolitano defuncto, cum in locum ejus alius fuerit ſubrogandus, Provinciales Epiſcopi ad Metropolitanam Civitatem convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium Civium voluntate diſcuſſa ... optimus eligatur* (2). Sanctus vero Gregorius epiſtolas hortatorias ad Canonicam electionem peragendam inſcribebat *Nobilibus, Clero, & Plebi* Civitatum, in quibus Epiſcopales Italiæ Sedes vacabant, ut ſuperius obſervavimus (3). Non ergo Populus totius Diœceſis, ſeu Archidiœceſis, ſed ſolum Populus Beneventanæ urbis eam, quam ſolus habebat in Beneventani Antiſtitis electione facultatem, tranſtulit in ſuos Principes, qui deinde alii in alios ejuſdem urbis Dominos camdem tranſtulerunt: qua idcirco facultate ad ſe demum tranſmiſſa unus nunc gaudet Romanus Pontifex, tamquam legitimus Beneventi Princeps, ſeu Dominus; ideoque Regia omnis facultas, Regius Aſſenſus omnis ab electione Archiepiſcopi Beneventani prorſus excluditur.

III. Undecumque tandem emerſerit Regius in ſacras electiones conſenſus, illi renunciaſſe Andegavenſes Principes, quando Regnum Neapolis Sedis Apoſtolicæ beneficio acceperunt, ipſemet fatetur Anonymus (4). *Nec ante electionem, ſive in electione, vel poſt, Regius Aſſenſus, vel Conſilium aliquatenus requiratur, quam utique libertatem vos, & veſtri hæredes ſemper manutenebitis* (5). Ita Clemens IV. cavit, & Carolus Andegavenſis conſenſit, cum huic idem Clemens utriuſque Siciliæ Regnum feudatario jure conceſſit. Hac eadem lege poſteriores Romani Pontifices Caroli ſucceſſoribus non ſolum e ſtirpe Andegavenſi, ſed Aragonia & Auſtriaca Regnum Neapolis tributarium conceſſerunt, ut videri poteſt apud Raynaldum, & alios Scriptores. Nec ea novi ju-

(1) *Art. XIV.* (2) *Epiſt.* 84. (3) *Art. XII.* (4) *Pag.* 21. & 22. (5) *Apud Raynald. an.* 1265. *num.* 19.

juris inſtitutio fuit, ſed reſtitutio antiquiſſimi, ut bene advertit Thomaſinus (1). Eumdem Aſſenſum jampridem ejuraverant e ſtirpe Northmanna & Sveva Reges Neapolis, Rogerius I. ſcilicet, & Fridericus II., quorum primus Eccleſias ſuæ ditionis in Summi Pontificis poteſtate dimiſit, & ſecundus Aſſenſum abſtulit tamquam abuſum, ſicut alibi diximus.

Hinc, qua ratione Anonymus (quantum ad præſentem quæſtionem ſpectat), tantopere conatus ſit, Occidentis Imperatoribus, & Longobardorum, Northmannorum, Svevorumque ſanguine prognatis Regibus adſtruere jus conſentiendi in electiones omnium Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Regni Neapolis, Benevento non excepto, certe non video, cum eidem prætenſo juri Andegavenſes tandem Reges renunciaſſe idem ipſe fateatur. Numquid enim, ſola Regii jamdudum aboliti Aſſenſus refricata memoria, nunc reviviſcere, aut ad fulciendum recens Edictum de arcendis alienigenis, & ad ſubjiciendum eidem Edicto Beneventanum Archiepiſcopatum quid conferre poteſt idem Regius Aſſenſus, cui Andegavenſes renunciarunt, & cujus renunciationi ſubſcripſerunt, quotquot ſucceſſerunt Aragonii & Auſtriaci Reges? Cum neutrum ab homine ſanæ mentis dici poſſit, quorſum igitur reducere Anonymus ſategit tot diſcordiarum & ſcandalorum fomitem, tot cauſam bellorum & cladium, Regium videlicet Aſſenſum jamdudum abolitum & obſoletum, toties a Romanis Pontificibus utroque gladio percuſſum, & ab ipſis Neapolitanis Regibus toties ejuratum? Scilicet ubi veræ deſunt, ad falſas rationes recurritur *Ita veras imitantes, ut non ſolum tardos, ſed ingenioſos etiam minus diligenter attentos decipiant* (2), atque adeo, ut veritatis defectum ſuppleat orationis artificium. Semper tamen hoc verum erit, quod obſervat Thomaſſinus „ eſſe cauſam ſpecialem, & per- „ neceſſariam, ut vigeant & dominentur Libertates Eccleſia- „ ſticæ in iis maxime Regnis & Locis, quæ in ditione ſunt „ Apoſtolicæ Sedis earum vindicis & cuſtodis (3).

AR-

(1) *Diſcipl. part.2. lib.2. cap.37. num.3.* (2) *Auguſt. de Doct. Chriſt. lib.2. cap.31.*
(3) *Thomaſſ. ibid.*

ARTICULUS XVII.

Diluitur argumentum petitum ab Electionibus Epiſcoporum Germaniæ.

UT argumento deſumpto ab æqualitate rationis demonſtret Anonymus Reges Neapolis non amiſiſſe jus conſenſus in electionem Beneventani Antiſtitis, ex eo quod ad Sedem Apoſtolicam tranſierit ejus Civitatis temporale dominium, aſſerit „ Carolum Magnum, Ludovicum Pium, Lo„ tharium & præcipue Othonem I., necnon alios horum in „ Imperio Germanico ſucceſſores, ex dono tranſtuliſſe in „ plures Germaniæ Epiſcopos dominium temporale earum „ urbium, in quibus Epiſcopales ipſorum Sedes collocaban„ tur; adeout ſpiritualis & temporalis poteſtas in iiſdem Epi„ ſcopis unà coaleſcerent: nec tamen exinde Epiſcopatuum „ naturam fuiſſe immutatam, neque Imperatores amiſiſſe ea „ jura, quibus antea potiebantur in electionibus, & in aliis „ rebus ad exteriorem Eccleſiaſticam Politiam pertinentibus: „ non enim temporale dominium unius Epiſcopalis Civitatis „ quid commune habere cum Epiſcopatu, exteriorique ejus „ Politia (1).

Cujus argumenti vis, cum in eo tota conſiſtat, quod falsò ſupponitur, videlicet quod Germani Imperatores potiti aliquando fuerint jure in electionibus Epiſcoporum, aliiſque Eccleſiaſticis rebus, prorſus concidit propter ea, quæ ſupra adverſus eam ſententiam diſſeruimus. Quidquid igitur in ſacris electionibus, aliiſque Eccleſiaſticis negotiis ſibi ſumpſerunt Germani Cæſares, id non ex jure aliquo, ſed vel ex tolerantia Eccleſiæ, vel ex ipſorum Cæſarum violentia proceſſit. Ex tolerantia quidem, & Eccleſiæ indulgentia erga illos Imperatores, Othones præſertim, qui in Germaniæ Regionibus non ita pridem Chriſto ſubjugatis, ſub auctoritate Romani Pontificis complures Epiſcopatus fundaverunt, ditarunt, fiduciariis Imperii ditionibus, civitatibus & provinciis etiam auxerunt;qui etiam iiſdem Epiſcopatibus præficiebant Antiſtites

(1) *Anonym. pag. 23.*

tes digniſſimos, & gratis præficiebant, quos deinde habituri eſſent Imperii regendi Adminiſtros (1). Ex violentia autem eorum Cæſarum, qui occepere electiones proterere, nundinari Epiſcopatus, Epiſcopos obtrudere ſacro Miniſterio impares; contra quorum ſacrilegos conatus ſtatim Pontifices, & Epiſcoporum Concilia inſurrexere, ut electiones in priſtinam Libertatem vindicarent. Nihilominus in Germania electiones audacius & diutius oppugnatæ; eaque violentia apud Germanos Auguſtos inſigniter graſſata eſt (2), uſquedum anno Chriſti 1448. inter Nicolaum V. Papam & Fridericum III. ſeu Nationem Germanicam *Concordata* edita ſunt, in quibus inter alia, ſacris electionibus avita Libertas aſſeritur (3).

At habuerint ante, & poſt translatum in Epiſcopos Civitatum Epiſcopalium dominium temporale, ac etiam retinuerint Germani Cæſares priora prætenſa jura in Epiſcoporum electiones. Nos id accidiſſe reſpondebimus, tum quia Epiſcopatibus eas Civitates in dotem, vel in dotis augumentum aſſignaverant, ideoque quodam veluti jure patronatus fuiſſe uſos in electionibus Epiſcoporum; tum etiam, quia viciſſim communi cum ipſis Epiſcopis conſilio Imperium adminiſtrabant, ut jam obſervavimus; tum denique, quia Dominio utili Civitatum in Epiſcopos translato, ſibi reſervarunt ſupremum, cui adnexa eſſe prætenſa jura Cæſarea in Præſulum electionibus autumabant. Horum vero omnium nihil dici poteſt de Regibus Neapolis reſpectu Civitatis, & Beneventani Archiepiſcopatus, immo nec reſpectu univerſarum ejuſdem Regni Urbium, Epiſcopatuum & Archiepiſcopatuum, quos omnes indiſcriminatim Anonymus Aſſenſus Regii jugo ſupponit. Quin potius in Anonymum ipſum urgeri poteſt ipſiuſmet argumentum. Cum enim Germani Imperatores, translato in Epiſcopos Urbium Epiſcopalium dominio, prætenſa jura in electionibus Epiſcoporum alia de cauſa non amiſiſſe dicendi ſint, niſi quia adhuc penes eos remanſerat ſupremum earumdem Urbium dominium; (aliter non plus jam juris

(1) *Thomaſſ. Diſcipl. part.2. lib.2. cap.38. num.1.* (2) *Thomaſſ. loc. cit. num.10. Chriſtian. Lupus in Diſſert. de Reg. Nominat. cap.4. §. ult.* (3) *Thomaſſ. ibidem num. 11.*

ris prætendere potuiſſent in iis electionibus Germanicis, quam in Gallicanis, ſive Hiſpanis) eodem plane pacto, cum Romani Pontifices Regibus Northmannis, Svevis, Andegavenſibus, Aragoniis, Auſtriacis Regno Neapolis in feudum conceſſo, ejuſdem Regni ſupremo dominio nunquam ſe abdicaverint, dicendi ſunt & ipſi nunquam amiſiſſe ea Regia jura (ſi quæ umquam extiterunt) in ſacrorum Præſulum electionibus, quæ unà cum ſupremo Neapolitani Regni dominio jamdudum aſſecuti ſunt.

Ne quid demum inexploratum linquamus, percuntari libet Anonymum, num inter jura, quæ poſt translatum in Epiſcopos Urbium Epiſcopalium temporale dominium haudquaquam amiſſa fuiſſe aſſerit ab Othonum ſucceſſoribus, illud recenſeat, quo Henricus IV. *Epiſcopatus, Abbatias, & omnia Eccleſiaſtica Regimina fecit venalia, nec fuit in conſtituendis Epiſcopis ulla legitimæ electionis facultas, ſed ſolius pecuniæ ratio*, ſicuti ſcribit Helmoldus (1); num illud etiam jus recenſeat, quo Henricus VI. Epiſcopatum Leodienſem Lothario Bonnenſi Præpoſito conceſſit, *Mediante pretio trium millium marcharum*, excluſo prius Alberto Archidiacono canonice electo, quem Roma reducem, ubi cauſam a Cœleſtino III. obtinuerat, & Remis a Guillelmo Archiepiſcopo conſecratum per emiſſos Sicarios idem Henricus trucidavit (2), de quo proinde habet Romanum Martyrologium: *Remis S. Alberti Leodienſis Epiſcopi & Martyris, qui pro tuendn Eccleſiaſtica Libertate necatus eſt* (3). Hæc ſane, & his ſimilia, quæ perpetrarunt aliqui ex Othonum in Imperio ſucceſſoribus, ad Epiſcoporum electiones, nec non ad exterius Eccleſiarum regimen pertinent. Perpetrarintne jure, an injuria, ſive tyrannide, penes Lectorem Catholicum judicium eſto.

AR-

(1) *Vide Chron. Slavor. lib.1. cap.32.* (2) *Vide Lupum de Reg. Nominat. cap. 5.*
(3) *Martyr. Rom. die 21. Novemb.*

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII.

Satis ſit Argumento ducto ab Electionibus Romanorum Pontificum.

NEque tamen quieſcit Anonymus, ſed veluti petita venia componendi parva magnis, majorem a ſe propugnatæ veritati, uti loquitur, lucem conciliaturus, illuſtrius ab Urbe Roma petit exemplum, aitque Orientis & deinde Occidentis Imperatores ea jura, quæ illorum Deceſſores habuerunt in electionibus Romanorum Pontificum, retinuiſſe etiam poſt translatum ipſius Urbis temporale dominium in eoſdem Pontifices; ſive ejuſmodi translatio acciderit temporibus Leonis Iſaurici, ſive Caroli Magni, ſive Caroli Calvi, ſive demum jam declinante Imperio, juxta opinionum diverſitatem. Ut vero comprobet ſuam hance veram eſſe ſententiam, exemplis perpetua ſerie indicatis a temporibus Leonis Iſaurici, & S. Gregorii II. ad tempora Henrici IV., & S. Gregorii VII. demonſtrare contendit, quod omnes Imperatores jus Cæſarei conſenſus in Pontificias electiones reapſe exercuerint; & hoc ipſum comprobare ſatagit quamplurium auctoritate Scriptorum. Hinc infert Reges Neapolis potiori ratione habere jus conſentiendi in electiones Beneventanorum Præſulum, etſi ipſa Beneventi civitas in dominium temporale tranſierit Apoſtolicæ Sedis (1).

Verum quod attinet ad conſenſum Orientalium Imperatorum in Romani Pontificis electionem, ſine quo, ut ait Anonymus, Apoſtolicum Thronum inſidere non poſſet quiſquis electus fuiſſet Romanus Pontifex, fatendum eſt cum Chriſtiano Lupo Eccleſiam Romanam ab hujuſmodi ſervitute ſemper fuiſſe immunem uſque ad Herulos & Gothos, illamque ab horum expulſore Juſtiniano & ſucceſſoribus male continuatam, a Conſtantino IV. demum fuiſſe dimiſſam (2). Hic enim Imperator *Conceſſit, ut electus e veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur*, ut ſcribit Anaſtaſius (3); atque

L adeo

(1) *Vide Anonym. a pag. 23. ad 25.* (2) *Lupus Tom. 4. novæ Edit. in Diſſert. de Reg. Nominat. cap. 2.* (3) *Anaſt. Biblioth. in Benedicto II.*

Digitized by Google

adeo priſcam electionibus Libertatem reſtituit. Quamobrem de Joanne V. Benedicti ſucceſſore ita refert idem Anaſtaſius: *Hic juxta priſcam conſuetudinem a generalitate in Eccleſia Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana electus eſt, atque exinde in Epiſcopium introductus* (1). Innovata quidem ea ſervitus perperam fuit a Juſtiniano II., itaut pro Confirmatione electi Pontificis Exarchus Ravennæ interpellaretur, ut ab Anaſtaſio pariter refertur (2), & a Franciſco Carriere obſervatur (3); ſed ſub Leone Iſaurico, ſeu ſub Conſtantino Copronymo unà cum Exarchatu prorſus eadem ſervitus extincta eſt (4).

Non itaque a jure aliquo legitimo profectus eſt Græcorum Cæſarum conſenſus in Romani Pontificis electionem, ſed ejuſce conſenſus abuſum per vim & Tyrannidem a barbaris & Arianis Regibus inductum, nempe Gothis (5), Orientis Imperatores iiſdem pene artibus retinuerunt (6), ægre tamen ferente Eccleſia Romana hujuſmodi jugum, quod S. Gregorius II. demum excuſſit, imperante Leone Iſaurico, ut Chriſtianus Lupus obſervat (7). Adeo autem verum eſt prætenſum jus conſentiendi in electionem Romani Pontificis promanaſſe a temporali dominio Urbis, ſive uſurpato, ſive legitimo, ut hoc amiſſo illud quoque penitus abjecerint Græci Imperatores; neque enim poſt Leonem Iſauricum, in quo vel omnino, vel fere reſtincta eſt dominatio Græcorum in Urbe & Italia, ullus Orientalium Cæſarum prætenſum jus Conſenſus exercuiſſe legitur. Unde opportune inferes deſiiſſe quoque in Regibus Neapolis jus Conſenſus, ſi quod habuerunt, in Beneventani Præſulis electionem, ex quo illi in urbe ejus nominis dominari deſierunt.

Quod vero ſpectat ad Imperatores Occidentis falſo falſius eſt eos omnes a Carolo Magno ad Henricum IV. reipſa, & quidem procul dubio, ut ait Anonymus, exercuiſſe jus conſenſus in electiones omnium Romanorum Pontificum, quæ il-

(1) *Idem in Joanne V. Benedicti ſucceſſore.* (2) *Idem in Conone.* (3) *In Hiſt. Chronol. Pontiſ. Rom. ubi de Joanne VII.* (4) *Franciſ. Pag. Brev. in Conone n. 1.* (5) *Thomaſſ. Diſcipl. part. 2. lib. 2. cap. 16. num. 2. 3. 6.* (6) *Lupus de Reg. Nominat. cap. 2. §. Odeacr. Thomaſ. ibid. num. 4.* (7) *Lupus ibidem.*

illorum ætatibus celebratæ fuerunt. Siquidem toto eo temporis intervallo, quod ab Hadriano I., ſub quo Carolus Magnus venit in Italiam, effluxit uſque ad S. Gregorium VII. qui, regnante Henrico IV. Pontifex creatus eſt, quinquaginta ſeptem Pontificum electiones peractæ recenſentur juxta Petavium(1), quibus omnibus electionibus ſua ſtetit Libertas, ſi paucas excipias, in quibus prætenſum quidem jus exercuerunt Occidentis Imperatores, ſed vel obnitentibus, vel ægre id tolerantibus Clero, Populoque Romano ob Cæſarum potentiam & temporum acerbitates.

Extant quidem Conſtitutiones Eugenii II. Hadriani III. (2), & Joannis IX. necnon Diploma S. Henrici Imperatoris (3), quibus decernebatur, ut Legati Imperatorum adeſſent conſecrationi Romani Pontificis: ſed id decretum fuit in eum duntaxat finem, ut tumultus in ea conſecratione oriri ſolitos iidem Legati compeſcerent. Quocirca quicquid ulterius vel per ſe, vel per Legatos egerunt in hac re nonnulli Imperatores, id totum ſibi arrogarunt.

Placet hic innuere Thomaſſini ſententiam, qui cum putet dominium Urbis a Carolo Calvo fuiſſe traductum in Romanum Pontificem, docet ab eodem Carolo illud ejuratum fuiſſe jus confirmandæ Pontificiæ electionis, quod inde naſcebatur (4). Hinc iterum inferas adverſus Anonymi argumentum, Reges Neapolis, quos ipſe ſentit tranſtuliſſe temporale Beneventi dominium in Romanum Pontificem, ejuraſſe identidem jus, ſi quod ex eo dominio naſcebatur, conſentiendi in electionem Beneventani Antiſtitis.

Hæc ad Anonymi rationem ductam ab electionibus Summorum Pontificum nunc reſpondiſſe ſufficiat; nam reliqua, ne præſentis inſtituti ratio nimium interrumpatur, in tertiam noſtræ hujus lucubrationis Partem rejicimus, in qua integram ipſius Anonymi ſententiam de Romanis electionibus exponemus, eamque perpetuis fere mendaciis, cum in factis enarrandis, tum in Scriptorum ſenſibus indicandis, innixam demonſtrabimus (5). L 2 AR-

(1) *Ration. Temp. tom. 2. iu ſucceſſ. Rom. Pont.* (2) *Vide Franciſ. Pag. Brev. in Geſtis horum Pontific.* (3) *Apud Baron. ad an.* 904. (4) *Diſcipl. part. 2. lib. 2. cap. 25. num. 8.* (5) *Vide III. Part. art. 4.*

ARTICULUS XIX.

Reſpondetur ad quaſdam ratiunculas, quæ ab Anonymo ſubnectuntur.

INterim ad ulteriora pergamus adverſus Anonymum, qui poſtquam electionum Romanarum ſeriem ad S. Gregorium VII. uſque perduxit, hanc ibi animadverſionem cudit: „ Gregorium electionum Libertatem adverſus Henricum IV. „ acerrime propugnantem ne ſomniaſſe quidem, quod in iis „ omnibus concertationibus, quibus Hiſtoriæ implentur, non „ foret expetendus ab Imperatoribus Aſſenſus in electione „ Romani Pontificis ex eo capite, quod penes ipſummet „ Pontificem dominium eſſet Urbis: alio omnino ſpectaſſe „ Gregorii molitiones; & cur de ea re ne mota quidem fue- „ rit dubitatio, rationem hanc eſſe perſpicuam, ac eviden- „ tem; quia ſcilicet nihil commune erat Romanæ Urbi cum „ Pontificatu Romano; proindeque ex acquiſito per Pontifi- „ cem ejuſdem Urbis dominio nihil detrimenti allatum juri- „ bus, quibus Imperatores potiebantur in Pontificatum, & „ in electiones Pontificum, qui non tamquam Domini Urbis, „ ſed tamquam Papæ ad ipſos Imperatores relationem & „ reſpectum habebant (1).

Quam inepta ſit & ad rem minime faciens ejuſmodi animadverſio, facile oſtendit S. Gregorium inter & Henricum turbarum & contentionum cauſa, quæ in eo verſabatur, quod S. Gregorius, contra nitente Henrico, ab omnibus Epiſcopatibus, cæteriſque Eccleſiaſticis dignitatibus amotam vellet quamcumque ſæcularem ſervitutem, potiſſimum vero laicas, quæ jamdudum invaluerant, Inveſtituras, utpote quæ Patrum & Conciliorum Decretis adverſabantur (2). Hanc fuiſſe prædicti diſſidii cauſam evincit Decretum ipſum, quod S. Gregorius edidit in ſecunda Synodo, quam Romæ habuit. *Si quis*, inquit, *deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicu-*

(1) *Anonym. pag.* 25. (2) *Vide Hugon. Floriacen. in Chron. ad an.* 1074. *&* in *Actis S. Gregorii VII. apud Bolland. tom.* 6. *Junii Part. I. in Append. ad diem* 25. *Maji*.

alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei, ut Epiſcopo, vel Abbati audientia concedatur .... ſimiliter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis Dignitatibus conſtituimus: Item: *Si quis Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſæcularium poteſtatum, aut perſonarum inveſtituram Epiſcopatus, vel alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo* (excommunicationis videlicet) *ſe adſtrictum ſciat* (1). Hæc ſane, Inveſtiturarum nimirum abolitio, hæc cauſa fuit, pro qua S. Gregorius adverſus Henricum ſtrenue inſurrexit, pugnavit, vicit, triumphavit. Cum itaque S. Pontifici non pro Summi duntaxat Libertate Pontificatus, ſed pro Libertate quorumlibet Epiſcopatuum atque Eccleſiaſticarum Dignitatum pugna fuerit, uti armis debuit, quæ ad integram perfectamque victoriam reportandam opportunæ, & aptæ forent, Patrum videlicet & Conciliorum Statutis, omnem arcentibus laicam ſervitutem a quibuslibet Eccleſiæ Dignitatibus: atque adeo nonniſi improvide Gregorius Apoſtolicum Urbis dominium Henrico objeciſſet, ratione cujus Libertatem unius tantum Romani Pontificatus defendi potuiſſet. Et ſane nos quoque Conciliorum & Patrum freti Decretis omnes Neapolitani Regni Epiſcopatus & Beneficia ab Edicto Regio libera volumus. At quandoquidem de electione Beneventani Archipræſulis quæſtio præcipua incidit, ad victoriæ cumulum contendimus etiam a dominio temporali, quo in Beneventanam Civitatem pollet Apoſtolica Sedes, peculiarem oriri rationem, qua ab eodem Edicto de repellendis alienigenis Archiepiſcopatus Beneventanus eximatur, ſicut contra Anonymi argumenta & hucuſque præſtitimus, & deinceps, ubi opus erit, præſtabimus.

Prætermitto aſſeri quidem in præfata animadverſione, ſed non probari (quod Anonymo ſolemne eſt) jura Imperatorum in Romanum Pontificatum, & electiones Pontificum; quæ ſane jura, qualiacumque fuerint (non tamen legitima, ſed uſurpata) prorſus amiſerint Imperatores neceſſe eſt, una cum Urbis dominio, a quo naſcebantur, ut jam diximus.

Quæ-

(1) *Apud eumdem ibidem.*

Quæro tamen ab Anonymo, quænam hæc fuerint in Pontificatum jura, diſtincta præſertim a jure Conſenſus in Pontificum electiones? Num ea, quibus uſi Juſtinianus, & Conſtans, hic S. Martinum, ille Vigilium Pontifices in exilium miſerunt (1)? Num ea forſan, quibus fretus ipſemet Henricus IV. in Conciliabulo Wormatienſi S. Gregorium VII. depoſuit, & in ejus locum ſuffecit Guibertum Ravennatem a Gregorio ipſo propter inceſtum & alia flagitia jam damnatum (2), toto hujuſmodi factum horrente Orbe Catholico? Vel ea jura, quibus uſus Fridericus I. Latrocinium Papienſe indixit, in quo Alexandrum III. legitimum Pontificem depoſitum, & Schiſmaticum Octavianum electum fuiſſe deplorat S. Ailredus Rievallenſis Abbas? *Papiæ*, inquit, *aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Alexandrum Chriſtum ejus, ubi circumdederunt eum canes multi, concilium malignantium obſedit eum* (3). Hæc patiatur Anonymus a nobis ſibi reponi inculcanti jura Cæſarum nedum in electiones Pontificum Romanorum, ſed in ipſum Romanum Pontificatum; tanto magis quod juxta eumdem Anonymum ipſa Imperatorum Regumque facta, vel jura ſunt, vel jura pariunt, ſeu ſaltem demonſtrant.

Quæro rurſus ab eodem Anonymo, quænam ſit ea relatio, quiſve reſpectus, quem Romani Pontifices non quidem ut Domini Urbis, ſed ut Papæ habuerunt ad Imperatores? Utique ſi orationis contextus ſpectetur, relatio erat & reſpectus ſubjectionis: quandoquidem ibi prædicantur jura Cæſarea in Pontificatum Romanum, & ſane reſpicientem id, quod ſpirituale eſt; nam quatenus reſpicit trmporalia, aſſeritur cum ipſo Pontificatu nihil commune habere temporale dominium Urbis. Jam vero quod Romani Pontifices tamquam Papæ, ideſt tamquam Chriſti Vicarii & S. Petri Succeſſores, relationem & reſpectum ſubjectionis in ſpiritualibus ad Imperatores habuerint, nemo concedat qui Catholicus audiat, nemo qui Romani Pontificis Primatum jure Divino ſtabilitum

(1) *Pag. Franciſc. Brev. in Geſtis borum Pontificem.* (2) *Lambertus ad an.* 1077. & *Paulus Bernriedenſis in vita Gregorii impreſſa Ingolſtanii ann.* 1610, *pag.* 237. (3) *Ailredus ſer.* 23. *in Biblioth. Ciſtercien. tom.* 5.

tum fateatur, nemo qui credat Summos Pontifices a Chriſto Domino cœleſti, ac ſuprema quæcumque ligandi & ſolvendi, atque paſcendi oves facultate eſſe præditos.

Infert ex iis, quæ ſupra præmiſit Anonymus, in præſenti Controverſia „ Non eſſe dubitandum, quod, eoquia Beneventanæ Urbis dominium tranſierit ad Romanos Pontifices, „ immutata idcirco fuerit in ulla re natura Beneventani Archiepiſcopatus: remanſiſſe penes Neapolitanos Reges illa „ jura, quæ ejuſmodi dominii translationem præceſſerunt: „ utique abs re prorſus eſſe, quod iidem Reges dominio Beneventi ſe ingerant, non verò Beneventano Archiepiſcopatui, qui totus ipſorum eſt, utpote mediis Regni viſceribus adjacens(1)„. Præterea alia quædam ibi inculcat, quæ ſupra confutavimus.

Quæ autem hic inferuntur, cum ſuis fundamentis careant, (nam ea ſupra evertimus) jam ex ſe ipſis corruunt. Diſcutienda tamen eſt ea aſſertio, in qua dicitur, quod Archiepiſcopatus Beneventanus Regum Neapolis totus eſt, utpote qui in Regni ejuſdem viſceribus collocatur; non enim ibi Anonymus ſatis animadvertiſſe videtur *De quibus loquatur, aut de quibus affirmet* (2). Siquidem nomine Archiepiſcopatus vel intelligit id, quod ordinis eſt; & certe Archiepiſcopatus non eſt Regum, cum Fides Catholica doceat ea, quæ ſunt Ordinis, eorum eſſe duntaxat, qui Ordinis Sacramento initiantur: vel intelligit id, quod eſt juriſdictionis, ſive Jus ipſum Metropoliticum; atque in hoc item ſenſu Archiepiſcopatus Regum eſſe non poteſt; ex ipſius quippe origine Metropoliticum jus non Regibus, ſed ſolis Archiepiſcopis convenire alibi diximus (3): vel demum nomine Archiepiſcopatus intelligit, ut vere intelligere videtur, ea, circa quæ juris Metropolitici actus verſantur, quæque eidem ſubſunt, videlicet Eccleſiaſticæ res ac perſonæ etiam laicæ, quatenus hæ in rebus & cauſis ſpiritualibus ipſi juri Metropolitico ſubduntur; & quis dicat Catholicorum, res & perſonas qua ratione ſubſunt juri Epiſcopali & Metropolitico, efficiuntque Archiepiſcopatum, totas eſſe Regum Neapolis, utpote

(1) *Anonym. pag.* 25. (2) *Ex Apoſt.* 1. *Tim.* 1. 7. (3) *Art.* V.

utpote quæ in ejus Regni viſceribus collocantur? Quid eſt Regnum confundere cum Sacerdotio, & ea, quæ ſunt Sacerdotii, Regno adſcribere, ſi hoc non eſt? Si Archiepiſcopatus Beneventanus, quatenus ex perſonis, & rebus conflatur juri Metropolitico ſubjectis, Regum Neapolis totus eſt, jam ipſi Beneventano Archiepiſcopo præter caracterem Epiſcopalem, & inane Archiepiſcopi nomen, nihil reliquum erit. Quod enim præter totum eſt, nihil eſt. Adde omnes Regni Archiepiſcopatus & Epiſcopatus eadem ratione fore totos Regum Neapolis, utpote qui in eo Regno conſiſtunt. Quoad hoc itaque, juxta Anonymi doctrinam, Regno Angliæ poterit æquari Regnum Neapolis.

Poſt ſententiam paulo ante relatam ſic inſtat Anonymus: „ Hæc veritas innotuit Benedicto XIII. nuper vita „ functo, qui cum Beneventanæ præeſſet Eccleſiæ, propria, „ connaturalique interpretatione uſus, Breviores Alexan- „ dri VII. Literas, quibus SS. Dominici & Januarii Feſtum „ præcipiebatur, extendit; decernens videlicet iiſdem Lite- „ ris nedum comprehendi Archiepiſcopatum, ſed Civitatem „ ipſam Beneventanam, propter hanc unam rationem, quia „ quod temporale eſt ab eo ſecerni debet, quod ſpirituale „ eſt & Eccleſiaſticum, cum inter iſta nihil ſane commu- „ ne ſit, neque in hoc caput a membris diſſentire conve- „ niat, ſed iis conformari deceat, ſicut idem Pontifex ſtatuit „ in quadam Synodo ſub Titulo de Feriis, & Feſtorum dierum „ celebratione cap. 6. ita edicens: *Ut autem juxta Sacros* „ *Canones a capite membra diſcedere non decet, ita nec a mem-* „ *bris caput convenit diſſentire, & aliud ſane quod temporale* „ *eſt, aliud omnino, quod ſpirituale* (1).

Argumentum ejuſmodi, cui ſola mutilati Decreti Synodalis auctoritas ſpeciem veritatis, & roboris obtrudit, rem integram referre nos cogit. Benedictus itaque XIII. cum Archiepiſcopus Beneventanus audiret, in citatæ Synodi capite ſexto quæſtionem hoc pacto propoſuit: *Cum autem ſanctæ mem. Alexander PP. VII. ſuo Brevi ſub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die* 28. *Junii* 1664. *conceſſerit, Feſtum S. Do-*

(1) *Anonym. pag.* 26.

Digitized by Google

S. Dominici, æque ac S. Januarii Regni Neapolitani Patronorum in eodem Regno de præcepto, & Officium cum Octava, ſervari, & celebrari debere, quemadmodum in univerſali noſtra Archidiœceſi ab illo die ſervatum, & celebratum eſt: in noctra vero Civitate, quæ cum aliis Regni non computatur, Cives ancipites fuere, an id eiſdem competeret. Deinde in capite ſequenti, ideſt ſeptimo ita decrevit: *Ut autem juxta ſacros Canones a capite membra diſcedere non decet, ita nec a membris caput convenit diſſentire: & aliud ſane, quod temporale eſt, aliud omnino, quod ſpirituale. Idcirco mandamus, ut tam S. Januarii Pontificis & Martyris, quam S. Patris Dominici, in Civitate noſtra, (quæ jamdiu eoſdem ſpeciali titulo Patronos veneratur) veluti & in tota Archidiœceſi, & Feſta ſerventur & eorum Officia cum Octava celebrentur. Quod præſenti Conſtitutione perpetuo valitura ſancimus* (1). Nulla hic, ut patet, interpretatio, nulla extenſio Apoſtolici *Brevis*, ſed Synodalis habetur Conſtitutio eo innixa fundamento, quod in rebus ſpiritualibus legitima utique auctoritate ſtabilitis, caput a membris diſſentire non conveniat; cui proinde Conſtitutioni *Breve* Apoſtolicum occaſionem tantummodo præbuit. Hinc Anonymi artificium detectum, & argumentum ſolutum.

Si quis nihilominus adhuc contendat, antedictam Synodalem Conſtitutionem eo modo accipiendam eſſe, quo ab Anonymo accipitur, reſpondeo 1. magnum eſſe diſcrimen inter controverſiam, quæ in modo dicta Synodo finita eſt, & eam, de qua hic agimus. Ibi enim quæſtio erat de extenſione privilegii Apoſtolici, de cujus vi & efficacia nulla dubitatio occurrebat, ſed nec occurrere poterat: at hic ſermo eſt de extenſione Regii Edicti, quod natura ſua nullum & inefficax eſſe oſtendimus. 2. Etſi omittamus ejuſmodi Edicto ſuum ineſſe robur, adhuc diſcrimen intercedit. Privilegium quippe Apoſtolicum de celebratione Feſtorum quid favorabile eſt, ideoque merito fuit extenſum juxta Juris Regulam ad ipſam etiam Civitatem Beneventanam; quam profecto extenſionem nequaquam paſſum fuiſſet Eccleſiaſticum Interdictum, utpote

M quid

(1) *Synodic. Benevent. Diœceſ. Part. 1. tit. X. cap. 7. pag. 47.*

quid odioſum, ſi huic fingas animo Regnum Neapolis fuiſſe ſuppoſitum. At Regium Edictum de repellendis alienigenis a Regni Beneficiis Eccleſiaſticæ Libertati adverſum eſt, ac odioſum, ideoque ad ſolum Regnum reſtringendum. Quod ergo audis: *Nec a membris caput convenit diſſentire*, in re, quæ Eccleſiæ favorabilis ſit, intelligas. 3. Demum Privilegium Apoſtolicum ſupra memoratum de celebratione Feſtorum ideo ad Archiepiſcopatum, & Civitatem Beneventanam extenditur, quia, ut in citato textu habetur, quid ſpirituale eſt; non extendendum, ſi quid temporale eſſet; *Aliud*, inquit, *quod temporale eſt*, *aliud omnino quod ſpirituale*. Edictum vero Regium procul dubio quid temporale eſt, inter politicas nimirum ac temporales leges accenſendum. Cum itaque dicitur: *Aliud ſane*, *quod temporale eſt*, *aliud omnino quod ſpirituale*, qua ratione Beneventi Civitas Privilegio Apoſtolico incluſa decernitur, eâdem ab Edicto Regio excluſa reputatur: tanto magis, quod inibi eadem Beneventana Civitas cum aliis Regni non computari expreſſe aſſeritur; & aliunde conſtat, ibi nullam eſſe poſſe vim Legis, ubi nulla eſt jurisdictio, ſeu nullum dominium Legislatoris.

Inſtat denuo Anonymus, aitque „ Beneventanos acriter „ propugnare, quod ipſimet non quidem inter extraneos, „ ſed inter regnicolas recenſendi ſint, Regioque proinde „ Edicto comprehenſi, idoneique ad Regni Beneficia aſſe- „ quendum: atque hoc ipſum probari exemplo D. Anelli „ Rendina Beneventani civis, cujus electioni in Epiſcopum „ Bojanenſem faverit Romana Curia. Qua ergo nunc ratio- „ ne, inquit, prætendi poteſt Archiepiſcopatum Beneventa- „ num Regio non eſſe Edicto comprehenſum ob hanc ſolum- „ modo cauſam, quod ejus Urbis temporale dominium in „ Romanum Pontificem commigraverit (1)?

Quod hìc aſſerit Anonymus, falſum omnino eſſe demonſtrat ea ipſa Beneventana Synodus, cujus pro ſe Decretum paulo ante recitavit: *Beneventani*, inquit, *qui cum Regnicolis non computantur .... In noſtra vero* CIVITATE, QUÆ CUM ALIIS REGNI NON COMPUTATUR (2). Faviſſe autem Curiam

(1) *Anonym. pag. 26.* (2) *Synodic. Benevent. Eccleſ. loc. cit.*

riam Romanam Beneventano civi ad Eccleſiam Bojanenſem electo facile quiſque videt, non ſane quia Beneventanos cives Regio Edicto incluſos exiſtimaverit, ſed quia ad Regni Epiſcopatus Beneventanis, aliiſque extraneis patere aditum optime noverit. Qua autem ratione defendi poſſit, quod ob ſolam translationem temporalis dominii Beneventanæ Civitatis in Romanum Pontificem, Edictum Regium non complectatur ejus nominis Archiepiſcopatum, jam oſtendimus (1). Sed & illud obſervavimus, nequaquam Reges Neapolis tranſtuliſſe Beneventi dominium in Romanos Pontifices, verum Romanos Pontifices, ſervato ſibi abſoluto Beneventi dominio, totius Regni Imperium feudali nexu adſtrictum tranſtuliſſe in eos, qui ob id legitimi hucuſque Neapolis Reges habiti ſunt (2). Hoc itaque firmum, immotumque ſit, nec Archiepiſcopatum Beneventanum, nec quemquam ex Regni ſeu Archiepiſcopatibus ſeu Epiſcopatibus affici Edicto Regio natura ſua irrito, utpote quod de re Eccleſiaſtica decernit, futilibuſque rationibus fulcitur: ac præterea Archiepiſcopatum ipſum Beneventanum peculiari ratione eximi ab eodem Edicto, eò quia ſcilicet ejus nominis Civitas, in qua Archiepiſcopalis Sedes poſita eſt, temporali Romani Pontificis pareat imperio.

ARTICULUS XX.

Evertitur aliud præcipuum argumentum, petitum videlicet ab utilitate indigenarum, quo Anonymus ſubjicere contendit Archiepiſcopatum Beneventanum Edicto Regio arcenti alienigenas a Regni Beneficiis.

„ Verumtamen pergit Anonymus, alia ratio non minus „ efficax, quam præcedens, evincit Archiepiſcopatum „ Beneventanum excludi non poſſe a Regio Edicto; nam „ ſecus ſentire idem eſſet, ac eludere Cæſaris mentem, nec „ non finem evertere, propter quem fideliſſimis ejus ſubditis be-

(1) *Art. V. VI. & XVI.* (2) *Art. VI.*

„ beneficium illud fuit conceſſum; atque Edicto eidem tertiam pene ſubducere Regni partem. Non ſolum propter ſacrorum obſervantiam Canonum, ſed propter indigenarum quoque utilitatem ea Lex ſtabilita fuit, ut nimirum fructibus, ac tot, tamque opulentis reditibus Beneficiorum, quorum copia Regnum affluit, illi ipſi potiantur, in quorum Regno naſcuntur, & proventus, quibus liberalitas, ac propriorum Principum munificentia, atque Atavorum pietas Regni ditarunt Eccleſias, ab iiſdem Regnicolis percipiantur, ſicuti ipſa etiam dictat ratio naturalis; ne ad manus deveniant extraneæ Gentis, quæ alienæ munificentiæ, pietatis, laboris, induſtriæ, atque telluris fructus collectura, iiſdemque locupletem ſe factura in Regnum commigret (1).

Hæc vere, quæ hic affertur in medium utilitas, hæc cauſa eſt, propter quam de arcendis alienigenis Edictum prodiit, non autem jactata toties, ac perſonata Canonum obſervantia, quæ in apertam tandem deſinit eorumdem Canonum perniciem. Porro hic cernere eſt Monſtrum quoddam, politicum videlicet Edictum abſolute decernens de re Eccleſiaſtica, hoc eſt de diſtributione Beneficiorum, propter cauſam politicam, ideſt propter ſubditorum utilitatem; de quo proinde ſentire nobis id jure licet, quod Anonymus ſentiret (jurene, an injuria nunc non quærimus) de Lege Pontificia, quæ de rebus politicis, veluti de diſtributione publicorum in Regno, ſeu Imperio onerum abſolute decerneret propter Eccleſiaſticam cauſam, ut puta, propter utilitatem Eccleſiarum.

Interim cauſa, propter quam Regium Edictum hic latum aſſeritur, non minus, quam Edictum ipſum, adverſatur ſacris Canonibus, & perpetuæ diſciplinæ Eccleſiæ, quæ ſacris Præſidibus & Adminiſtris liberam bonorum Eccleſiaſticorum diſtributionem committere conſuevit, atque in eorumdem diſpenſatione ſpectari voluit non Regiorum ſubditorum utilitatem, ſed Eccleſiarum commoda & merita Perſonarum. Siquidem Eccleſiaſticorum redituum curam & diſtributionem in ſua origine ſi intueri placeat, a S. Luca ſtatim edocemur eam

(1) *Anonym. pag. 16.*

eam ſpectaſſe ad Apoſtolorum arbitrium, qui idcirco conſtituerunt ſeptem Diaconos ſuper hoc opus, ut ipſi orationi & miniſterio Verbi liberius inſtarent (1). Hinc ſacri Canones eam provinciam Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus poſtmodum demandarunt, quamquam & Oeconomis, Diaconis, Archidiaconis id muneris impoſuerint, ut res Eccleſiaſticas curarent ſub Epiſcopis. Sane adſtruendæ ſummæ Epiſcoporum poteſtati in diſpenſatione rerum Eccleſiæ temporalium mirifice ſuffragantur Canones ſeptimus & octavus Concilii Gangrenſis habiti, ut obſervat Cabaſſutius (2), tempore S. Sylveſtri Papæ: *Si quis dat vel accipit fructus oblatos, præter Epiſcopum, vel eum, qui eſt conſtitutus ad beneficentiæ diſpenſationem, & qui dat, & qui accipit, ſit Anathema* (3). His conſonat Canon alter citatus. Pariter Concilium Antiochenum anno 341. coactum: *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ut eas in omnes egentes diſpenſet* (4). Item S. Gregorius Magnus, qui cum Epiſcopum Fundanum ad Eccleſiam Terracinenſem transferret, ad eum ita ſcripſit: *Quicquid de prædictis rebus Eccleſiæ, vel patrimonio . . . ſolerter, atque Canonice ordinare, facereque provideris, liberam habebis, quippe ut Sacerdos proprius*, MODIS OMNIBUS *facultatem* (5). Concilium Francofordienſe tempore Caroli Magni, *De oblationibus*, inquit, *quæ in Eccleſia, vel in uſu pauperum offeruntur, Canonica obſervetur norma, ut non ab aliis diſpenſentur, niſi cui Epiſcopus ordinaverit* (6). Concilium Moguntinum anno 813. eodem Carolo imperante, congregatum decernit, ut *Epiſcopi poteſtatem habeant res Eccleſiaſticas providere, regere, gubernare, atque diſpenſare ſecundum Canonum auctoritatem* (7). In ipſo etiam Capitulari Caroli Magni hæc leguntur: *Quæcumque a Fidelibus ſive in Mancipiis, agris, vineis, ſylvis Domino, Eccleſiæque offeruntur, Domino indubitanter conſecrantur, atque ad jus pertinent Sacerdotum* (8). Sic etiam Concilium Engilenheimenſe anno 848. celebratum ſtatuit, *Ut oblationes Fidelium, quatenus alteri de-*

(1) *Act. cap. 6. v. 3. 4.* (2) *In Notit. Eccleſiaſt. ſæc. 4.* (3) *Concil. Gangr. Can. 8.* (4) *Synod. Antioch. Can. 25.* (5) *Lib. 3. Epiſt. 13. ad Agnellum Epiſcopum* (6) *Concil. Francoford. Can. 48.* (7) *Concil. Mogunt. Can. 8.* (8) *Lib. 6. cap. 407.*

deferuntur, *nihil omnino ad laicalem pertineant poteſtatem* (1). Quare appoſite Concilium Tullenſe II. anno 860. *Summopere caveant Potentiores quique*, *ne præſumant in damnationem ſuam res ſibi Eccleſiaſticas*, *neque fatigent*, *neque affligant inſuetis conſuetudinibus Dei Eccleſias*, *& loca Sanctorum*, *ſcientes*, *quia res Eccleſiaſticæ vota ſunt Fidelium*, *patrimonia pauperum*, *pretia peccatorum*, *& in tuitione*, *atque defenſione Chriſti conſiſtunt*, *qui eas terræ Principibus*, *atque Primoribus ad defendendum & conſervandum*, *non ad affligendum*, *vel uſurpandum*, *ſive præſumendum commiſit* (2). Ex quibus omnibus patet, quam vere Paſchalis II. in Concilio Lateranenſi anno 1116. celebrato hæc locutus ſit: *Habet ergo Mater & Domina noſtra Eccleſia ſibi a Regibus & Principibus collata*: Dispenset et tribuat ea Filiis suis, sicut scit et sicut vult.

Quæ hucuſque retulimus monumenta manifeſte evincunt liberam omnino eſſe penes Eccleſiaſticos Præſides, atque ampliſſimam diſtribuendorum Eccleſiæ bonorum poteſtatem, quam moderari debeat non Regiorum Subditorum utilitas, ſed Eccleſiarum commodum, & Perſonarum meritum, ſive hæ indigenæ, ſive alienigenæ ſint. Hoc autem ultimum clarius fiet, ſi primas bonorum Eccleſiaſticorum, ex quibus ipſa Beneficia Eccleſiaſtica traxerunt originem, diſtributiones inſpiciamus. Legimus enim in Actibus Apoſtolorum Chriſtianos Antiochenos per manus Barnabæ & Pauli elargitos fuiſſe pecuniam Paleſtinis, inopia quidem laborantibus, ſed alienigenis. *Diſcipuli autem*, *prout quis habebat*, *poſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Judæa Fratribus*: *quod & fecerunt*, *mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Sauli* (3). Apoſtolus item hortatus eſt Corinthios & Galatas, ut Chriſtianis Hieroſolymis degentibus eleemoſynas erogarent. De *Collectis*, inquit, *quæ fiunt in Sanctos*, *ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ*, *ita & vos facite*. *Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat*, *recondens quod ei bene placuerit* .... *quos probaveritis per Epiſtolas*, *hos mittam*

(1) *Concil. Engilenheimenſe Can.* 8. (2) *Concil. Tullen. II. in Epiſt. Synod.*
(3) *Act.* 11. *v.* 29. *&* 30.

Digitized by Google

tam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem (1). Quæ conſuetudo uſque ad S. Hieronymi tempora perduravit, ut ipſe teſtatur adverſus Vigilantium: *Numquid in alia parte terrarum, & in aliis Eccleſiis, quas naſcentes fide ſua erudiebat* (Paulus), *quæ ab aliis acceperat, dividere non poterat?... Reſpondebis hoc unumquemque poſſe in patria ſua facere, nec pauperes defuturos, qui Eccleſiæ opibus ſuſtentandi ſint. Nec nos negamus cunctis pauperibus etiam Judæis & Samaritanis, ſi tanta ſit largitas, ſtipes porrigendas: ſed Apoſtolus faciendam quidem docet ad omnes eleemoſynam, ſed maxime ad domeſticos Fidei* (2).

Ea itaque eſt ab origine bonorum Eccleſiæ natura & indoles, ut in omnes erogentur ſive indigenas, ſive alienigenas, quam profecto naturam & indolem non mutavit, quæ poſtmodum ſubſecuta eſt, eorumdem bonorum diviſio per Beneficiorum erectionem, ut optime probat Van-Eſpen (3) Auctor Anonymo non inviſus. Porro videmus in Pontificum Reſcriptis, Epiſcoporum Decretis, Conciliorum Canonibus etiam poſt eam bonorum diviſionem bona Eccleſiæ dici *Patrimonium pauperum*, *patrimonium Chriſti*, *res Dei*, *pretia peccatorum*, non ſecus, ac ante diviſionem. Poſſunt igitur eadem bona etiam nunc erogari cum in accolas, tum in extraneos ab Eccleſiæ Præſulibus, maxime vero a Romano Pontifice, qui Eccleſiaſticorum bonorum, & Beneficiorum ſupremus Dominus, vel ſi mavis, certe ſupremus eſt Diſpenſator: proindeque fructibus, atque opulentis Beneficiorum reditibus, quibus Regnum Neapolis affluit, frui licebit, juxta Sacros Canones, & perpetuam Eccleſiæ diſciplinam, etiam extraneis, iis præſertim, ſi aliunde digni ſint, qui in Regionibus Beneficiorum, ac Eccleſiaſticorum redituum inopia laborantibus exortum habuerunt.

Jam vides Sacris Canonibus, perpetuæque Eccleſiæ diſciplinæ in diſtribuendis Beneficiis, & Eccleſiaſticis bonis, quantum adverſetur ea Anonymi Aſſertio, qua dicit & approbat Regio Edicto de arcendis alienigenis a Regni Beneficiis ne-

(1) 1. *Cor.* 16. *v.* 1. 2. 3. (2) *Lib.* 3. *Epiſt.* 13. *inter ſelectas*. (3) *Tract.* 2. *tit.* 32. *de Pecul. Cleric. cap.* 6. *num.* 16. 17. 21. 22.

nedum dediſſe cauſam Sacrorum Canonum obſervantiam, ſed Regiorum etiam ſubditorum utilitatem.

Neque id, quod paulo ante diximus, abſonum eſt, ſed conſentaneum munificentiæ & liberalitati Principum, atque Atavorum pietati, in quorum mentem nequidem venit, ut Eccleſias reditibus cumularent propter utilitatem Subditorum, & indigenarum. Aliæ cauſæ longe diverſæ, digniores, ac ſublimiores eorum animos ad id operis impulerunt. Etenim Fideles a primis ſæculis Eccleſiam locupletarunt oblationibus, decimis, primitiis, poſtmodum prædiis quoque, & viri Principes etiam Dynaſtiis, ſive dono ſive teſtamento relictis, in hos fines, videlicet 1. ut egenis ad victum neceſſaria non deeſſent, quod ex Actibus Apoſtolorum, & ex Apoſtolo ſupra oſtendimus. 2. ut communem omnibus Dei beneficentiam imitarentur: *Qui poſſeſſor in terris*, inquit S. Cyprianus, *reditus, ac fructus ſuos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis, & juſtus eſt, Dei Patris imitator eſt* (1). 3. ut inde Clerici pauperes, & Monachi ſuſtentarentur: *Illuſtris & ſanctæ recordationis Proba poſſeſſiones in Aſia conſtitutas longa a Majoribus ſuis vetuſtate ſic reliquit, ut majorem ſummam redituum Clericis pauperibus, & Monaſteriis præciperet annis ſingulis erogandam*: Ita Celeſtinus I. Romanus Pontifex (2). 4. ut futuræ vitæ opes conſequerentur: *Cogitate... complures extitiſſe, qui totas etiam domos Eccleſiis addici paſſi ſint: non enim defuiſſe, qui ſuapte ſponte facultates omnes ſuas obtulerint, ac pulcherrimum quæſtum fecerint, hoc eſt, propter vitæ futuræ opes inopiam amplexi ſint*: Ita S. Gregorius Nazianzenus (3). 5. ad Eccleſiæ gloriam & decorem; quod de Carolo Magno & Ludovico Pio ſcribit Helmoldus: *Ludovicus*, inquit, *paternis per omnia votis concordans eadem liberalitate, qua Pater ejus erga cultum domus Dei, & omnem Clerum uſus eſt, ampliſſimas Regni divitias ad decorem & gloriam Eccleſiæ intorquens, intantum ut Epiſcopos, qui propter animarum regimen Princi-*

(1) *S. Cyprian. de Oper. & Eleem.* (2) *Celeſt. I. Epiſt. 12. ad Theodoſium.* (3) *S. Greg. Nazian. Epiſt. 80. quæ eſt ad Aerium, & Alypinm.*

cipes ſunt Cœli, *ipſe eoſdem nihilominus Principes efficeret Regni* (1). 7. pro peccatis redimendis: *Cum a pœnitentibus terras accipimus*, ait S. Petrus Damianus, *juxta menſuram muneris eis de pœnitentiæ quantitate relaxamus* (2). Demum Concilium Tullenſe II. *Poſſeſſiones*, inquit, *Eccleſiæ ... quæ datæ ſunt Deo propter redemptionem animarum*, *&* *propter Templorum Dei inſtaurationem*, *&* *eorum victum* *&* *veſtimentum*, *qui ſine ceſſatione laudes Dei perſolvunt*, *&* *propter ſtipendium pauperum*, *&* *ſi opus eſſet*, *redemptionem Captivorum* (3). His ſimilia legi poſſunt apud Marculfum in Formulis, præſertim lib. 1. Formula 14., & lib. 2. Formula 3. & 38., nec non in aliis Formulis, quas habent duo Auctores Anonymi Marculfo adnexi in Editione Pariſienſi anni 1613.

Eodem idiomate uſus eſt Otho Magnus, cum bonis temporalibus auxit Eccleſias, ut videri poteſt præcipue in diplomate, quo bona Bremæ Hamburgenſi Eccleſiæ ſuo calculo addixit: ibi enim fatetur ſe *Confirmare pro mercede vitæ permanentis agros*, *prata*, *paſcua &c. ad utilitatem Hamburgenſis Eccleſiæ Epiſcoporum*, *quatenus hi habeant poteſtatem*, *quicquid illis placuerit faciendum* (4). Item Ludovicus Germaniæ Rex Laubium, Foſſas, & alia loca Stephano Leodicenſi Epiſcopo attribuit ſeu confirmavit ann. 908., *Eo videlicet* (diplomatis verba ſunt) *ordinis modo*, *ut quicquid ſecundam Dei*, *ac ſuam diſpoſitionem facere maluerint*, *libero*, *quemadmodum ex aliis Eccleſiaſticis rebus*, *in faciendo potiantur arbitrio*, *quatenus ob hanc noſtræ mercedis*, *ſeu parentum noſtrorum emeliorationem*, *pro nobis*, *&* *pro illis præſens*, *futurique Præſules*, *cum omni ſibi congregatione commiſſa Deum libenter exorare feſtinent* (5).

Sed propius ad rem noſtram idem Otho in diplomate, ſeu privilegio, quo anno 967. Landulpho Epiſcopo Beneventano dono dedit, ſeu potius confirmavit Caſtrum S. Angeli in Monte Gargano, inter alia hæc habet: *Quia Landulphus* di-

N

(1) *Helmoid. in Chron. Slavor. lib. 1. cap. 4.* (2) *S. Petr. Damian. lib. 4. Epiſt. 12.* (3) *Synod. Tullen. II. in Epiſt. Synod.* (4) *Ita apud Meibonium Seniorem Tom. 1. Rer. Germanic. in Diplomat. Othonis I.* (5) *Miræus Aubertus in Cod. Donat. Piar. cap. 25.*

dilectus noſter noſtram deprecatus eſt excellentiam, ut in Eccleſia S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ Beneventanæ, ac Sipontinæ Sedis Epiſcopalis, ubi Landulphus reverendiſſimus Epiſcopus præeſt, more piæ recordationis Anteceſſorum noſtrorum utriuſque Caroli & Ludovici, ſeu Lamberti quondam Imperatorum ſequentes præcepta, ... quæ ipſi in eamdem Eccleſiam miſerunt, noſtra auctoritate confirmamus, ſicut & fecimus, quatenus omnes res, & quaſcumque ipſa domus Dei habet, tam de donatione Imperatorum, Regumque, quamque Reginarum, vel Ducum, atque Duciſſarum, ſeu Principum Beneventanorum, ſeu quorumcumque hominum Deum timentium.... necnon & omnes reditus Fidelium diverſarum Eccleſiarum ipſi Sanctæ Beneventanæ, & Sipontinæ Sedi legibus pertinuerit, in integrum ab Epiſcopo Beneventano, qui pro tempore fuerit, ſecuriter poſſideantur, ſive in Civitatibus, & Caſtellis, ſive in Villis, vel in Montibus, atque planis, ſeu & in aquis, & omnia ſub caritatis nomine ei conferimus.... Hæc omnia perpetim in Epiſcopi Beneventani ditione, & poteſtate conſiſtant ad diſponendum ea, QUALITER IPSE VOLUERIT.... *Ut unde illa domus Dei temporale accipiat incrementum, inde merces accumuletur pro ſalute Animæ noſtræ, omniumque Parentum noſtrorum &c.* Proſequitur, & concedit, ſive confirmat eidem Epiſcopo, & Succeſſoribus duas Abbatias, videlicet *S. Petrum de Duddi, & S. Joannem Portæ Aureæ cum omnibus pertinentiis*, appoſitis iiſdem clauſulis, & ob eoſdem fines, quos paulo ante exſcripſimus (1).

Age modo. Si, ut ex dictis patet, Fidelibus quibuslibet, etiam Principibus, cum ampliſſimis reditibus Eccleſias augerent, alia mens, aliæ cauſæ, alii fines fuerunt, quam ut his reditibus naturales duntaxat, & originarii ditarentur; rurſus ſi Otho Imperator eas opes omnes, quibus Prædeceſſores Imperatores, Reges, & Beneventi cives, cæterique pii Fideles Beneventanam, eique ſubjectas Eccleſias cumularunt, Beneventanis Præſulibus addixit, & confirmavit AD DISPONENDUM EA, QUALITER IPSI VOLUERINT; quæ ratio eſt, ut Regium Edictum prætexat Regiorum ſubditorum utilitatem ad

(1) *Apud Ughellum Tom. 8. novæ Editionis de Archiep. Benevent. num. 47.*

ad arcendum ab horum redituum, ac opum poſſeſſione, & libera diſpenſatione Epiſcopos & Archiepiſcopos extraneos, præſertim Beneventanum, quos nec Principes, nec Atavi in ditandis iis Eccleſiis arcuerunt, immo utilitatis ſubditorum & incolarum nequidem meminerunt? *Quæcumque prætendatur a quocumque* UTILITATIS, *ſive* NECESSITATIS OCCASIO, *ille corda hominum conſpicit, qui novit cogitationes hominum, & remunerat actiones, & etiam cogitationes irremuneratas nullatenus derelinquet* (1).

ARTICULUS XXI.

Naturalis ratio haudquaquam dictat Eccleſiaſticos reditus a ſolis Indigenis eſſe percipiendos.

AT, inquit Anonymus „ Ratio vel ipſa naturalis hoc „ dictat, ut fructibus, ac tot, tamque opulentis re-„ ditibus Beneficiorum illi ipſi fruantur, in quorum Regno „ naſcuntur, ne ad manus deveniant extraneæ gentis, quæ „ alienæ pietatis, munificentiæ, laboris, induſtriæ atque tel-„ luris fructus collectura, iiſdemque locupletem ſe factura in „ Regnum ſe conferat (2).

Itane Apoſtoli, & Antiocheni Chriſtiani, qui ad Paleſtinos, itane Galatæ, & Corinthii, qui oblationes ſuas ad Jeroſolymitanos miſerunt, nec non ſacrorum canonum Conditores Patres, Concilia, Summique Pontifices, qui liberam omnino Epiſcopis aſſeruerunt diſpenſandi Eccleſiaſticos reditus facultatem, quam & Imperatores, Reges, Principes, aliique Fideles, dum ſuas in Eccleſias opes conferrent, agnoverunt; itane, inquam, hi omnes hocce naturalis dictamen rationis ignorarunt, quod Anonymo illuxit? Gregorius ergo Nazianzenus, qui Zoſimorum, Chryſoſtomus Antiochenus Presbyter, qui Conſtantinopolitanam, Paulinus Burdigalenſis, qui Nolanam, Martinus Sabarienſis, qui Turonenſem, Auguſtinus Tagaſtenſis, qui Hipponenſem Sedes tenuerunt, aliique innumeri, pietate & doctrina inſignes

N 2 Pa-

(1) *Concil. Tullen. II. in epiſt. Synod.* (2) *Anonym. pag. 26.*

Digitized by Google

Paſtores, qui aliis, quibus exteri antea erant, Eccleſiis præfecti earumdem reditus perceperunt, idem naturalis rationis dictamen aut neſcierunt, aut ſcientes violarunt, utpote qui alienæ munificentiæ & pietatis fructus collegerint? Eidem igitur dictamini obſtiterunt pariter Summi Pontifices, qui non ſolum Regni Neapolitani ad noſtra uſque tempora, ſed Galliæ, Hiſpaniæ, aliarumque regionum Eccleſiis multoties præfecerunt extraneos, antequam ſcilicet eas ſolis indigenis privilegia Apoſtolica addixiſſent. Dicendum itaque & hoc erit, Capuanis, exempli cauſa, ſive Neapolitanis civibus, ne lædatur dictamen naturalis rationis, haudquaquam licere conſequi Epiſcopatus in illis ſitos Regni partibus, ex quibus Beneventanus, aut Salernitanus Principatus conſtituebatur antiquitus. Alii enim Principes & Atavi Capuani, alii Beneventani, alii Salernitani Principatus Eccleſias bonis temporalibus cumularunt. Immo erit dicendum unumquemque eum tantum poſſe conſequi Epiſcopatum, intra cujus limites ſuam duxit originem; ne ſi quis alium conſequatur, iis potiatur contra naturalis dictamen rationis Epiſcopatus proventibus, qui ibi naſcuntur, ubi ipſe natus non eſt, ſicque alienæ induſtriæ fructus colligat ac laboris.

Ex eadem Anonymi doctrina identidem ſequitur contra naturalis rationis ductum egiſſe, & adhuc agere Imperatorem, Reges & quoſcumque Principes, qui Regnis, Provinciis, Civitatibus propriæ ditionis præfecerunt, & præficiunt extraneos; nam & hi potiti ſunt, & potiuntur illis Præfecturarum reditibus, qui in iis Regnis, Provinciis, Civitatibus producuntur, in quibus ipſi nati haudquaquam ſunt; unde & ipſimet alieni laboris, induſtriæque fructus ceperunt, & capiunt. Quinimmo ſequitur ex eodem principio Regem ipſum Neapolis, cum tributa ſibi pendi jubet a Neapoletanis, lædere naturalis dictamen rationis; ejus enim Regni fructus percipit, cui ipſe exterus eſt. Quicquid hic Anonymus reponat, facile in ipſum retorqueri poterit.

Apage igitur falſam ejuſmodi doctrinam, quæ Summos Pontifices, cæteroſque Eccleſiæ Præſules in Eccleſiaſticorum, necnon ſæculares Principes in politicorum munerum diſtributio-

tionibus erga extraneos contra naturalis rationis dictamen errantes facit, ideoque in ſuis ſaltem conſecutionibus ſeditioſa eſt, utpote quæ ſi admitteretur, ad turbandum & pervertendum tam Eccleſiaſticæ, quam Politicæ Reipublicæ ſtatum apta foret.

Diſcat jam Anonymus, quod ſicut ratio naturalis dictat a ſæculi Principibus in diſtributione Præfecturarum, aliorumque publicorum munerum potiſſimum ſpectandum eſſe bonum Publicum, quare non raro extraneis etiam eas Præfecturas & munera conferunt, cum nempe id expoſcunt & perſonarum meritum, & Reipublicæ utilitas; ita eadem naturalis ratio docet a Romano Pontifice, cæteriſque Eccleſiæ Præſulibus in Beneficiis conferendis, boniſque Eccleſiæ diſpenſandis magis conſideranda eſſe Personarum pariter Merita & Commoda Ecclesiarum, quam Regiam voluntatem, ut ſcribit Martinus V. ad Uladiſlaum Poloniæ Regem (1).

Quibus ſane majus inde robur accedit, quod eadem naturalis ratio Religione illuſtrata præſcribat, omnibus Eccleſiæ filiis, modo aliunde virtute & ſcientia idonei ſint, bona Eccleſiaſtica poſſe diſtribui & Beneficia conferri, quæ natura ſua ſunt & inſtitutione communia. Hoc item diſcat, quod quemadmodum Imperator, Reges, cæterique ſæculares Principes publicorum redituum & munerum Domini ſunt, Summus quoque Pontifex bonorum Eccleſiaſticorum & Beneficiorum ſupremus Dominus eſt, vel certe Diſpenſator, reliquique Præſules ſub ipſo eorumdem bonorum & Beneficiorum ſunt diſpenſatores. Cum enim *Quæ Eccleſiæ ſunt, Chriſti ſint, & quæ Eccleſiæ offeruntur, Chriſto offerantur*, ut ait Concilium Aquiſgranenſe II. anno 836. celebratum (2); harum profecto oblationum ad eum præcipue pertinet diſtributio, qui præcipuas in terris Chriſti vices gerit. Hinc ſicut ſummæ impudentiæ eſſet hortari Pontificem, ut per Apoſtolicas Conſtitutiones turbaret, ac prohiberet Regias politicorum munerum diſtributiones in exteros, ſic intolerandæ temeritatis eſt hortari Regem Neapolis, ut Regio Edicto interpoſito, tur-

(1) *Apud Raynal. ad an.* 1427. *num.* 14. (2) *In lib.* 3. *ad Pippinum Aquitaniæ Regem cap.* 7.

Digitized by Google

turbet, ac prohibeat Pontificias bonorum Eccleſiæ, & Beneficiorum diſtributiones in extraneos; immo ſacrilegii genus eſt id moliri, ut Archiepiſcopus Beneventanus per Regium decretum arceatur a percipiendis ſui reditibus Archiepiſcopatus, atque ut Beneficiorum proventus dentur ſequeſtro apud Regios Oeconomos; quemadmodum prætextu utilitatis Regnicolarum in libello ſupplici ad Cæſarem Neapolitanus Magiſtratus, & in ſuo Opuſculo facit Anonymus (1). *Scriptum eſt:* (inquit Synodus Tullenſis II. Concilii Agathenſis Canonem quartum confirmans) *Clerici etiam, vel ſæculares, qui oblationes parentum aut donatas, aut teſtamento relictas retinere præſumpſerint, aut id, quod ipſi donaverunt Eccleſiis, vel Monaſteriis, crediderint auferendum, ſicut Sancta Synodus conſtituit, veluti necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur ... nam* QUÆCUMQUE PRÆTENDATUR A QUOCUMQUE UTILITATIS, SIVE NECESSITATIS OCCASIO, *ille corda hominum conſpicit, qui novit cogitationes hominum* (2).

Hic etiam obſerves, quam temere idem Anonymus amplos Eccleſiæ Beneventanæ reditus naturalibus Regni incolis dicat deſtinatos: *Ampie rendite deſtinate a naturali del Regno* (3). Sed a quonam, quæſo, deſtinati? Non a Sacris Canonibus, non a Conciliis, non a Summis Pontificibus, non a Regibus, non ab Atavis, non a naturalis dictamine rationis, ut jam oſtendimus: a ſolo ergo Regio Edicto, de quo plane id ſentiendum, quod Anonymus ipſe ſentiret de Pontificia lege, quæ amplos Præfecturarum Regni reditus ſolis ejuſdem Regni naturalibus incolis deſtinaret: nec enim Pontifici aliquod jus *Introſpiciendi in Palatia*, nec Regi jus ullum *introſpiciendi in Eccleſias* (4).

A R-

(1) *Vide Anonym. pag.* 6. 7. 26. 31. (2) *Anonym. pag.* 28. (3) *Synod. Tullen. II. in Epiſt. Synod.* (4) *Ex Epiſt.* 2. *S. Gregorii II. ad Leonem Iſauricum*.

ARTICULUS XXII.

Lex Regia de arcendis alienigenis a Regni Beneficiis nec vana, nec inutilis evadit ex hoc, quod ab ea Beneventanus Archiepiſcopatus excipiatur.

POſt ea, quæ latine reddita excripſimus, & in ſuperiori Articulo confutavimus, ex Beneventanis Synodis a Cardinali Urſino habitis documenta profert Anonymus, quibus oſtendat annuos Beneventani Archiepiſcopatus proventus ad quatuordecim, ſeu quindecim ducatorum millia partingere, eoſque omnes cogi non ex civitate Beneventi, ſed ex quinque Regni Provinciis, quæ eum Archiepiſcopatum conſtituunt (1). Hinc „ Nonne, inquit, vanum redderetur, „ atque inutile Regiæ Majeſtatis in ſuos ſubditos beneficium, ſi permitterentur iſtiuſmodi reditus in Archiepiſcopi „ extranei commigrare manus, qui tantam pecuniæ vim „ tranſveheret aut Romam, aut Genuam Patriam ſuam, in „ alios uſus inſumendam, cujus proinde ne micas quidem „ colligendi ſpes ulla indigenis, Regiiſque ſubditis eſſe „ poteſt (2)?

Huic ſane argumento ſatis congruit reſponſio, quam tradit perantiquus Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctor: *Tibi*, laice, *convenit, ut largiaris, Epiſcopo vero tamquam œconomo, & adminiſtratori rerum Eccleſiaſticarum, ut diſpenſet. Cave tamen ne Epiſcopum ad rationes voces, neque diſpenſationem illius obſerves, quomodo eam gerat, aut quando, aut quibus, aut ubi, utrum bene, an ſecus. Habet enim ipſe ratiocinatorem Deum, qui hanc illi procurationem in manus tradidit, qui ei Sacerdotium tantæ dignitatis mandare voluit* (3).

Verumtamen quia conſilium inivimus eximendi Beneventanum Archiepiſcopatum a Regio Edicto, etſi hoc quoad Regni Archiepiſcopatus & Epiſcopatus robur ſuum habere ſine-

(1) *Anonym. a pag. 26. ad 27.* (2) *Anonym. a pag. 27. ad 28.* (3) *Conſtitut. Apoſtolic. lib. 2. cap. 35. tom. 1. Concil. noviſſ. edit. Venet.*

Digitized by Google

ſineremus; negamus omnino idem Edictum vanum, atque inutile evadere ex eo, quod unus Beneventi Archiepiſcopatus extraneo conferatur. Id ut planum fiat, recolendum eſt, a Regiis Literis, ſicut ſcribit Anonymus, omnia prorſus cum majora, tum inferiora Regni Beneficia ſolis addici indigenis; quorum certe omnium Beneficiorum annui reditus multa centena ducatorum millia conficiant, neceſſe eſt: nam, eodem Anonymo teſte, annui reditus unius Beneventanæ Archidiœceſis ad 13593. ducata numerantur (1). Quid igitur ſunt quatuordecim, ſeu quindecim millia ducatorum, quam ſummam annui Beneventanæ Eccleſiæ proventus implent, ſi cum reditibus omnium Regni Eccleſiarum componantur? Profecto quiſquis eſt æquus rerum æſtimator & judex, vanum & inutile non dicet Regis erga ſubditos ſuos beneficium, ſeu Regium Edictum ex eo, quod Archiepiſcopatum Beneventanum conſequatur extraneus; quandoquidem ex vi legis Regiæ univerſa Regni Beneficia, eorumque proventus adhuc indigenis manent.

Adde ineſſe quidem liberam, ut ſupra oſtendimus, Archiepiſcopo Beneventano facultatem diſponendi de ſuæ Eccleſiæ reditibus, moderandam eam tamen per Canones. Quid vero in re præſenti ſacri Canones ſtatuant, obiter ac breviter audiamus a S. Gregorio Magno in Epiſtola ad S. Auguſtinum Anglorum Apoſtolum: *Mos Apoſtolicæ Sedis*, inquit, *eſt ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, ut de omni ſtipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones; una videlicet Epiſcopo ... familiæ ejus propter hoſpitalitatem, & ſuſceptionem. Alia Clero. Tertia vero pauperibus. Quarta Eccleſiis reparandis* (2). Canonicam hanc Eccleſiaſticorum proventuum partitionem ſi ſervet Beneventi Archipræſul, (quod ejus pietas ſpondet) timor omnis abſcedit, ne micæ quidem non ſuperſint pro Regni incolis ex adeo amplis Eccleſiæ Beneventanæ proventibus; immo ſpes adeſt, non remanſuras micas, quæ Romam, aut aliò tranſmittantur alienis uſibus conſumandæ. Malo itaque, quod ab Anonymo tantopere timetur, ſacri jamdudum Canones occurrerunt; qui ſi alicubi ne-

(1) *Anonym. pag.* 26. (2) *Lib.* 11. *Epiſt.* 64. *in reſpon. ad I. Interrog.*

negligantur, non a Regibus, ſed a Sede Apoſtolica remedium petendum eſt. Haud tamen negamus juxta ea, quæ paulo ante diximus, aliò & præſertim Romam pecuniam Eccleſiaſticam licite poſſe tranſvehi, modo in pias Cauſas, veluti in Eccleſiarum & pauperum ſubſidia convertatur.

Demum ſi timetur, ne Archiepiſcopus extraneus Eccleſiaſticos reditus convertat in alienos uſus, ideſt non pios, (hi enim duntaxat uſus alieni ſunt a ſacris Canonibus) cur idem multo magis non timeatur, ſi indigena ſit Archiepiſcopus? Num forte ſperandum quod carni & ſanguini præſentibus minus ſtudebit, & acquieſcet indigena, quam Præſul extraneus abſentibus? Si res probe inſpiciatur, non aliò ſane in hoc Controverſiæ articulo mens tendit Anonymi, niſi eò, ut laicæ Neapolitani Regni familiæ bonis Eccleſiaſticis ſaginentur.

Pergit ipſe Anonymus, aitque „ Archiepiſcopo Beneventano ineſſe quoque facultatem conferendi complura „ Beneficia & Abbatias duodecim, ex quibus duas, nimirum S. Mariæ *a Guglieto* unam Collegio Beneventano Societatis Jeſu, & S. Mariæ *de Venticano* alteram Bibliothecæ „ Vaticanæ non ſine incolarum Regni præjudicio fuiſſe unitas, ut ex Pinacotheca Nicaſtri fol.59. obſervatur num.xx. „ Collectaneæ generalis juxta ſtatum anni 1715.„. (Ejuſmodi Collectaneam paulo ante dixerat haberi in Synodis Diœceſanis ſub Cardinali Urſino) „ Item ab eodem Archiepiſcopo „ conferri quamplures parœcias, canonicatus, aliaſque Eccleſiaſticas dignitates, Beneficia & penſiones, nedum in „ propria, ſed in tribus etiam extinctis Diœceſibus menſæ „ Archiepiſcopali adnexis: quæ omnia in ditione Regia ſita „ ſunt. Cumque Beneventani Archiepiſcopi Cardinalitia, „ ut plurimum, dignitate fulgeant, ideoque illis legibus non „ teneantur, quibus cæteri Epiſcopi & Archiepiſcopi adſtringuntur, poſſe eos Apoſtolicorum vigore privilegiorum, „ cuicumque libuerit, ea Beneficia conferre. Unde ex hoc „ etiam capite multo magis vanum & inutile evaſurum Regium Edictum, ſi Beneventanæ Eccleſiæ præeſſe permitte„ retur externus Antiſtites (1).

O Quis,

(1) *Vide Anonym. pag. 27. & a pag. 28. ad 29.*

Digitized by Google

Quis quæſo ſibi ſuadeat ab extraneo Archiepiſcopo inquiſitum iri alienigenas, quibus omnia modo recenſita Beneficia conferat, indigenis prorſus rejectis? Quis credat fore, ut alienigenæ eadem Beneficia conſecuturi Beneventum confluant? Hæc nihilominus concedere Anonymus cogitur, ut ejus argumentum vim ſuam omnem obtineat. Profecto nunquam accidit, ut quis Beneventanus Archiepiſcopus Cardinalis omnia ſuæ Archidiœceſis Beneficia extraneis diſtribuerit: quare nec quis prudens timeat, ne id accidat in poſterum. Verum qui malæ cauſæ patrocinium ſuſcepit, trepidare etiam ibi ſe fingit, ubi non eſt timor.

Eſto tamen. Archiepiſcopus conquirat extraneos, quibus Beneficia conferat: confluant extranei, ut Beneventanæ Archidiœceſis Beneficia conſequantur. Sane neque inutile, neque inane regium inde redderetur Edictum, vi cujus reliqua omnia Regni Beneficia adhuc ſolis conferrentur indigenis, qui proinde omnibus eorumdem proventibus fruerentur. Immo & extranei ad Beneventanæ Archidiœceſeos Beneficia convolantes cum Canonicæ partitionis legem, de qua ſupra, ſervare deberent, jam nec pecuniarum Eccleſiaſticarum tranſvectionibus locus eſſet, nec admodum indigenarum inde minueretur utilitas.

Cæterum me neſcire fateor, quid ponderis addat argumento id, quod Anonymus ſtatim ſubdit, Archiepiſcopos videlicet Beneventanos, utpote qui ſacra Purpura plerumque decorantur, ideoque non adſtringuntur iis legibus, quibus cæteri Epiſcopi & Archiepiſcopi tenentur, poſſe Apoſtolicorum vigore privilegiorum ejus Archidiœceſeos Beneficia arbitratu ſuo conferre cuicumque libuerit. Cum enim in re præſenti Apoſtolica privilegia Archiepiſcopis & Epiſcopis Cardinalibus ſupra cæteros hoc unum tribuant, ut Beneficia alias Romano reſervata Pontifici, ipſi conferant; non video quid in horum Beneficiorum diſtributionibus ab Archiepiſcopis Cardinalibus timere poſſit Anonymus, quod pari ratione a Summis Pontificibus metuere nequeat. Id tamen eum velle cognoſcimus, ut ſcilicet privilegia Apoſtolica, in re beneficiaria Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus merito conceſſa, invalido Regis Edicto poſthabeantur.

Quoad

Digitized by Google

Quoad reliqua, quæ ſupra ex Anonymo retulimus, duo notanda ſuperſunt, ejus nimirum mala fides, & malus animus. Mala fides in citationibus. Etenim quamvis Nicaſtrus citato loco ea ſcribat, quæ ex eo Anonymus refert, & in Synodico Diœceſano Cardinalis Urſini part.2. in Appendice ad Tit. XI. de Fide Inſtrument. §. 3. ex Appendice Synodi trigeſimæ ſecundæ Diœceſanæ habeatur Collectanea generalis juxta ſtatum annorum *1686.* & *1715.*, nulla tamen in ea Synodo de Nicaſtri Pinacotheca, nulla prorſus de prædictarum Abbatiarum unionibus facta mentio. Malus animus in Apoſtolicam Sedem, cujus auctoritate peractas earumdem Abbatiarum uniones ſatis aperte improbat, veluti noxias naturalibus Regni incolis. Verumtamen quod Abbatia S. Mariæ *a Guglieto* Collegio Beneventano Societatis Jeſu unita fuerit, id non in præjudicium, ſed in maximam vergit ipſorum Regni incolarum utilitatem: nam & Beneventani Seminarii Alumni (1), & alii ex tota Archidiœceſi adoleſcentes ad idem Collegium bonis Artibus imbuendi confluunt, vel confluere commode poſſunt. Nec quiſquam ex originariis Regni incolis jure queri poteſt ex unione Abbatiæ S. Mariæ *de Venticano* ad Bibliothecam Vaticanam ſibi oriri præjudicium; cum hujuſce Bibliothecæ conſervatio toti orbi Catholico maximo ſit emolumento. Nemini autem ea nocent, quæ omnibus proſunt. Denique Summi Pontifices in iis unionibus peragendis eo jure uſi ſunt, vi cujus ſive diſtribuant, ſive uniant, aut eccleſiaſtica Beneficia ipſi dividant, reſpiciunt, more Majorum, Perſonarum merita & commoda Eccleſiarum.

ARTICULUS XXIII.

Refelluntur ea, quæ ex Conſtitutionibus Sixti IV. ab Anonymo ſubjiciuntur.

„ AT id in præſenti controverſia, Anonymus inquit, „ multo magis obſervatu dignum eſt, per Literas Six„ ti IV. anno 1482. expeditas Beneventanis præſcribi Ar- O 2 chie-

(1) *Ughel. Ital. ſac. ubi de Archiep. Benevent. ſub initium.*

„ chiepiſcopis, ut Beneventi duntaxat civibus ea omnia Be-
„ neficia conferant, quæ ad ipſorum diſtributionem perti-
„ nent. Aliis inſuper Apoſtolicis ejuſdem Pontificis Literis
„ ſequenti anno 1483. die 18. Martii exaratis, quæ a Sar-
„ nello in chronologicis Beneventi Monumentis referuntur,
„ & a Cardinali Urſino in Collectanea generali adjecta Diœ-
„ ceſanis Synodis num. xv. adnotantur, declaratur inter
„ Beneventanos cives recenſendos eſſe etiam Archiepiſcopi
„ Familiares. Cui igitur dubium eſſe poteſt, ſi Beneventa-
„ næ Eccleſiæ præficiatur extraneus, qui & nullis ſe Regni
„ legibus obtrictum eſſe præſumit, eum Sixti Literis potius
„ obſecuturum in Beneficiis conferendis, quam Regis Edi-
„ cto? Num iſte Beneficia denegare volet Beneventanis ci-
„ vibus, quos proprio lateri ſemper aſſidentes habet, aut Fa-
„ miliaribus ſuis, quibus ſi conferat, ſtipendii ipſorum ſum-
„ ptus declinabit, ut ea conferat Regni incolis, quos ipſe
„ reputat extraneos, & Sixti Conſtitutione nullatenus com-
„ prehenſos? Nonne igitur hoc idem erit, ac Regiæ Majeſta-
„ tis Edictum evertere, illudque vanum reddere, atque
„ inutile (1)?

In perniciem Romanæ Sedis mentiri Anonymo ſolemne eſt, ut cum aliter nequeat, ſaltem mendacio apud rerum geſtarum inſcios Summis Pontificibus creet invidiam. Sarnellus nullatenus aſſerit, a Sixti IV. Literis præſcribi Beneventanis Præſulibus, ut hi Beneventanis tantum civibus ea *Omnia* Beneficia conferant, quæ ad ipſorum diſtributionem pertinent, ſed hoc ſolum loco citato ad annum 1482. ſcribit: *Siſto IV. avendo conceduto che i Benefizj non ſi conferiſcano, che a' Cittadini Beneventani, nell'anno* 1483. *dichiarò che per Cittadini s'intendano ancora i Familiari dell' Arciveſcovo, come nelle Lettere Apoſtoliche* ſub datum Romæ die 18. Martii 1483. Pontificatus ſui anno 12. Id autem ſtatuiſſe Sixtum, & memoriæ mandaſſe Sarnellum de ſolis civitatis Beneventanæ Beneficiis, non vero de Beneficiis Diœceſis, quæ ad Archiepiſcopi diſtributionem ſpectant, facile quiſque intelligit, cum incredibile omnino ſit voluiſſe Sixtum a quibuslibet Beneficiis, etiam-

(1) *Anonym. pag. 29.*

etiam curam animarum adnexam habentibus arcere omnes ampliſſimæ Diœceſis Clericos: nec ſatis ſcio, quomodo hoc in Anonymi mentem venire potuerit.

Ut autem & ejuſdem Anonymi mendacium, & noſtræ reſponſionis veritas clarius appareant, ipſas Sixti IV. Literas proferamus, quas ex Tabulario prætorii Beneventani Palatii exſcriptas apud nos retinemus. I. itaque cum Sixtus accepiſſet, ſicut ipſe fatetur, quod *Diverſa Beneficia Eccleſiaſtica in Civitate & Diœceſi Beneventana extantia, ut plurimum, Forenſibus, aut Alienigenis conferrentur, qui in Civitate & Diœceſi prædictis nunquam, aut raro admodum reſidentiam faciebant perſonalem*; Beneventanorum civium precibus permotus, datis ad eoſdem Literis die 20. Julii anni 1478. conſtituit, quod *Nullus deinceps Forenſis, aut Alienigena, qui inibi* (in Civitate videlicet, aut Diœceſi) *ſuam perpetuam non elegerit manſionem, Beneficium obtineat*. II. in Literis Apoſtolicis die 21. ejuſdem menſis & anni ad Archiepiſcopum Beneventanum, Epiſcopum Ortanum, & Archipresbyterum Beneventanum, ipſis præcipit, ut antedictam Conſtitutionem *Inviolabiliter obſervari* faciant. III. demum in Literis ad Beneventanos die 18. Martii anni 1483. ita ſtatuit: *Oratores veſtri precibus multis apud nos egerunt, dignaremur confirmare Indultum & Gratiam alias vobis per Bullam noſtram factam, ut Beneficia civitatis iſtius noſtræ Beneventanæ nonniſi Civibus conferri poſſent, cum hactenus interrupta aliquoties fuerit; Nos attendentes id in augumentum cultus Divini, quod melius a Civibus, quam ab exteris celebrari poteſt, tendere; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium Indultum & Gratiam hujuſmodi noſtram confirmamus & approbamus, locumque apud omnes habere volumus, præterquam ad Familiares ven: Fratris Archiepiſcopi veſtri, quibus Beneficia ipſa libere conferri poſſe decernimus*.

Ita Sixtus IV., qui nonniſi Beneventanis civibus, Beneventanique Archiepiſcopi Familiaribus addicit ejus Beneficia civitatis, non autem Beneficia etiam omnia peramplæ Diœceſis, quæ in prioribus Literis nedum incolis, ſed alienigenis quoque conferri poſſe decernit, modo hi ſedes inibi fixerint ſuas,

Digitized by Google

ſuas. Proferat nunc Anonymus eas Sixti Literas, quibus ſanciri aſſerit, quotquot ad Archiepiſcopi Beneventani diſpenſationem Beneficia ſpectant, ea omnia conferenda eſſe ſolis Beneventanis civibus, ipſiuſque Archiepiſcopi Familiaribus, utpote qui inter Beneventanos cives recenſentur. At cum proferre non poſſit, deſinat ſaltem clamare in eumdem Beneventi Archipræſulem, tanquam in eum, qui Apoſtolicis literis ſuffultus cuncta, quæ ad ipſius diſtributionem pertinent, Beneficia collaturus ſit Beneventanis tantum civibus, ſuiſque Familiaribus. Quibus tamen etſi ea omnia Beneficia conferret, Regium Edictum neque vanum, neque inutile redderetur, ut alibi oſtendimus. Eædem vero Sixti IV. Literæ, quales ab Anonymo indicantur, evolventi mihi Diœceſanas Cardinalis Urſini, Pontificis deinde Maximi, Synodos nullibi occurrerunt. Sane in Synodo XXXII. occurrit Collectanea generalis, quam idem Anonymus innuere videtur (1); & in hac quidem exhibentur reditus Eccleſiaſtici Beneventanæ Archidiœceſis, ſed nulla ibi mentio habetur de Sixti IV. Literis, quæ ſi alicubi in Diœceſanis Synodis a Cardinali Urſino indicantur, eæ certe ſunt, quas nos ſupra exhibuimus, non vero quæ ab Anonymo finguntur.

Cæterum idem Anonymus Chriſtianæ caritatis & juſtitiæ memor, Beneventani Antiſtitis, qui & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis fuit, famæ ſaltem parcere debuiſſet, nec eum per ſummam calumniam in ſuſpicionem adducere ſimoniacæ labis, dum ſcripſit eumdem non denegaturum ſuis Eccleſiaſtica Beneficia Familiaribus: *Co' quali, conferendogli Beneficj, riſparmierà le ſpeſe del loro ſalario* (2). Cui ſane malo ſi quis, quod abſit, in extraneo locus eſſet, utique in indigena etiam Archiepiſcopo pari ratione foret.

AR-

(1) *Pag. 27. & 29.* (2) *Anonym. pag. 29.*

ARTICULUS XXIV.

Objectioni reſpondet Anonymus, cujus reſponſioni occurritur.

„ OBjicitur huic periculo „ (quod ſcilicet Regni Beneficia alienigenis diſpenſentur) „ indigenas fore ſemper expoſitos, ſive Regiæ Majeſtatis ſubditus ſit, ſive „ extraneus Beneventi Archiepiſcopus, regiumque Edi- „ ctum ſemper obtenturum effectum ſuum in diſtributione „ horum Beneficiorum; quippe aut ſubditus ille ſit, aut non „ ſit, regii virtute Edicti Beneficia eadem indigenis ab ipſo „ fore conferenda; & ſi aliquando ſecus accidat, tunc præſto „ adfuturum confugium ad Collaterale Conſilium, Regiæque „ Delegatum juriſdictionis Neapolis, qui œconomicis reme- „ diis in hujuſmodi caſibus adhiberi ſolitis præſenti malo „ occurret (1).

Cui objectioni Anonymus ipſe reſpondet: „ Hoc plane „ idem eſſe, ac expectare pacato animo ferri ictum capiti „ vulnus inflicturum, eo quia præſto ſint emplaſtra, & un- „ guenta, quibus inflicto vulneri medeamur: perpetua expe- „ rientia compertum eſſe malo ipſo pejora ſemper evaſiſſe „ hujuſmodi remedia. Et primo quidem non eſſe idem ſen- „ tiendum de Archiepiſcopo extraneo, cui in Regno nec „ conſanguinei, nec res ſunt, ac de ſubdito regiæ Majeſta- „ tis, qui proprii memor officii magis profecto, quam ex- „ traneus cogitabit de mandatis naturalis ſui Principis obeun- „ dis; quibus ſi non pareat, promptas, facileſque in ipſum „ adfuturas punitiones, videlicet vel cognatorum ejus in „ carcerem detruſiones, vel bonorum ipſius capturas: nam pu- „ nitionem aliam, ſcilicet expulſionem a Regno, quæ eſſet „ utriſque communis, non ita facile executioni fore mandan- „ dam, cum ipſimet Archiepiſcopo Beneventum pro aſilo ſit: „ cumque propterea manu forti & armata agendum eſſet, id „ ſine turbis & tumultibus nullatenus eventurum (2). Se- „ cundo, ſi rei eventus expectetur, & deinde cogitetur de re-

(1) *Anonym. pag.* 29. (2) *Anonym. a pag.* 29. *ad* 30.

Digitized by Google

„ remedio; remedium ipſum aut nunquam aut ſero aut „ ſine fructu futurum, non modico interim partium diſpen- „ dio & incommodo, quibus a locis longe diſſitis iter eſſet „ inſtituendum Neapolim ad opem, ac miſericordiam implo- „ randam ab eo, (nimirum Nuntio Apoſtolico) cui forte „ hoc unum cordi erit, ne Archiepiſcopo aut Curiæ Roma- „ næ ipſe diſpliceat. Multos eſſe cum Laicos, tum Eccleſia- „ ſticos, qui quantumvis oppreſſi, ad opem implorandam „ non veniunt, ſive quia ob inopiam, miſeriamque nequeunt, „ ſive quia timore percelluntur, miniſque abſterrentur in „ eos intentandis (1).

Hæc Anonymus, ut adverſus præjactam objectionem oſtendat regium Edictum inutile & inane futurum, ſi Beneventi extraneus toleretur Antiſtes. Nos vero, qui eidem Edicto nullam ineſſe legitimam vim, atque adeo cauſam finitam eſſe demonſtravimus, quæ modo objiciuntur cum ſuis reſponſionibus libenter miſſa feciſſemus, niſi eſſet animus Anonymum impugnandi juxta quemcumque, qui præſenti controverſiæ ab eodem affingitur, aſpectum.

Cum itaque ſive tota, ſive ſaltem potiſſima reſponſionis vis in eo conſiſtat, quod Beneventi Archiepiſcopus, ſi indigena ſit, in officio timore pœnarum continebitur, Regioque in Beneficiis conferendis obſequetur præcepto; cur quæſo, hoc idem dici nequeat, ſi ſit extraneus? Non enim eſt præter morem penes extraneum Antiſtitem commorari ex ejus ſeu conſanguineis ſeu affinibus aliquem: ſin minus; certe illi nunquam deerunt adminiſtri & familiares, qui Benevento quandoque egreſſi negotiorum, vel oblectationis cauſa Archidiœceſis loca adeant. Eccur igitur hi facile, prompteque in vincula & carceres conjici nequeant, ſi ille Regio Edicto non pareat? Eccur iiſdem pœnis animadverti non poſſit ſaltem in eos, quibus alienigenis alienigena Archiepiſcopus Beneficia in Regno ſita contulerit, quæ ipſorum ibi præſentiam expoſcant? Sed neque res & bona Archiepiſcopo extraneo in Regno deerunt, cum omnes pene menſæ Archiepiſcopalis proventus, ipſo Anonymo teſte, ex ampliſſima Diœceſi, quæ in

(1) *Anonym. pag.* 30.

Digitized by Google

in Regia ditione conſtituitur, colligantur. Quidni ergo horumce bonorum & proventuum captione æque compelli poſſit ad Regii Edicti obſervantiam, ſive indigena, ſive alienigena ſit Archiepiſcopus? Hoc potius cavendum eſſet juxta politicum Anonymi ſyſtema, ne Beneventanæ Eccleſiæ is præficiatur, qui carni & ſanguini non acquieſcat, qui opponere ſe murum pro domo Iſrael, cum opus fuerit, non pertimeſcat: nam ſi talis præficiatur ſive indigena ſit, ſive extraneus, in Beneficiorum diſtributione ſuæ potius memor erit obſervantiæ erga Eccleſiaſtica jura, & Apoſtolicam Sedem, quam erga Regium Edictum, Regiamque Majeſtatem. Nonne, ut priſca, & aliena exempla omittam, vel noſtra tempeſtate Epiſcopos Regni, & quidem indigenas ſuſpeximus, qui ſuis, ſuorumque commodis, damniſque poſt habitis, Regiarum Curiarum Decretis pro tuendis Eccleſiæ juribus invicto plane robore obſtiterunt? Hinc quamvis indigena Benevento detur Antiſtes, expectandus adhuc erit ferri ictus, qui capiti vulnus infligat, cui proinde ſanando, præſto quæ ſunt, unguenta & emplaſtra adhibenda erunt. Hinc eadem ſequetur remedii omiſſio, vel tarditas ſeu vanitas, eadem partium damna & incommoda, eædem a locis longe diſſitis Neapolim profectiones, eadem in oppreſſis implorandi auxilii impotentia ob inopiam, metus denique idem ob minas intentandas.

Dicta hæc ſint tantum, ut Anonymo ad tempus morem gereremus, ſimulque ſuis ipſum armis conficeremus: nam catholico viro qua ratione ea probari poſſint, non video, quæ in reſponſione ad prædictam objectionem ab eodem ſcripta retulimus. Siquidem illi ipſi, qui in Pontificia jura ſunt minus æqui, utramque poteſtatem Eccleſiaſticam & Politicam ſtatuunt in ſuo genere ſummam, & neutram in rebus ad ſe pertinentibus ab alterutra dependentem (1). Quamobrem peſſima conſuetudo confugiendi ad laica tribunalia contra prætenſum Eccleſiaſticæ poteſtatis abuſum, quam poſtremorum temporum calamitas in Gallias invexit ſub obtentu tuitionis Canonum

P num

(1) *Feuretus de Abuſ. lib. 1. cap. 7. Marca lib. 2. Concord. cap. 1. num. 4. & ſeqq. Boſſuet. in Defenſ. Declarat. tom. 2. part. 2. lib. 5. cap. 31. Jannon. Hiſt. Civil. tom. 1. lib. 1. cap. ult.*

num commiſſæ Regibus, ſeu invaſæ a Clericis Regiæ juriſdictionis, a ſuis defenſoribus aliquibus conditionibus circumſcribitur, inter quas ea eſt, ut talis abuſus ſit *apertiſſimus*, *notorius*, *& manifeſtus* (1). Eadem inſuper conſuetudo Romanorum Pontificum præſumpto, licet perperam, beneplacito munitur (2). Tandem non alicui obligationi, qua Clerici Regiis præceptis obtemperare teneantur, ſed juri naturalis defenſionis adſcribitur (3). Anonymus autem noſter Eccleſiaſticam poteſtatem in re ad hanc pertinente, nimirum beneficiaria, politicæ ſubjicit, dum Regni Præſules, & Beneventanum pariter Archiepiſcopum, proprio aſſerit adſtringi debito parendi Regio præcepto de extraneis ad ejuſdem Regni Beneficia non admittendis, *aperte*, *notorie* & *manifeſte* lædenti ſacros Canones, & invadenti Eccleſiaſticam juriſdictionem: quod præceptum ſive Edictum nullo fulcit, ſed nec fulcire poteſt Apoſtolicæ prætextu approbationis. „ Regis „ ſubditus, inquit, Archiepiſcopus ex proprio debito magis „ cogitabit de obeundis naturalis ſui Domini præceptis, „ quam extraneus (4).

Quanta autem Anonymo ſit in ſuis aſſertionibus audacia & temeritas, clarius etiam conſtabit, ſi animadvertamus per ipſas civiles leges a ſæculari poteſtate eximi Eccleſiaſticos viros: *Fas enim non eſt, ut divini muneris Miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio* (5). *Habent illi Judices ſuos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quantum ad cauſas Eccleſiaſticas pertinet* (6); inquit Theodoſius Imperator. Immo ſi utriuſque poteſtatis naturam, ordinemque juxta SS. Patrum & Theologorum ſenſus obiter inſpicere velimus, actutum inveniemus politicæ poteſtati Eccleſiaſticam præferri. *Imperium nos quoque gerimus*, ait S. Gregorius Nazianzenus ad Præfectum iraſcentem, *addo etiam præſtantius ac perfectius: niſi vero æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere* (7). Quare recte Ivo Car-

(1) *Marca Concord. lib. 4. cap. 20. num. 2.* (2) *Idem ibidem cap. 19. num. 7.* (3) *Idem ibidem cap. 20. num. 3.* (4) *Anonym. pag. 20.* (5) *Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. l. 47.* (6) *Habetur poſt lib. 16. Cod. Theod. de Epiſcop. Judic. L. 3.* (7) *S. Greg. Nazianz. Orat. 17.*

Carnotenſis ad Henricum Angliæ Regem: *Sicut ſenſus animalis ſubditus debet eſſe rationi, ita poteſtas terrena ſubdita eſſe debet Eccleſiaſtico regimini* (1): cui doctrinæ Alexander Alenſis (2), S. Thomas Aquinas (3), horumque aſſeclæ ſubſcribunt. Ex his facile quiſque colligat quam verum ſit illud Leonis X. oraculum a Patribus Concilii Lateranenſis approbatum, videlicet quod *Laicis in Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas, ac bona Eccleſiaſtica non eſt attributa facultas* (4). At Anonymus Cæſarum leges, Patrum ſententias, Pontificum oracula, & Canones una ſupergrediens animum corpori veluti ſubjicit, Eccleſiaſticam ſcilicet Politicæ poteſtati ſubmittit, dum Archiepiſcopo Beneventano id oneris vult eſſe impoſitum, ut Regio præcepto de arcendis alienigenis a Regni Beneficiis obtemperet: ſin minus; opportunum putat, ut caſtigationibus ille pateat, ideſt ut ejus bona ſequeſtro dentur, conſanguinei in carcerem detrudantur, & ipſemet, modo turbarum & tumultuum periculum abſit, pellatur in exilium (5): quæ omnia, cum divino, humanoque juri adverſentur, & injuſtitiam, tyrannidem ac ſacrilegium etiam ex parte redoleant, REMEDIA tamen OECONOMICA nuncupantur, ut hac ſaltem appellatione honeſtentur, eorumque fœditas quodammodo obtegatur. Verum qui talia ſentiunt & agunt, velint, nolint, imitantur Fridericos, Henricos, alioſque Eccleſiæ acerrimos hoſtes; qui vero talia patiuntur Epiſcopi, ſequuntur Thomam Canturienſem, Albertum Leodienſem, cæteroſque Eccleſiaſticæ Libertatis inclytos Propugnatores.

Præterea quærere ab Anonymo juvat, qualenam in Regni Præſulibus & Archiepiſcopo Beneventano crimen eſſet, Regio non obtemperare Edicto? Non civile; cum Epiſcopis nihil civilibus *Commune ſit cum legibus*, ut ait Theodoſius: atque, ut ait Leo X. *Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit*. Sed neque Eccleſiaſticum crimen dixeris; nam nulli ex Eccleſiaſticis legibus adverſatur, immo iſtis conſentit. Quæ igitur œconomiæ ratio poſcit, ut tam graves

(1) *Ivo Carnot. epiſt.*106. (2) *Alenſ. part.*3. *quæſt.*40. *membr.*2. (3) *S.Thom.* 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 6. *ad* 3. (4) *Vide Conſtit. Leonis X. in Concil. Lateran. V. ſeſſ.*10. *quæ incipit* : Regimini. (5) *Anonym. pag.* 30.

& ſeveræ punitiones, quales Anonymus enumerat & approbat, adverſus id ſtatuantur, quod nullam induit delicti ſpeciem? Quî REMEDIA OECONOMICA appellari poſſunt eæ pœnæ, quarum executio perpetuis apta eſt fovendis in Republica ſimultatibus Eccleſiaſticam inter & Politicam poteſtaſtem? Illud quoque addimus, Eccleſiaſtica delicta quæ vere ſunt, ab Eccleſiæ poteſtate eſſe punienda juxta ſacrorum Canonum Sanctiones, quod vel ipſe agnovit & declaravit Imperator Juſtinianus: *Si Eccleſiaſticum*, inquit, *ſit delictum, egens caſtigatione Eccleſiaſtica & mulcta, Deo amabilis Epiſcopus hoc decernat, nihil communicantibus clariſſimis Provinciæ Judicibus. Neque enim volumus talia negotia ſcire civiles Judices: cum oporteat talia Eccleſiaſtica examinari, & emendari animas delinquentium per Eccleſiaſticam mulctam ſecundum ſacras & divinas Regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur Leges* (1).

Non immoror diutius in iis refellendis, quæ Anonymus lamentabundus addit de partium damnis & incommodis, de remedio nunquam vel ſero, vel ſine fructu adhibendo, de ope ab oppreſſis haudquaquam petenda ſive ob impotentiam, ſive ob minarum metum; quæ omnia tandem in Romanæ Curiæ præpotentiam ille refundit. Porro iſta retuliſſe, confutaſſe eſt; nam damna & Regiorum ſubditorum oppreſſiones, quas exagerat Anonymus, & de quarum remedio inquirit, falſo ab eodem ſupponuntur. Neque enim cui damnum inferre, aut quem opprimere Curia Romana dicenda eſt, dum per ſe vel per Epiſcopos, ſuoſque Adminiſtros, quibus licet modis ſua, & ſacrorum Antiſtitum jura tuetur: nec ulli crimini verti poteſt ſtudium non diſplicendi eidem Curiæ in rebus præſertim ad Eccleſiaſticam poteſtatem & juriſdictionem ſpectantibus; pro cujus defenſione non deſunt, qui occubuerint, ac publico martyrii honore ab Eccleſia donati ſint. *Si qui autem aliquando ſe vere prægravatos* a Curia Romana *conqueruntur, non deſcendant in Ægyptum*, ideſt a Regia poteſtate auxilium non petant, ſicut explicat Marca

(1) *Authen.* Ut Clerici apud proprios *Collat.* 6. §. Illud palam.

ca (1); *ſed ab ipſa ad ipſam confugiant, & inde expectent levamen, unde ſe conqueruntur accepiſſe gravamen*: ut optime monet S. Ivo Carnotenſis (2). Etenim S. Bernardus ait, Hoc SOLET *Apoſtolica Sedes habere præcipuum, ut non pigeat revocare, quod a ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum* (3).

ARTICULUS XXV.

Diluuntur ea, quæ in ſuæ reſponſionis confirmationem ab Anonymo ſubnectuntur.

„ PErnicioſum, infauſtumque Regiæ juriſdictioni extitit „ in multis ſui conſecutionibus hocce principium occur„ rendi tunc malo, quando caſus tulerit; veluti quando per„ miſſa Epiſcopis facultate typis edendi, & libere circummit„ tendi Diœceſanas ipſorum Synodos, in quibus pecuniariæ „ pœnæ indiſcriminatim Clericis, Laiciſque imponebantur, „ & nullus Canon erat, qui non cuderetur pro obſervantia „ *Bullæ in Cæna Domini* in Regno haud quaquam receptæ; „ hoc uno indolentia tanta obtegebatur dicto, nimirum quod „ cum Epiſcopi Canonum executionem urgerent, tunc fore, „ caſu jam præſente, ut valida & efficacia remedia adhibe„ rentur. Interim vero infortunati Regiæ Majeſtatis ſubdi„ ti, quibus aut deerat confugii modus, aut inerat potentiæ „ Epiſcopalis metus, mulctis & realibus executionibus, nec„ non injuſtis invalidiſque excommunicationibus frequenter „ opprimebantur (4).

Ita Anonymus; qui tamen immerito conqueritur, Regni Præſules olim a laica poteſtate fuiſſe permiſſos edere typis, & circummittere liberas atque immunes Diœceſanas Synodos. Cum enim Epiſcopos Spiritus Sanctus poſuerit regere Eccleſiam Dei (5), nulli profecto ſæculari poteſtati vetare licet, ne evulgentur & circumferantur eæ leges, quas illi ad Eccleſiarum ſuarum regimen condiderint in Diœceſanis Synodis.

(1) *Concord. lib. 4. cap. 17. num. 7.* (2) *S. Ivo Carnot. Epiſt.* 183. (3) *S. Bernard. Epiſt.* 180. (4) *Anonym. pag.* 30. (5) *Act. cap.* 20. *v.* 28.

dis. Siquidem Concilia cum Provincialia, tum Generalia, & noviſſime Tridentinum (1), quæ hujuſmodi Synodorum celebrationem jubent (2) pro moribus reformandis, concedunt utique Epiſcopis facultatem publicandi Synodalia Decreta, tanquam medium neceſſarium ad eum finem aſſequendum (3).

Neque obtendas exinde conſecutam fuiſſe in multis Regiæ juriſdictionis perniciem; nam e contra ex hujuſmodi obtentu omnimoda oritur Eccleſiaſticæ pernicies juriſdictionis. Etenim cum nunquam deſint, nec deeſſe unquam poſſint violatæ Regiæ auctoritatis prætextus, quos nuper in notoriis Gravinæ Controverſiis ſacrilege penetraſſe in ipſum Sacramenti Pœnitentiæ tribunal boni omnes horruerunt *, jam eæ tantum Synodorum leges evulgari, obſervarique in Regno permittentur, quas ejuſdem Regni laici Magiſtratus omnia pene ad humanæ politices regulas metientes, Regiis juribus non obeſſe judicabunt; atque ita demum Diœceſeon regimen ab ipſorum Magiſtratuum pendebit arbitrio, & profanæ ſubacta ſerviet ſacra poteſtas.

Sed examinemus ſingulas illas conſecutiones, quæ ex Diœceſanis Synodis typis editis, & libere circumferri permiſſis profluxerunt; ac juxta Anonymum Regiæ juriſdictioni pernicioſæ, infauſtæque extiterunt. I. „ In Synodis, inquit, „ pœnæ pecuniariæ indiſcriminatim Clericis & Laicis impo- „ nebantur „. Quid inde? num perniciem Regiæ juriſdictioni attuliſſe, & non potius ſua Eccleſiæ jura aſſeruiſſe dicendi ſunt Tridentini Patres, qui ea Epiſcopos facultate donatos vo-

* Anno 1733. Regius Materæ Magiſtratus Gravinæ Epiſcopum, & quidem tanquam accuſatum & criminoſum adigere inter alia contendit ad præcipiendum Parochis, aliiſque Sacramenti Pœnitentiæ Adminiſtris ſuæ Diœceſeos, ut abſolutionis beneficium impertirentur illis, qui cuidam mandato procurationis a a Viro Principe ſuddole expiſcato, atque Immunitati Eccleſiaſticæ contrario ſubſcripſerant. At vero idem Antiſtes, cum aliter non poſſet, armis ſpiritualibus Eccleſiæ jura, & Epiſcopi dignitatem ſuga defendit. Vide Scripturam Anonymi ann. 1733. typis editam, cui titulus; *Lettere di Riſpoſta ſopra le pendenze di Gravina, Sommario num. XIV.*

(1) *Seſſ. 24. de Reformat. cap. 2.* (2) *Vide Thomaſſ. Diſcipl. part. 2. lib. 3. cap. 75.* (3) *Zypaus de Juriſdict. Eccleſ. & Civil. lib. 1. cap. 63. num. 17.*

voluerunt? *Liceat eis* (ideſt Epiſcopis) ait Oecumenica Synodus, *ſi expedire videbitur in cauſis civilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus contra quoſcumque etiam laicos per mulctas pœcuniarias, quæ locis piis ibi exiſtentibus eo ipſo, quod exactæ fuerint, aſſignentur .... cauſas definire* (1).

II. „ Nullus, ait, Canon erat, qui non pronunciaretur „ pro obſervantia *Bullæ in Cœna Domini* „. Hoc per emphaſim dictum Anonymo damus; ſed quod addit: „ In Regno „ haudquaquam receptæ, „ non ſine ſtomacho ferre poſſumus. Quomodo enim hoc verum ſit de Bulla, quæ a Regni Epiſcopis in Diœceſibus, a Parochis in Parœciis promulgatur, Sacramentalis Pœnitentiæ tribunalibus affixa perpetuo conſpicitur, (adeout mirum ſit ab Anonymo non fuiſſe viſam, ſi hic ſemel ſaltem in anno ad ea tribunalia acceſſit) atque in Sacramentalis judicii miniſterio a Sacerdotibus tanquam regula tenetur? Cui hæc perſpicua non ſunt, in meridie cæcutiat, neceſſe eſt. Quomodo demum non recepta in Regno dici poteſt ea Pontificia Conſtitutio, cui ipſi Proreges Regiique Magiſtratus licet inviti, obſecuti tamen ſunt & paruerunt, ut plura apud Chioccarellum (2), & Laderchium (3) monumenta teſtantur? His addo Cardinalem Albitium, qui de Philippo II. Hiſpaniarum Rege hæc habet: „ Is uti Filius obſequentiſſimus Sanctæ Matris Eccleſiæ mandavit, ut ab illis omnibus controverſiis Prorex & Collaterale Conſilium deſiſterent, & publicationi dictæ Bullæ acquieſcerent, quod etiam in inſtructione data Marchioni *de las Navas* Romam miſſo de anno 1578., ut ageret cum Pontifice Gregorio XIII. ſuper moderatione nonnullarum clauſularum in dicta Bulla contentarum, faſſus eſt dicendo: *In omnibus ſuis Regnis Bullam Cœnæ fuiſſe publicatam & acceptatam* (4) „. Sed enim Anonymus eidem Bullæ Regnum Neapolis vult eſſe inhoſpitum, ſeu verius ipſam Bullam vult a Regno exulem, ut Regiis Adminiſtris in ſacram juriſdictionem liberius debacchari liceat, atque petulantius.

III. Hoc

(1) *Seſſ. 25. de Reform. cap. 3.* (2) *Indic. tom. 4. pag. 57. 58. 70.* (3) *In Annal. Eccleſ. ad ann. 1567. num. 66.* (4) *De Inconſt. in fide cap. 30. num. 405.*

III. „ Hoc uno , inquit , indolentia tanta obtegebatur „ dicto , ſcilicet quod cum Epiſcopi Synodalium Canonum „ executionem urgerent , tunc fore , caſu jam præſente , ut „ valida & efficacia remedia adhiberentur „ . At hujuſcemodi dictum , quod ab Anonymo tanquam impar Regiæ juriſdictioni reparandæ contemnitur , quam Synodalium executione Canonum lædi perperam exiſtimat , mihi videtur , ſi factum dicto accedat, Eccleſiaſticæ juriſdictioni perdendæ aptiſſimum . Quid enim juvat Canones condidiſſe , ſi ſæcularis poteſtatis interjecta vi , executioni mandare non liceat? Merito hic uſurpari illud poſſet: *Unus ædificans & unus deſtruens , quid prodeſt illis niſi labor* (1)? Neque opponas perfugii difficultatem ; nam facilis cuique ſemper erit refugiendi modus ad viciniores Præſides & Magiſtratus ſaltem per epiſtolas ; nec tantus erit oppreſſis Epiſcopalis potentiæ metus , qui absterreat , quanta ſpes in ſæcularis patrocinio poteſtatis , quæ animos erigat .

IV. „ Interim , ſubdit , miſeri Regiæ Majeſtatis ſubditi „ mulctis ac realibus executionibus , necnon injuſtis ſæpe „ invalidiſque excommunicationibus opprimebantur „ . Quo ſpiritu falſam hanc , & Epiſcopali poteſtati contumelioſam aſſertionem effutierit Anonymus , facile percipit quiſquis animadvertit a Tridentina Synodo facultatem puniendi quoſcumque reos etiam laicos mulctis & realibus executionibus in cauſis cum civilibus , tum criminalibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, eoſque contumaces feriendi anathematis gladio , Epiſcopis fuiſſe collatam (2) . Vel igitur idem Anonymus Regios ſubditos (quos tamen quatenus in Leges Eccleſiaſticas delinquunt , Epiſcopis , ſeu Eccleſiæ ſubjectos melius dicas)prædictis pœnis oppreſſos aſſerit,& in eoſdem latas excommunicationes injuſtas invalidaſque dicit , eo quia illa facultate ab Oecumenico Concilio ipſis conceſſa Epiſcopi abuſi fuerint , vel quia eam illis concedere Concilio non licuit (3), vel demum quia illud Concilii Decretum in Regno non fuit receptum ; ſicut Petro Jannonio placuit (4). Si primum ,

(1) *Eccleſ.* 24. 28. (2) *Con. Trid. ſeſſ.* 25. *de Refor. cap.* 3. (3) *Petrus Jannonius Tom.* 4. *Hiſt. Civil. Regn. Neap. lib.* 33. *cap.* 3. (4) *Idem ibidem*.

mum, omnibus ſane indiſcriminatim Regni Epiſcopis atrocem irrogat calumniam, quaſi hi fuerint, qui non paſtores, ſed lupos, non patres, ſed tyrannos ſe geſſerint. Si ſecundum; quis credat Anonymo aliiſque perpaucis ejuſdem farinæ Scriptoribus melius innotuiſſe, quanta ſit in condendis diſciplinæ legibus Eccleſiæ poteſtas, quam ipſius Eccleſiæ Patribus in Spiritu Sancto congregatis? Num erravit Catholica Eccleſia, dum ea ſe auctoritate inſtructam putavit, quam per ſua Decreta ſingulis Epiſcopis concredidit; & non potius errat quiſquis eamdem auctoritatem ab Eccleſia ſummovet? Num deeſſe in eadem Eccleſia putabimus poteſtatem infligendi eas pœnas, quæ ad Chriſtianam Rempublicam bene gerendam, citra Eccleſiaſticæ lenitatis detrimentum, aptiores judicantur? Quam male Tridentini Patres Eccleſiæ regimini conſuluiſſent, ſi Conſiliarios Anonymo pares adhibuiſſent! Si tertium; *Quod contenta in* laudato *Decreto non ſint obſervata*, tanquam prætextum eliminat eadem Tridentina Synodus (1). Rurſus neſcio quo veritatis fundamento aſſeri poſſit, non fuiſſe in Regno receptum Decretum illud, quod ejuſdem Regni Epiſcopi, ipſo Anonymo teſte idque perquam ægre ferente, in praxim ſæpe ſæpius deduxerunt. Sed & a Philippo II. Hiſpaniarum Rege in cunctis Regnis ipſi ſubjectis abſolutam omnium Tridentinæ Synodi receptionem fuiſſe imperatam ſcribit Cardinalis Pallavicinus (2). Id autem quoad Regnum Neapolis ſpeciatim tunc præſtitit idem Philippus Rex, cum anno 1564. die 27. Julii datis ad Proregem literis mandavit, ut Concilii Decreta evulgarentur, obſervarentur, executioni traderentur; ſicuti a Petro Jannonio refertur (3). Neque objicias cum eodem Jannonio, Philippum Regem anno & die iiſdem per ſecretiores ad eumdem Proregem literas eum monuiſſe, nequid novi in executione Conciliarium Decretorum adverſus Regia jura agi pateretur (4): nam ſicut id publicæ & abſolutæ receptioni Concilii, utpote quid privatum & occultum, nihil officit, ſic Philippi II. pietati & famæ parum favet.

Q Poſ-

(1) *Seſſ. 25. de Reformat. cap. 3.* (2) *Hiſt. Concil. Trid. lib. 24. cap. 11. n. 2. cap. 12. num. 2.* (3) *Jannon. ubi ſupra.* (4) *Idem ibidem.*

Poſſemus hic ad evertendum principium, quo Anonymi ſententia innititur, facili negotio oſtendere, quod jus & robur *Bullæ in Cœna Domini*, Decretorum Tridentinæ Synodi, aliarumque Apoſtolicarum legum ad animarum regimen pertinentium, ab arbitraria Laicorum receptione nullatenus pendeat. Sed quia id ad præſentis inſtituti rationem vix pertinet, & aliunde fuſiorem diſputationem expoſcit, ideo miſſum facimus, & Anonymum ad ulteriora properantem e veſtigio inſequimur.

ARTICULUS XXVI.

Reſpondetur argumentis, quibus Anonymus proludit Regio Placito, de quo mox fuſius acturus eſt, ut eidem ſubjectum eſſe oſtendat Archiepiſcopatum Beneventanum.

POſt ea, quæ paulo ante confutavimus, addit Anonymus „ In re præſenti nequaquam expectandum eſſe „ caſum, cui prædicta œconomica remedia adhibenda ſint; „ etenim cum Illuſtriſſimus de Auria, Regio Placito non ob- „ tento, Beneventanæ Eccleſiæ poſſeſſionem adierit, percipi „ non poſſe, quomodo exercere ille queat juriſdictionem, „ præſertim verò Beneficia conferre in quinque Regni Pro- „ vinciis, ex quibus Beneventana Metropolis conſurgit, „ abſque eo quod omnes & ſinguli, qui eadem fuerint Bene- „ ficia conſecuti, in adeunda ipſorum poſſeſſione Regium „ Placitum petant & obtineant (1).

Ecce novum & inauditum myſterium. Poteſtas exercendi Archiepiſcopalem juriſdictionem ita pendet in omnibus & ſingulis ſuis actibus a Regio Placito, vulgo *Exequatur*, ut ſine hujus impetratione nequidem percipi poſſit, quomodo illa exerceri queat. Percipit id tamen quiſquis novit liberam Epiſcopis regendi Eccleſiam facultatem a Chriſto Domino fuiſſe commiſſam. Percipit quiſquis cum Patribus & Theologis novit poteſtatem Eccleſiaſticam ita ſe habere ad politicam, quem-

(1) *Anonym. pag.* 30. *&* 40.

Digitized by Google

quemadmodum corpus ad animam (1); corpus autem animæ, non vero anima corporis placitis ſubjici fas eſt. Percipit tandem quiſquis mente recolit Regium Placitum toti venerandæ antiquitati fuiſſe ignotum, atque poſtremis Eccleſiæ ſæculis a teterrimis Schiſmatum erupiſſe viſceribus. Idcirco qua ratione per tot ſæcula Archiepiſcopi & Epiſcopi in ſuis quique Eccleſiis juriſdictionem exercere, & Beneficia conferre ſine Regio Placito potuerunt, eâdem prorſus Illuſtriſſimus de Auria & juriſdictionem exercere in tota Beneventana Archidiœceſi, & Beneficia conferre potuit. Dicam & hoc etiam ad leniendam Anonymo prædicti myſterii difficultatem; quod Illuſtriſſimus de Auria inſtitutus a Summo Pontifice Archiepiſcopus Beneventanus eo modo potuit in ejus nominis Archidiœceſi juriſdictionem Eccleſiaſticam exercere, & Beneficia diſtribuere ſine Regio Placito, quo modo conſtituti a Rege Neapolis Provinciarum Præſides, poſſunt juriſdictionem exercere politicam, & publica munera in Provinciis diſpenſare ſine Placito Apoſtolico.

„ At, ille inquit, ſi res ita ſe haberet, ut Beneventi „ Archiepiſcopus poſſet actus exercere juriſdictionis ſine „ Placito Regio, ipſi profecto conditio melior & plenior „ eſſet auctoritas, quam Summo Pontifici ſit, cujus quæcumque Literæ, eæ præſertim, quæ diſtributionem cujuſque „ vel minimi Beneficii reſpiciunt ſive penſionis, Roma perferuntur in Regnum, Regio Placito ſubjiciuntur, ne ſuo „ effectu careant, ſi eo Placito non muniantur (2).

Quod Archiepiſcopus Beneventanus meliore conditione, & liberiori auctoritate fruatur, quam Romanus Pontifex, magna plane abſurditas eſt, ſed quæ ex majori ſeu non abſimili abſurditate ſequitur, nimirum ex eo, quod idem Romanus Pontifex juriſdictionem in Regno exercere non permittatur ſine Regio Placito. Archiepiſcopus in tota ſua Archidiœceſi, Summus Pontifex in toto Orbe Catholico, qui ipſius Diœceſis eſt, libera exercendæ juriſdictionis auctoritate pollent. Ex quo igitur ille in Archidiœceſi exerceat ſine Regio

(1) *Vide Bellar. de Poteſt. Papa in reb. temporal. cap.2. & 17.* (2) *Anonym. pag.31. & 40.*

Placito juriſdictionem, quam Hic in Regno exercere ſine eodem Placito non permittitur, hoc unum ſequitur, nimirum Archiepiſcopali auctoritati non inferri per Placitum eam vim, quæ Pontificiæ infertur.

Addo ex alio etiam capite eam abſurditatem in ipſum Placitum eſſe refundendam. Cur enim Regni Epiſcopos & Archiepiſcopos in ſingulis ordinariæ juriſdictionis actibus Placito nequaquam indigere affirmat Anonymus? „ Quia, re- „ ſpondet, cum illud Bullis eorum inſtitutionis conceſſum „ fuerit, conceſſum pariter intelligitur omnibus juriſdictionis „ actibus, qui inde conſequuntur (1) „. Atqui, ego repono, non negabit ipſe Anonymus, Regium idem Placitum, cui quaslibet extraneas ſcripturas in Regnum delatas ſubjici propugnat, fuiſſe conceſſum Literis Apoſtolicis, quibus quilibet Romanus Pontifex electionem ſuam promulgare conſuevit. Quare ergo non intelligatur idemtidem conceſſum quibuſvis Apoſtolicæ juriſdictionis actibus, qui inde conſequuntur? Cur ſingulæ Apoſtolicæ Literæ Decreta, & Reſcripta Roma in Regnum perlata, quibus competens Pontifici Maximo juriſdictio exercetur, eidem Placito ſubdantur? Sane Eccleſiaſtica ipſa juriſdictio non minus ordinaria eſt Pontifici Romano in toto Orbe Chriſtiano, quam ordinaria ſit in eorum Diœceſibus & Archidiœceſibus Regni Epiſcopis, atque Archiepiſcopis. Quare itaque non hi, ſed Summus Pontifex, quotieſcumque vult ſuam ordinariam in Regno exercere juriſdictionem, novo Placito indigeat? Non alia utique de cauſa, niſi quia per legem quaſcumque Literas Apoſtolicas Regio Placito ſubjicientem id efficitur, ut non tantum Archiepiſcopo Beneventano, ſed cuilibet Regni Epiſcopo conditio melior, & magis abſoluta inſit auctoritas, quam Pontifici Maximo. Hujus profecto intolerandæ abſurditatis vim probe novit, & ſtrenue infregit S. Pius V. qui, contendente Pro-Rege Neapolis, ne Viſitator Apoſtolicus ſine Regio exequendi conceſſu munus ibi ſuum obiret, edixit quod *Pontifici, qui caput & Princeps eſt Epiſcoporum omnes Diœceſes inviſere multo magis liceret, quam propriis Epiſcopis, qui alioqui Diœceſes ſuas abſque*

(1) *Anonym. pag.* 31. & 40.

abſque hujuſmodi exequendi conceſſione viſitare conſueviſſent; ſtatimque prædicto Viſitatori imperavit, ut omni abjecta mora, Regni Eccleſias luſtraret : quod et fuit executioni mandatum (1).

Iſta hic & nunc ſatis. Nam in ſecunda noſtræ hujuſce Parte lucubrationis jam ex profeſſo diſcutere & refellere aggredimur, quæ de Regio Placito ex profeſſo ſcribit Anonymus, ut eidem ſubjectum eſſe Beneventanum Archiepiſcopatum oſtendat.

Finis Primæ Partis.

PARS

(1) *Laderch. ad an.* 1567. *num.* 64. & 65.

Digitized by Google

PARS SECUNDA

Omnia tum majora tum minora Regni Neapolitani Beneficia, præſertim vero Archiepiſcopatus Beneventanus, a ſervitute Regii Placiti vindicantur.

POSTQUAM in ſui exordio Opuſculi indicavit, ſeu retulit Anonymus Caroli Imperatoris VI. & Hiſpaniarum Regis III. juſſiones, per quas extraneos a Neapolitani Regni Beneficiis, Archiepiſcopatu Beneventano non excepto, repelli contendit, indicat pariter, ſeu refert ibidem quaſdam ejuſdem Caroli epiſtolas ad Cardinalem Grimanum Proregem, quibus Regii Placiti, vulgo *Exequatur*, neceſſitatem ita firmatam eſſe ait, ut Literæ Apoſtolicæ, cujuſcumque generis eæ ſint, illæ præſertim, quæ Epiſcopatuum & cæterorum Beneficiorum diſtributionem ſpectant, executioni demandari nullatenus poſſint, niſi eodem Placito præmuniantur (1). Quo fundamento præjacto, in ſecundo ejuſdem Opuſculi Capite totus eſt in oſtendendo, quod nullam poſſint Ecclesiaſticam juriſdictionem exercere Beneventani Præſules in quinque Regni Provinciis, ex quibus ipſorum Metropolis conſtituitur, niſi prius

(1) *Anonym. a pag. 3. ad 4.*

priùs Regium Placitum obtinuerint Literis Apoſtolicis, quibus ad illam Sedem evehuntur (1). Quapropter noſtri ratio poſtulat inſtituti, ut quæ in eam rem ab eodem Anonymo congeſta ſunt, in Articulos diſtincta proponamus, ac confutemus. I. Itaque oſtendam latam a Carolo Imperatore VI. & Rege Hiſpaniarum III. Legem de Regio Placito talem non eſſe, qualis ab Anonymo dicitur. II. Qualiſcumqua ea ſit, aut eſſe ſingatur, nullius eſſe roboris, nullaſque identidem eſſe rationes, quibus eamdem ille fulcire contendit: III. Etiam permiſſa hypotheſi quod Regni Archiepiſcopatus Legi Regii Placiti ſuppoſiti eſſe demonſtrentur, non tamen adhuc evinci Archiepiſcopatum Beneventanum eidem Legi eſſe ſubjectum. Primum primo articulo, Secundum ſequentibus, Tertium poſtremis articulis exequar.

ARTICULUS I.

Regiæ juſſiones de ſervanda praxi Regii Placiti nec tales ſunt, quales ab Anonymo dicuntur, nec præſenti controverſiæ admodum congruunt.

SCribit Anonymus „ a Carolo Imperatore VI. & Hiſpa-
„ niarum Rege III. ſapienter fuiſſe proviſum, ut pro
„ majori Regii Placiti firmitate, hujus praxis omnino ſerve-
„ tur quoad Bullas omnes, Brevia, Decreta, Literas &
„ cujuſcumque generis proviſiones, quæ Roma in Neapoli-
„ tanum Regnum deferantur, præſertim vero quoad eas Apo-
„ ſtolicas literas, quæ ad Archiepiſcopatuum, Epiſcopa-
„ tuum, nec non ad cæterorum Beneficiorum & Eccleſiaſtica-

(1) *Anonym. pag. 32.*

„ ſticarum dignitatum diſtributionem pertinent; atque ob „ eam cauſam ab eodem Carolo, dum Barcinone degeret, „ annis videlicet 1708. & 1709. datas fuiſſe epiſtolas ad „ Cardinalem Grimanum tunc temporis Proregem Neapolis, „ quæ in ſecundo Volumine privilegiorum Regni pag. 230. „ & 231. leguntur. Subdit, non eſſe omittendas, utpote „ quæ ad rem apprime faciunt, Regias eas epiſtolas die 26. „ Januarii, anno 1710. Vico ad eumdem Proregem miſſas, „ quæ pag. 233. dicti Voluminis habentur; ab iis quippe „ unice reſpici neceſſitatem Regii Placiti quibuſvis Apoſto- „ licis dignitatum ac Beneficiorum Regni proviſionibus in „ eum finem impoſitam, ut dignitates illæ, ac Beneficia ſolis „ indigenis conferantur: inter alia autem ipſimet Proregi „ hæc ibi præcipi a Carolo: *Tibi id oneris impono, ac ju-* „ *beo, ut in ejuſmodi caſibus proviſionum favore exterorum* „ *Regium ſuſpendas exequendi Conceſſum, atque ad me Bullas* „ *mittas, ut egomet videam, & cognoſcam, num ſuſpicio ha-* „ *beri poſſit de animi propenſione, genioque eorum, quorum* „ *intereſt, in quos utpote mihi non ſubditos exactius inqui-* „ *rendum eſt. Et ego quidem ſtatuo caute admodum me gerere* „ *in iſtiuſmodi eventibus, ne cautione neglecta, janua ape-* „ *riatur incommodis, quæ inde oriri poſſent. Opportunis igi-* „ *tur juſſionibus Collaterale meum iſtud Conſilium actutum* „ *urgebis, ut prompte executioni tradatur, quicquid in his* „ *Literis præmonſtratur* (1).

Hæc Anonymus; qui alibi eadem inculcat, per Regias videlicet epiſtolas firmatam eſſe Regii Placiti neceſſitatem nedum in Beneficiorum diſtributionibus, ſed in aliis etiam cujuſcumque generis proviſionibus, quæ ab Urbe in Regnum mittantur (2).

Verumtamen Anonymum impudenter in hoc mentiri intelliget quiſquis citatas ab ipſo Regias epiſtolas legere non gravetur. Etenim in Regiis literis primo loco indicatis, quæ anno 1708. die 13. Septembris ſcriptæ à pagina 229. ad 230. in præfato Privilegiorum Volumine exhibentur, agit Carolus de praxi Regii Placiti ſervanda quoad proviſiones Apo-

R ſtoli-

(1) *Anonym. a pag. 3. ad 4.* (2) *Anonym. pag. 31.*

Digitized by Google

ſtolicas rem beneficiariam reſpicientes; nec ibi ulla mentio eſt de reliquis Apoſtolicis proviſionibus ad res alias pertinentibus.

Sane in Literis die 17. Junii anno 1709. exaratis, quæ ſecundo loco indicantur, habenturque pag. 230. ejuſdem Voluminis, jubet Carolus, ne qua Papæ Bulla aut Breve in Regno executioni tradatur, niſi conſuetæ formæ & examen præcedant, ac ipſemet de his certior ſit redditus, antequam deveniatur ad Regium exequendi conceſſum. At in epiſtola die 28. Auguſti anni ejuſdem, quæ extat pagina 230. prædicti Voluminis, ſcripta ad Cardinalem Grimanum Proregem idem Carolus hoc pacto explicat mentem ſuam: *Quamvis in Literis die 17. Junii juſſerim veluti quid opportunum, ne cui ex Pontificiis Bullis, aut Brevibus Regium Placitum, me inconſulto, concederetur; cum tamen ea mihi fuerit intentio, ut hujuſmodi juſſione eæ Bullæ & Brevia tantummodo comprehendatur, quæ ad Eccleſiaſticas proviſiones pertinent, aut ad materiam, quæ vel remote connecti poſſit cum imaginario Curiæ Romanæ conatu inducendi in iſtiuſmodi Regnum Inquiſitionis Tribunal, de hoc idcirco te præmoneo, ut ea præſtes, quæ ad rem attinent, quò meum hocce Decretum impleatur, atque ſervetur.* *

Itaque cum Anonymus afferat per modo dictas Regias epiſtolas omnes prorſus Apoſtolicas literas ſubjici Regio Placito; Carolus vero Rex ac Imperator expreſſe eas duntaxat ſubjiciat, quæ ad rem beneficiariam pertinent, aut etiam ad negotium inducendi in Regnum Sacræ Inquiſitionis Tribunal, conſtat profecto Regias de ſervanda praxi Regii Placiti juſſiones tales non eſſe, quales ab Anonymo dicuntur. Nec vero leve hoc cenſeri debet, ut modo videbimus, ejuſdem Anonymi crimen, qui illud Carolo imponit, quaſi is omnes prorſus Apoſtolicas literas, ne dogmaticis quidem exceptis, Regii Placiti jugo ſuppoſuerit.

Venio demum ad eas Regias Literas ultimo loco indicatas, quas uti ad rem ſuam apprime facientes laudat Anonymus,

* Quas hucuſque exhibuimus Regiarum Literarum particulas, ex hiſpano in latinum ſermonem vertimus.

mus, quarum & partem exſcripſit, a nobis paulo ante exhibitam. Has autem literas magna ex parte latine redditas nos ibi dedimus, ubi egimus de Regio Edicto arcente alienigenas a Regni Beneficiis (1): eaſdem recole, & perſpicue cognoſces per ipſas ſubjici quidem Regio Placito Apoſtolicas Beneficiorum diſtributiones; non tamen, ut Regni Beneficia ſolis indigenis conferantur, ſed ut ab iis illi duntaxat extranei repellantur, qui Imperatori & Regi Carolo ſuſpecti forent, ea potiſſimum tempeſtate, qua fervente bello, ejuſdem Regni tranquillitati timebat ab hoſtibus, ſicut vel ex ipſo patet Regiarum literarum loco, quem recitat Anonymus. At vero cum Illuſtriſſimus Præſul de Auria ad Archiepiſcopatum Beneventanum evectus eſt, nec bellum cum quoquam gerebat Carolus, nec idem Præſul, licet Regno extraneus, is fuit, in quem caderet ſuſpicio animi minus fidi, minuſve propenſi erga Cæſaream & Catholicam Majeſtatem. Unde patet Regias quoque literas, quarum ultimo loco meminimus, perperam afferri ab Anonymo in rem ſuam, eaſdemque non bene congruere controverſiæ, in qua verſamur. Nos nihilominus & has & alias ſuperius relatas Regias literas, quæ certe quaſcumque Apoſtolicas Beneficiorum diſtributiones Regio Placito ſubdunt, nullius eſſe roboris infra (2) commodius oſtendemus. Sed prius nobis res ſit cum Anonymo, qui Regias juſſiones in præfatis Literis contentas ad Apoſtolicas omnes cujuſcumque generis proviſiones extendit, atque ita extenſas argumentis quaquaverſum fulcire conatur.

ARTICULUS II.

Profligatur Lex Regii Placiti, quatenus hæc quaſcumque complecti dicitur Apoſtolicas Literas.

Quibuſcumque Bullis, Brevibus, Decretis, Literis & Proviſionibus Apoſtolicis, cujuſcumque tandem generis ea ſint, impoſitam eſſe neceſſitatem Regii Placiti, eamque nova Caroli VI. Lege eſſe firmatam non ſemel incul-

(1) *Part. I. Art. I.* (2) *Art. XII.*

cat Anonymus (1): a qua proinde aſſertione ne quidem ea Decreta excipiuntur, quæ, quoniam circa Fidei dogmata verſantur, dogmatica appellantur. Ut autem breviter oſtendam, qui & quantus error in ejuſmodi aſſertione contineatur.

Præmitto inconcuſſum, certumque eſſe apud Catholicos, S. Petro, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus a Chriſto Domino pleniſſimam, abſolutamque fuiſſe collatam poteſtatem condendi Leges pro tota Eccleſia cum ad fidem & mores, tum ad diſciplinam pertinentes. Hanc in Romano Pontifice poteſtatem agnovit & venerata eſt ſemper Antiquitas. De ejuſmodi poteſtate vel ipſimet Imperatores Theodoſius & Valentinianus III. ita ſtatuerunt: *Hac perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ Urbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis* OMNIBUS PRO LEGE SIT QUICQUID SANXIT, VEL SANXERIT APOSTOLICÆ SEDIS AUCTORITAS (2). De eadem poteſtate Concilium Florentinum loquens definit: *Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri & Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam a* D. N. *J.* C. *plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur* (3). Hanc eamdem poteſtatem aſſeruit inter alios Theologos Joannes Gerſonius Pariſienſis Doctor, Romanæ cæteroquin Sedis juribus parum addictus: *Habet itaque Papa*, inquit, *primo dominium ſuperioritatis a Chriſto ſupra totam Eccleſiam cum plenitudine poteſtatis in eis, quæ ſpirituale regimen Eccleſiæ proprie dictum reſpiciunt*; ſubditque quod *hæc poteſtas cognoſcitur ex Evangeliis & Actibus Apoſtolorum & ex iis, quæ per ſucceſſivam relationem eorum ad nos tanta certitudine ſunt devoluta, ut merito temerarius, ſcandaloſus, immo ſchiſmaticus judicetur, qui poteſtatem hanc vel abolere, vel diminuere præſumpſerit* (4). Jam

(1) *Anonym. pag.* 3. 30. 32. 40. (2) *L.* Certum eſt *Tit.* 24. *de Epiſcop. Ordinat. in Lib.* 1. *Leg. Novell. Theodoſii*. (3) *Concil. Florent. Coll.* XXII. *in Decret. Union.* (4) *Gerſon. de Vita ſpirituali Animæ lect.* 3.

Jam vero cœleſtis hujus & divinæ, quæ in Romano Pontifice reſidet, poteſtatis exercitium impediri vel retardari, ipſiuſque Decreta (ea præſertim, quæ de rebus mere ſpiritualibus agunt, veluti de Jubilæis, Indulgentiis, ſacris Ritibus, Officiis Eccleſiaſticis &c.) terrenæ, mundanæque auctoritatis Legibus, examini, Placitoque ſubjici, vel ex ipſis terminis apparet quam ſit abſonum, ac ab ejuſdem Apoſtolicæ poteſtatis natura & inſtitutione alienum. Etenim Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam Pontifici Maximo tanquam ſupremo ipſius Moderatori regendam tradidit. Quare prædicta univerſalis Anonymi aſſertio non levem errorem continet: nam ſi quælibet Summi Pontificis Decreta, Literas, Proviſiones Regio Placito ſubjici neceſſe ſit, non quod Ille decernit, jubet, providet, ſed quod Regi placet, ejuſque Senatui, cujus eſt concedere exequendi facultatem, id executioni mandabitur: atque ita demum penes Regem, ac politicum ipſius Senatum erit Eccleſiæ Neapolitanæ regimen, quæ proinde in hoc ab Anglicana non admodum differet.

Inſuper Apoſtolicas omnes cujuſcumque generis Literas Regio Placito ſubjicere quid eſt aliud, quam velle ligare, quotieſcumque in actum prodeat, illam poteſtatem, de qua Chriſtus Petrum alloquens ita pronunciavit: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis* (1)? Nunquid Dei Filius cum paſcendi oves, & Agnos ſuos facultatem contulit eidem Petro (2), ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, doctrinæ cœleſtis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ paſcua, Ovium ſive Agnorum, ideſt Sæcularium Principum & Senatuum ſeu Magiſtratuum examini, Placitoque ſubmiſit? Non ita quidem: quemadmodum vel ipſe intellexit Imperator Honorius, qui in cauſa S. Joannis Chriſoſtomi ſcribens ad Arcadium fratrem fatetur in cauſis Religionis unum ad Imperatores Religionis obſequium ſpectare: *Ad nos*, inquit, *Religionis ſpectat obſequium*.

Hinc Clemens XI. in Literis monitoriis ad Siculos ita ait: *Chriſtifidelibus perſpectum, exploratumque eſt Sanctiones,*

(1) *Matth. cap. 16. v. 19.* (2) *Joan. cap. 21. v. 16. & 17.*

nes, Decreta ac Conſtitutiones, quæ ab Oraculo Summi & viſibilis Eccleſiæ Capitis, Chriſtique in Terris Vicarii emanant, utpote divina authoritate fulcita per ſeipſa ubique locorum independenter a quacumque humana auctoritate paratam executionem habere (1). Hinc etiam anno 1654. ſupremæ Inquiſitionis Decreto, quod Innocentius X. approbavit, damnata eſt veluti hæretica & ſchiſmatica hæc propoſitio: *Papa ut Papa non poteſt exercere juriſdictionem ſpiritualem in Regno Catholico, niſi de licentia Regis* (2). Hæc autem propoſitio, licet non verbis, re tamen ipſa eadem eſt, ac aſſertio Anonymi in quibuſcumque Apoſtolicis Literis neceſſitatem Regii Placiti propugnantis, antequam eæ in Regno Neapolis executioni tradantur.

Et quidem univerſali huic, & abſolutæ Anonymi aſſertioni adverſantur etiam omnes fere Doctores illi, qui cæteroquin Placito Principum favent. Ex his enim alii obtento, alii obtinendo, alii præſumpto privilegio Apoſtolico ipſum Placitum fulciunt: alii ad ſolas Beneficiarias Bullas illud coarctant propter obreptiones & ſubreptiones accidere ſolitas: alii tunc ſolum eidem Placito fore locum docent, cum literæ Apoſtolicæ juri divino, Eccleſiæ aut Reipublicæ bono adverſantur: alii demum, cum læditur jus alterius, dummodo læſionis cauſæ Romam deferantur, *Et ſupplicationes hujuſmodi coram Summo Pontifice & Sede Apoſtolica legitime proſequantur* ii, quorum intereſt, ut habet *Bulla in Cœna Domini num.* 14., ne videlicet ejuſdem *Bullæ* pœnas incurrant (3).

Hæc de Apoſtolicis literis in univerſum, nam de Dogmaticis ratio eſt peculiaris. Cum enim ejuſmodi etiam Literis jugum Regii Placiti imponat Anonymus, ſane incurrit in illud argumentum, ut ſcite obſervat Zypæus (4), quod in Actibus Apoſtolorum habetur: *Nonne præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in iſto nomine?* Reſponſumque fuit: *Si juſtum eſt vos audire magis, quam Deum, judicate* (5). Rurſus cum Chriſtus Dominus dixerit Apoſtolis: *Ego mitto vos: eun-*

(3) *Bullar. Clementis XI. pag.* 432. (2) *Apud Albit. de Inconſt. part.* 1. *cap.* 22. *n.* 25. (3) *Vide Olivam de Foro Eccl. part.* 1. *quæſt.* 22. (4) *De Juriſdict. Eccl. & civ. lib.* 1. *cap.* 63. *num.* 16. (5(*Act. cap.* 4. *v.* 19.

euntes docete omnes Gentes : *prædicate Evangelium omni Creaturæ* (1) ; non ita, reor, inſaniet Anonymus, ut putet ſubintelligendum eſſe : *Obtento tamen prius Placito Principum* . Hac ipſa vero poteſtate a Chriſto collata Apoſtolis utitur Summus Pontifex, penes quem eſt Fidei præconium, quando dogmaticas promulgat Leges, quas proinde ante promulgationem Placito Principum aſſerere ſubjectas, non immerito dixeris quoddam eſſe inſaniæ genus hæreſi proximum ; eo vel magis quod eiſdem Legibus ad Regna & Catholicas Provincias vix perlatis, & divinam ſecum auctoritatem ac libertatem adferentibus, venerabunda obviam ſtatim ire tota conſuevit Orthodoxa Antiquitas. Quamobrem nec inter Scriptores Principum ſtudiis magis addictos facile reperies aliquem, qui Regium Placitum ad Conſtitutiones dogmaticas extendere auſus fuerit, ſi excipias Auctorem Tractatus de Jure Belgarum, ſeu Srochmans, Queſnellum, Van-Eſpen, & noviſſime Petrum Jannonium ; quorum ſecundus & tertius eam extenſionem e re janſeniana eſſe putaverunt, exuleſque in Hollandia vitam finierunt ; ultimum autem patrio item ſolo exulare ſua in ſcribendo coegit impietas.

Dicet hic forte Anonymus cum Jannonio „ dogmaticas „ Sanctiones poſſe ſubjici Placito Principum ; non quidem „ quod ad Principes res fidei definire, aut tractare pertineat, „ ſed quod formulæ, quæ in iis apponi ſolent, Principi in- „ noteſcere debeant ; forte quia non modo, ſed alio oppor- „ tuniore tempore eas Sanctiones promulgare conveniat ; „ forte quia præter dogma in illis definitum, & præter ſpiri- „ tuales pœnas, temporales etiam ſtatuantur ; ſive propter „ alias graves cauſas & reſpectus, qui fuſiore calamo a Van- „ Eſpen diſcutiuntur (2).

Reſpondeo cum Emo Cardinali de Biſsy Epiſcopo Meldenſi hoc principio evidenter erroneo impeti Fidei unitatem, quæ nonniſi profeſſionis ejuſdem unitate conſiſtere poteſt. Ex eo quippe principio ſequeretur, quod alicujus dogmatis profeſſio alicubi fieret, & alicubi non fieret ; fieret in ditione, cujus

(1) *Luc.* 10.3. *Matth.* 28.19. *Marc.* 16.15. (2) *Jannonius tom.* 4. *Hiſt. Civil. lib.* 33. *cap.* 5. *ex Van-Eſpen in Tract. de Promulg. Leg. part.* 5. *cap.* 2. §. 1.

cujus Princeps illius publicationem nunc convenire exiſtimaret; non fieret in ditione, cujus Princeps opportunius publicationis tempus expectandum judicaret (1).

At facultatem ſanciendi prædictas formulas, & judicandi quando, & ubi Fidei Decretum proponendum ſit, cuinam tribuit Van-Eſpen, cujus doctrinam eximie laudat & amplectitur Jannonius? Ipſis tribuit ſæculi Principibus, ſicut Emus de Biſsy modo laudatus oſtendit (2).

In eo autem, quod addit Jannonius, temporales videlicet pœnas, ſi quæ forte in Conſtitutionibus dogmaticis ſtaſtuantur, Principum notitiæ ac Placito eſſe ſubjiciendas; ſuſpicionem ingerit, ne & ipſe ſentiat cum Marſilio Patavino, qui aſſerebat nullum hominem, quantumcumque delinquentem, ab Eccleſia puniri poſſe punitione coactiva, niſi id Imperator conceſſerit: Quem errorem una cum aliis Joannes XXII. damnavit & confutavit (3).

ARTICULUS III.

Oſtenditur qualis ſit Regii Placiti neceſſitas, quam Anonymus ſæpe inculcat, eaque evertitur.

„ Conqueritur Anonymus, improbatque quod Illuſtriſ-
„ ſimus de Auria, ubi fuit Archiepiſcopus Beneventa-
„ nus Romæ inſtitutus, nedum ſine Regio exequendi con-
„ ceſſu Bullas ſuæ inſtitutionis Beneventi publicaverit, ſed
„ plura etiam Edicta, atque Paſtorales epiſtolas ad Epiſcopos
„ ſibi contributos, & Parochos miſerit, eaſdemque palam
„ affigi juſſerit in iis omnibus Regni Diœceſibus, ex quibus
„ conſurgit Beneventana Metropolis: quod plures inſuper
„ conceſſerit dimiſſorias Literas, & harum executionem in
„ Regno, immo in ipſa Civitate Neapolis procuraverit:
„ quod denique exercuerit alios in eodem Regno juriſdictio-
„ nis actus vigore Bullarum, & facultatum Romanarum,
abſque

(1) *Card. Biſsy in Inſtruct. Paſtor. edita Pariſiis an.* 1722. (2) *Idem ibidem.* (3) *Joannes XXII. in Conſtit. cui Titulus:* Licet juxta, *apud Raynald. ad an.* 1327. *num.* 27., *& ſeqq.*

„ abſque eo quod has Collaterali Conſilio prius exhibuerit, „ Regiumque obtinuerit Placitum; *Siccome*, inquit, *era di* „ *neceſſità tenuto a farlo per potere eſercitare giuriſdizione* „ *ſopra cinque Provincie del Regno, e ſopra tanti ſudditi di* „ *ſua Maeſtà* (1) „. Refert deinde, & adprobat „ quod „ Magiſtratus ſuper res Beneficiarias Neapoli conſtitutus „ ſupplicem Cæſari libellum porrexerit, in quo primum hoc „ petitur, ut Cæſar ipſe eoſdem juriſdictionis actus corrigat „ ac emendet, nullos videlicet eos declarando & attenta- „ tos; novumque Archiepiſcopum prohibeat, ne deinceps „ juriſdictionis hujuſmodi actus exerceat (2).

Vides hic ſatis aperte indicari ab Anonymo quid ipſe ſibi velit, quotieſcumque Regii Placiti neceſſitatem in Apoſtolicis cujuſcumque generis literis deprædicat (3): talem nimirum neceſſitatem inculcat, quæ obligationem petendi & obtinendi idem Placitum inducat, ut Eccleſiaſtica juriſdictio non ſolum licite, ſed valide in Regno exerceri queat; adeout ſi Placitum abſit, omnes juriſdictionis actus Apoſtolicarum vigore literarum, & Romanarum facultatum exerciti, utpote qui correctione & emendatione indigeant, nulli & attentati declarari a laico Principe, ſive Rege mereantur. Unde ſequitur juxta hanc ſententiam quoslibet ſpiritualis & Eccleſiaſticæ juriſdictionis actus in Regno exercitos a Summo Pontifice, vigore cujuſcumque Conſtitutionis & Decreti etiam dogmatici, omneſque actus inde ſequentes, ſive diſciplinam tantum, ſive fidem reſpiciant; item quoſvis actus juriſdictionis præſtitos a Regni Epiſcopis & Archiepiſcopis vigore Bullarum, quibus ad Epiſcopales & Archiepiſcopales Sedes provecti ſunt, ſi eiſdem Conſtitutionibus, Decretis, Bullis, Regium Placitum deſit, eſſe a Rege corrigendos & emendandos, nullos videlicet & attentatos declarandos.

Verum quis hic primo non cernat, ea admiſſa Regii Placiti neceſſitate, omnem Eccleſiaſticam Libertatem in Regno Neapolis poſtratam, atque protritam? Immo quis ſecundo non perſpiciat ab Anonymo ſolam jam non impeti Eccleſiaſticæ poteſtatis Libertatem, ſed ipſiuſmet Eccleſiaſticæ poteſtatis vim,

S

(1) *Anonym. pag.* 6. & 5. (2) *Anonym. pag.* 6. (3) *Anonym. pag.* 3. 7. 33. 39. 40.

vim & efficaciam, qua prodeat in actus ſibi congruos & validos? Et id quidem inde ſequitur, ſive ſermo ſit de poteſtate juriſdictionis, quæ in Romano Pontifice Divinæ, ſive de ea, quæ in Archiepiſcopis ut talibus Apoſtolicæ inſtitutionis eſt, & a Chriſti Vicario dependens (1), ſive demum de illa, quam Epiſcopi mediate quidem a Deo, immediate vero ab eodem Romano Pontifice juxta veriorem ſententiam Epiſcopi accipiunt (2). Siquidem ejuſmodi poteſtatem ab Epiſcopis & Archiepiſcopis exerceri in Regno Apoſtolicarum vigore literarum ipſemet fatetur Anonymus, qui eaſdem Literas aſſertæ neceſſitati Regii Placiti ſubjicit.

Primum, quod dixi, verum eſſe ea, quæ Felix Papa III. ad Zenonem Imperatorem ſcripſit, ſatis oſtendunt: *Puto*, inquit, *quod vobis ſine ulla dubitatione ſit utile, ſi Eccleſiam Catholicam veſtri tempore Principatus ſinatis uti legibus ſuis: nec libertati ejuſdem quemquam ſinatis obſiſtere, qui Regni vobis reſtituit poteſtatem. Certum eſt enim hoc rebus humanis eſſe ſalutare, ut cum de cauſis Dei agitur, juxta illius conſtitutum, Regiam voluntatem Sacerdotibus ſtudeatis ſubdere, non præferre: & Sacroſancta per eorum Præſules diſcere potius, quam docere: Eccleſiæ formam ſequi, non huic humanitus ſequenda jura præfigere. Neque ejus ſanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piæ devotionis colla ſubmittere: ne dum menſura cœleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis* (3). Certiſſima ergo regula eſt, quam Felix præſcribit, Eccleſiæ videlicet Libertatem in eo conſiſtere, ut in cauſis Dei libere utatur legibus ſuis. Porro leges Eccleſia ſuas per poteſtatem juriſdictionis ſibi collatam a Chriſto accepit, ſcilicet ut Summus Pontifex, & reliqui ſub ipſo Epiſcopi Chriſtianos in fide, & moribus inſtruant, ac diſciplina regant. Rurſus quæ ad ipſam fidem, mores, & ſacram diſciplinam pertinent, eæ procul dubio non Cæſaris, non Regis, ſed cauſæ Dei ſunt; ſpectant enim ad ſpirituale Filii Dei Regnum. Itaque quando Summus Pontifex Conſtitutio-

(1) *Vide Antonium Charlas de Libert. Eccl. Gallic. tom. 2. lib. 11. cap. 5. & 6.* (2) *Vide eumdem ibidem a cap. 8. & 12.* (3) *S. Felix III. epiſt. 1. apud Sirmondum tom. 1. in Append. Cod. Theod.*

tutiones, Decreta, aliaſve Apoſtolicas literas ad fidem aut mores, ſeu ad ſacram diſciplinam ſpectantes in Provincias & Regna Catholica mittit: item quando qui Romæ inſtituti ſunt Epiſcopi & Archiepiſcopi Romanarum vigore facultatum, & Literarum in Regno aliquo actus juriſdictionis exercent eò identidem pertinentes; tunc utique Eccleſia utitur legibus ſuis, ideoque ſinere debent laici Principes & Reges, juxta laudatum Felicis III. oraculum, ut libere eiſdem utatur. At in Regno Neapolis quomodo legibus ſuis libere utatur Eccleſia, ſi ibi Apoſtolicarum quarumcumque literarum executio a Regio Placito neceſſariò dependeat, ſi actus omnes juriſdictionis ab Archiepiſcopis & Epiſcopis exerciti vigore Romanarum facultatum, quæ eodem Placito præmunitæ non fuerint, correctione & emendatione indigeant, ipſique præterea Archiepiſcopi, & Epiſcopi ab exercendis deinceps juriſdictionis actibus prohibeantur? Quomodo Eccleſiæ Libertas, quæ in libero ſuarum legum uſu ſita eſt, conſiſtere poteſt cum tali ac tanta Regii Placiti neceſſitate, qua fit, ut ille uſus vel retardetur, vel omnino impediatur, vel tandem corrigatur & emendetur? Sane juxta Anonymi de Regii Placiti neceſſitate ſententiam, quæ Eccleſiæ Libertatem funditus evertit ac labefactat, *Menſura Cæleſtis diſpoſitionis exceditur*, ac proinde *itur in contumeliam Diſponentis*: cujus contumeliæ ille reum facit Cæſarem, a quo, Lege lata, eam Placiti neceſſitatem vult eſſe firmatam. Siquidem, ut ait Goffridus Vindocinenſis, *Quando Eccleſia ſæculari poteſtati ſubjicitur, quæ antea Domina erat, ancilla efficitur, & quam Chriſtus Dominus dictavit in Cruce, & quaſi propriis manibus de ſuo ſanguine ſcripſit, cartham libertatis amittit* (1).

Alterum, quod ſupra dixi, nimirum ab Anonymo jam non ſolam impeti Eccleſiaſticæ poteſtatis Libertatem, ſed ejuſdem quoque poteſtatis vim & efficaciam, ex eo verum eſſe patet, quod ille ſentiat corrigendos eſſe, ac emendandos, ſeu attentatos & nullos eſſe declarandos a Cæſare quoſcumque Eccleſiaſticæ juriſdictionis actus in Regno exercitos a Pontifice Maximo, ſive ab illarum Eccleſiarum Præſu-

S 2 libus

(1) *Opuſc. 6. ad Caliſtum Papam tom.* XXI. *Biblioth. Patr.*

libus vigore literarum Apoſtolicarum & Romanarum facultatum, quibus Regium Placitum conceſſum non fuerit: ideoque conſequenter ſentire etiam cogatur Placitum ipſum requiri cum ad honeſtatem, tum ad valorem eorumdem juriſdictionis actuum. Certum quippe eſt neque legitimam per ſe, neque ſatis validam eſſe eam poteſtatem, cuius actus omnes digni ſunt, qui corrigantur, attentati nullique declarentur, & in poſterum prohibeantur. Quare & illud efficitur ex Anonymi ſententia, ut Eccleſiaſtica poteſtas vim ſuam & robur, aut ſaltem roboris & efficaciæ complementum a Placito Principis, ideſt a laica poteſtate mutuetur: nam illi ejus poteſtatis actus, qui ſi Placitum deſit Apoſtolicis literis, quarum vigore exercentur, attentati & nulli reputantur, iidem, ſi Placitum adeſſet, legitimi & validi ab Anonymo cenſerentur. Hoc autem non modo abſurdiſſimum eſt & ab omni veri ſimilitudine abhorrens, cum *Nemo*, juxta vulgatam Juris regulam, *plus juris ad alium transferre poſſit, quam ipſe habeat* (1); nec habeat quicquam Eccleſiaſtici juris laicus Princeps; ſed ulterius qui ita ſentit, Marſilio Patavino proxime conſentit aſſerenti: *Sive Papa ſit, ſive Archiepiſcopus, quod unus habet plus alio auctoritatis & juriſdictionis, hoc eſt ſecundum quod Imperator conceſſit, plus, vel minus; & ſicut conceſſit, ita revocare poteſt.* Quam propoſitionem Joannes XXII. cum ſuo auctore in Conſtitutione, quæ incipit: *Licet juxta*, damnavit (2). Conſentit inſuper Joanni Hus, quatenus hic Articulo nono inter proſcriptos a Concilio Conſtantienſi, & deinde a Martino V. in Conſtitutione, quæ incipit: *Inter cunctas*, aſſeruit præter alia, quod *Papæ perfectio a Cæſaris poteſtate emanavit* (3). Etenim ſi Papalis juriſdictionis actus a Placito Cæſaris, ſeu Regum vim ſuam & robur accipiunt, quis neget emanaſſe a Cæſare ſeu Regibus Papæ, ideſt Papalis poteſtatis perfectionem? Quapropter merito ita ſcripſit Antonius Charlas: „ Error eſſet intolerabilis, ſi a „ Senatu aut Rege ipſo Summi Pontificis auctoritas in re„ bus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis pendere crederetur. Hæreſis

(1) *L.* Cum nemo 55. *ff. de Reg. Jur.* (2) *Apud Porterum in Syntag. Definit. Eccl. pag.* 453. (3) *Apud eumdem ibidem pag.* 134.

„ reſis eſt iſta jampridem ab Eccleſia damnata & Scripuræ „ oraculis contraria. Cum enim Chriſtus Petrum Vicarium „ in terris ſuum, ac in ejus perſona legitime ſucceſſores Pon„ tifices creavit, ſupremæ ſuæ poteſtatis participes fecit, „ eamque poteſtatem nemini ſubjecit. *Et tibi dabo claves* „ *Regni Cælorum*, *&* *quodcumque ligaveris ſuper terram*, „ *erit ligatum & in Cælis*; *& quodcumque ſolveris ſuper ter*„ *ram*, *erit ſolutum & in Cælis*. Matth. 16. (1).

Tertium hoc addam, quod ex aſſerta Regii Placiti neceſſitate ſequitur, ſæculares nimirum Principes ne quidem in rebus ſpiritualibus & Eccleſiaſticis ſubjici juriſdictioni Romani Pontificis: nemo enim vere ei juriſdictioni ſubditur, cujus actus corrigere & emendare, necnon arrogatos & nullos declarare poteſt; ſive quibus ipſe vim per proprium Placitum tribuit, & efficaciam. Quinimmo indidem ſequitur cæteros Chriſti fideles eidem Summi Pontificis juriſdictioni ſubmitti, ejuſque legibus obſtringi duntaxat poſt collatum ejuſdem legibus, & juriſdictioni per Regium Placitum robur & valorem, quibus munita Pontificia juriſdictio prodeat jam in actus legitimos & validos. Verumtamen iſta ſacræ Scripturæ oraculis, & Conciliorum Decretis manifeſte adverſantur. Etenim cum Chriſtus Dominus Petro dixit: *Paſce agnos meos* (2); Principes quoſcumque Chriſtianos inter agnos recenſuit, eoſdemque cum Petro tum Petri ſucceſſoribus ſubmiſit: & præterea quod Fideles omnes Romano Pontifici parere teneantur, Concilium Florentinum abſolute definivit (3).

ARTICULUS IV.

Impugnatur iterum Lex de Regio Placito, quatenus ejuſdem vi quæcumque Apoſtolicæ Literæ laici Tribunalis examini ſubjici aſſeruntur.

„ PEr Regias Caroli Imperatoris & Regis juſſiones id „ eſſe ſapienter ſtatutum aſſerit Anonymus, ut literis „ Apoſtolicis cujuſque generis, quæ ab Urbe in Regnum deſe-

(1) *Charlas Tract. de Libert. Eccl. Gallic. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. (2) *Joan.* 21. 16.
(3) *Collat.* XXII. *in Decreto* Unionis.

„ ferantur, omnis prorſus executio denegetur, niſi prius
„ eaſdem Proregi & Collaterali Conſilio exhibitas, atque
„ diſcuſſas conſtiterit nihil continere, quod Principis juribus,
„ Regni legibus & moribus, Regiis item gratiis ac pri-
„ vilegiis repugnet: quo caſu Regium Placitum concedatur:
„ ſi vero ſecus conſtiterit; Placitum negetur (1).

Quod hic ab Anonymo aſſeritur, & quod Apoſtolicæ poteſtatis uſus moderandus ſit per jura Regia, per leges, privilegia, moreſque in Regno receptos, profecto in idem recidunt, ut conſideranti ſtatim patebit. Et ſane Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum eſſe per Eccleſiæ Canones nuper Gallicani Antiſtites perperam declararunt. At quod ejuſdem poteſtatis uſus moderandus ſit per jura Regia, per politicas leges, & privilegia, ac populorum mores, aſſertio eſt tanto Gallicana inſolentior, quanto indignius eſt, ſupremæ a Deo collatæ poteſtatis exercitium ſubjicere auctoritati Regis, ſive Regii Senatus, quam illud idem ſubjicere auctoritati Eccleſiæ. Huc videlicet a Principum ſtudiis, quibus plus æquo addicti ſunt, nonnulli Scriptores tandem impelluntur, ut eoſdem Principes a Romani Pontificis poteſtate in rebus temporalibus prorſus eximant, & Pontificem ipſum in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis rebūs Principibus ſubdant. Nihilominus hoc ſemper ſtabit immotum: Summi Pontificis poteſtatem proficiſci a Deo, Deumque ſolum, qui eam commiſit, poſſe ipſius moderari uſum; ideoque nullis hunc poſſe coarctari Principum juribus, nullis Regnorum legibus, privilegiis, moribus, ſed tantum naturæ & Fidei regulis. Certum e converſo unicuique catholico Principi jus eſt & privilegium, ut Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ jura tueatur. Legitima pariter cujuslibet orthodoxi Regni conſuetudo hæc eſſe debet, ut debita Romano Pontifici obedientia exhibeatur. Quocirca certum hocce catholicorum Principum jus & privilegium, atque legitimum hance Regnorum conſuetudinem deſtruit, quiquis neceſſitatem Regii Placiti interponendi quibuſcumque literis Apoſtolicis adſtruit, eaſdemque Literas omnes Regum, ſive Regiorum Senatuum, vel Magiſtratuum examini ſubjicit.

Præ-

(1) *Anonym. pag.* 3.

Digitized by Google

Præterea ſi res ita ſe haberet, ſicut ſupra ab Anonymo intelleximus, in Eccleſiaſtico Regni Neapolitani regimine potiores partes eſſent penes Regem, Regiumque Senatum, quam penes Romanum Pontificem. Cum enim ſemper præſto ſint prætextus, ne Apoſtolicæ literæ quid contineant Regis juribus, Regni legibus, privilegiis, moribuſque contrarium; illæ ſolum executioni tradentur, quas ipſe Rex, ejuſve Senatus executioni tradi voluerint; atque hac ratione totum pene Eccleſiaſticum regimen, qua parte ſpectat ad Romanum Pontificem, Scripturis, Conciliis, Patribus reclamantibus, a Regis Regiique Senatus pendebit arbitrio. Hinc continuus Pontificem inter & Regem diſſidiorum fomes: nam ſi timere Regi liceat, ne quid Apoſtolicæ literæ contineant ſuis, Regnique juribus adverſum; cur merito non timeat Pontifex, ne quid iiſdem juribus repugnans obtendatur in literis Apoſtolicis, ut his executio denegetur? Quinimmo cur & ipſi Pontifici æquiori jure non liceat legem ferre, ut quæcumque Edicta & Decreta a Rege Neapolis, & a Curia Neapolitana promanant, antequam executioni mandentur, Archiepiſcopis in ſingulis Provinciis exhibeantur, qui ea diſcutiant? Et ſi quidem nihil in illis invenerint Sedis Apoſtolicæ juribus, Eccleſiæ legibus, Privilegiis, moribus contrarium; Apoſtolicum Placitum concedant: ſin ſecus, denegent. Hoc certe argumento nunquam ſe expediet Juriſconſultus, niſi aut Legem Regii Placiti reprobet, aut Legem Placiti Apoſtolici pariter adprobet; quicquid enim ille pro prima, nos pro ſecunda, quicquid vero ille adverſus ſecundam, nos adverſus primam ex modo dictis legibus reponemus.

Ulterius non inficiabitur Anonymus plures ab Urbe in Regnum deferri Pontificias literas, quas certo conſtat nihil continere ſive Regis juribus, ſive Regni legibus, privilegiis, moribuſque contrarium. Cur igitur & hæ examini ſubdantur? Cur hæ ſaltem, utpote evidenter innoxiæ, ſine examine & inſcriptione Regii Placiti liberæ non dimittantur? Porro vel ex hoc manifeſte apparet, quod non ſervandorum jurium Regis & Regni privilegiorum, morumque neceſſitas, ſed libido potius dominandi juribus Apoſtolicæ Sedis

eam

eam Regii Placiti praxim ſuaſerit, atque invexerit. Quod ut clarius pateat, diſtinguendum hoc modo hic eſſe arbitror: vel enim jura Regia, Regnique leges, privilegia, ac mores, quibus ab Apoſtolicis literis præjudicium timetur, legitima ſunt, vel uſurpata, vel dubium eſt legitimane, an uſurpata ſint.

Si primum: Anonymus ex æquo Apoſtolicæ Sedi injurius eſt, ac ſi hæc æquitatem omnem averſata deſpotica quadam, aut potius tyrannica poteſtate jura omnia infringeret; & Regis, Regnique Neapolitani pudorem onerat, quaſi ſua jura, leges, mores, privilegia, quæ legitima ſunt, retinere non poſſint, niſi debitam offendant eidem Apoſtolicæ Sedi reverentiam; quam tanti fecit Carolus M., ut hanc in ſuo Capitulari ediderit legem, a Concilio Tiburienſi anno 895. adoptatam (1), & a Gratiano Collectioni Canonum inſertam: *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus Sanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis Mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ Magiſtra rationis. Quare ſervanda eſt cum manſuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus & pia devotione toleremus* (2). Si hæc Caroli M. ſententia Anonymo non placet, non diſpliceat ſaltem conſilium, quod S. Ivo Carnotenſis ineundum proponit, quando forte contingat aliquod legitimis Principum Regionumque juribus, ac moribus ab Apoſtolicis literis afferri præjudicium: *Quoniam*, inquit ille, *judicia Romanæ Eccleſiæ a nemine foris retractari poſſe, eadem Romana Eccleſia docente, didicimus: ſi qui aliquando ſe prægravatos ipſius Eccleſiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis conſilium damus, ut non deſcendant in Ægyptum propter auxilium* (hoc eſt a politica poteſtate auxilium non petant, ut alibi explicuimus), *ſed ad ipſam confugiant; & inde ſperent levamen, unde conqueruntur accepiſſe gravamen* (3).

Si ſecundum: non video qua ratione literas Apoſtolicas examinare, eiſque executionem denegare liceat in eum finem, ne

(1) *Concil. Tiburien. Can.* 30. (2) *Can.* In memoriam 3. *Diſt.* 19. (3) *S. Ivo Carnot. Epiſt.* 183.

ne uſurpatis juribus, improbis, aut improbandis legibus ac moribus præjudicium creetur. Si ſecus Anonymo videtur, de Primatu Romani Pontificis, ac de ſuprema ipſius poteſtate non recte ſentire convincitur; quæ vel ob id ei data eſt, ut quæ jura in rebus præſertim Eccleſiaſticis uſurpata ſunt, necnon Leges, moreſque improbos, aut improbandos evellat ac deſtruat. *Si quis*, inquit Romana Synodus ſub S. Nicolao I., *dogmata, mandata, interdicta, ſanctiones, vel decreta pro catholica Fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum a Sedis Apoſtolicæ Præſule ſalubriter promulgata contempſerit, anathema ſit* (1). Porro inter Pontificia ejus generis decreta, de quibus in modo laudato Canone ſermo eſt, recenſendæ ſunt eæ Apoſtolicæ literæ, quæ improbis, aut improbandis juribus & regionum moribus adverſantur. Si quis itaque doceat ejuſmodi Literas diſcutiendas eſſe, & nullatenus executioni mandandas, eaſdem utique contemnit; ideoque qua pœna ipſe dignus ſit, ex eodemmet Canone addiſcere poteſt.

Si tertium denique, nempe ſi dubitetur num aſſerta Principis jura, Regni leges, privilegia & mores æquitati conſonent vel diſſonent, cum circa res Eccleſiaſticas & ſpirituales ejuſmodi dubitatio verſetur, ſtandum profecto eſt non Regis, non Regii Senatus, vel Magiſtratus ea jura, leges, privilegia, moreſque defendentis ſententiæ, ſed Romanæ Sedis, quæ eſſe debet Eccleſiaſticæ Magiſtra rationis, ſupremoque Romani Pontificis iiſdem juribus ac moribus obſiſtentis Judicio. Quod ſane Judicium non leviter offenderet, qui Bullas, Brevia, Decreta, Reſcripta Pontificia poſthabenda eſſe cenſeret Regiis juribus, aut Regni legibus, privilegiis, moribus, de quorum juſtitia & æquitate dubitatur.

At, inquies, eo ipſo dubitare quoque licet de juſtitia Decretorum Romanorum, quæ dictis juribus, legibus, ac moribus adverſantur.

Reſpondet objectioni Nicolaus Cuſanus: „ Si dubium „ eſſet; pro ſacro Principe præſumendum eſt, quod recte

(1) *In Synodo Romana III. ſub S. Nicolao I. Can. 5.*

„ credita auctoritate utatur, & ipſi obediendum eſt (1) „. Reſpondet Franciſcus de Victoria Scholæ Pariſienſis Alumnus, qui propoſitionem hanc ſtatuit: „ Non ſpectat ad ſubditos de- „ terminare, aut examinare quid poſſit Papa, aut quid non „ poſſit, & quomodo teneatur parere vel non. Probatur; „ quia ſacrilegium eſt diſputare de Potentia Principis, & „ præcipue Papæ 17. *quæſt.* 4. §. *committitur*, *&* *ſequen.* 2. „ quia hoc ipſum determinare, quæ ſit poteſtas ſpiritualis „ alicujus, eſt juriſdictio, & pars gubernationis, quæ non „ ſpectat ad ſubditos ſaltem erga Superiores: ergo hoc non „ convenit illis. 3. quia profecto hoc eſſet in turbationem & „ diſſolutionem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ & auctoritatis, ſi „ quilibet poſſet dicere: Papa non poteſt: & hoc modo exi- „ mere ſe a mandatis Papæ, & eſſet manifeſtum nutrimentum „ inobedientiæ & ſchiſmatum & hæreſum. Immo hinc natæ „ ſunt hæreſes, ut ait Cyprianus, quod Sacerdoti Dei, vel „ Papæ non creditur; ſed quilibet audet dicere, quod male „ Papa facit, & quod non poteſt facere. Et ideo ſi Papa er- „ raret„ (intellige in illis duntaxat,quæ ad ſolam diſciplinam pertinent) „ melius eſſet, ut in omnibus illi pareatur, quam „ per hoc quod unus habeat licentiam non parendi Papæ in „ uno caſu forſitan rationabili, dare occaſionem, ut alii non „ pareant etiam in juſtis & honeſtis (1).

ARTICULUS V.

Convelluntur & principium, a quo Jus Placiti pendere, & cauſæ, propter quas illud Principibus convenire Anonymus pronunciat.

Regium Placitum non ab eo principio, a quo pendet Regius Aſſenſus, de quo ſuo loco diximus, ſed „ ab alio „ principio pendere ait Anonymus, & ad Principes pertine- „ re *titulo ſui Principatus*, ſeu *Jure Regaliæ* propter Status „ conſervationem, videlicet ne in hunc ab extraneis regio- „ nibus perſonæ inducantur, quæ ipſis Princpibus ſuſpectæ eſſe

(1) *Victor. Relect. 4. prop. 16.*

Digitized by Google

„ eſſe poſſint, aut Scripturæ ſubinferantur, quibus in eorumdem ditionibus juriſdictio exerceri prætendatur, ſive ſpiritualis ſive temporalis ea ſit: quare eiſdem Principibus „ licuiſſe ſemper, & commendabilis ipſorum vigilantiæ hoc „ fuiſſe proprium, forinſecus videlicet in eorum Regna illatas cognoſcere Scripturas, antequam eædem executioni „ tradantur (1).

Quæ hic de Principum Placito ab Anonymo jactantur, quemadmodum vera eſſe non inficior reſpectu Scripturarum, quæ ab unius in alterius Principis ditionem deferuntur, ſic ab omni prorſus veritatis ſpecie aliena eſſe pronuncio reſpectu Scripturarum, quæ ab Urbe Roma, ſeu a Sede Apoſtolica in Chriſtiana Regna mittuntur.

I. Etenim *Si titulo Principatus*, *aut Jure Regaliæ* propter indicatas ab Anonymo cauſas ad ſæculi Principes Pontificias cognoſcere ſcripturas pertinet, eo fortius Romano Pontifici *titulo Summi Pontificatus*, *aut jure Primatus* convenit ſæcularium Principum ſcripturas cognoſcere; & id quidem propter nobiliores & graviores cauſas, nimirum propter Chriſtianæ Reipublicæ conſervationem; ne ſcilicet in hanc perſonæ inducantur, quæ ipſi Romano Pontifici de fide ſuſpectæ eſſe poſſint, neve Scripturæ ſubinferantur, quibus Religioni præjudicium afferatur, ſive Eccleſiaſtica & ſpiritualis juriſdictio exerceri præſumatur; quare & eidem Pontifici ſemper licebit, & ipſius hoc erit laudabilis vigilantiæ proprium, eas omnes cognoſcere Scripturas, quæ a ſæcularium Principum Curiis emanant, antequam eæ executioni mandentur.

II. Hinc male a Deo conſtituta fuiſſet Chriſtiana Reſpublica, ſi illud admittatur Placiti commentum: quandoquidem cum & Supremus Principatus, & Summus Pontificatus, diverſa licet ratione, Deum Auctorem habeant, ex Divina inſtitutione ad Principes *titulo Principatus* Pontificias, ad Pontifices vero *titulo Pontificatus* Politicas ſcripturas cognoſcere pertineret. Hoc itaque modo Eccleſiaſtica & Pontificia poteſtate cum Politica & Regia a Deo ipſo commiſſa, quæ jurgia, quæ diſſidia, quæ ſcandala, quæ perturbationes nun-

(1) *Anonym. pag.* 34.

nunquam finiendæ in Chriſtiana Republica non orirentur? Dicendum igitur eſt, neque Romano Pontifici *titulo Pontificatus* politicarum Scripturarum cognitionem, neque ſæculi Principibus *titulo Principatus* Apoſtolicarum convenire cognitionem literarum; ſed ſervandam utrinque Chriſti Domini regulam,ut dentur, *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*; ut Princeps, quæ terreni ſunt Principatus, Pontifex vero, quæ ſunt Eccleſiæ adminiſtret; neque hic in Palatium, neque ille introſpiciat in Eccleſiam; ſed uterque, ille videlicet in tota ſua ditione, ſeu Regno temporalem & politicam, hic autem in tota Eccleſia, ſeu in Chriſti Regno ſpiritualem & Eccleſiaſticam juriſdictionem libere exerceat.

III. Si *titulo Principatus*, ſeu *jure Regaliæ* ad ſæculares Principes pertineret jus Placiti in quaſcumque literas Romani Pontificis ad illarum ditiones delatas, id ipſum pari modo, iiſdemque de cauſis ad Ethnicos Imperatores ſpectaſſet, & nunc ad Paganos Principes ſpectaret, cum penes illos fuerit, & nunc etiam ſit penes iſtos, ſaltem ob diuturnam nec interruptam poſſeſſionem, legitimus dominatus. Hoc autem ab omni orthodoxæ rationis, ac Religionis ſenſu alieniſſimum eſt. Sic enim Ethnici Cæſares olim, nunc vero Pagani Principes jure, meritoque animadvertiſſent & animadverterent in Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, uti in violatores jurium Principatus; qui videlicet in eorum ditiones ſine ipſorum Placito, invexerint, ac promulgarint, invehant, ac promulgent Evangelicas, & Apoſtolicas ſcripturas.

Apage itaque erroneum illud, & jactatum ab Anonymo Regii Placiti commentum, ex quo tot abſurda naſcuntur. Præcepit Chriſtus Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, ut nullo requiſito Principum Placito, immo ipſis Principibus repugnantibus, Evangelium ubique prædicarent, & Gentes docerent ſervare omnia quæcunque ipſe mandavit (1). Quapropter iidem Apoſtoli, ut in eorum Actibus refertur, convenerunt in primum Eccleſiæ Concilium, decreverunt, decreta promulgarunt, & in Provincias miſerunt epiſtolas ſine ullo placito Præſidum, ſive Imperatoris (2). S. Petrus pariter ad Fi-

(1) *Matth.* 28. 20. (2) *Act. cap.* 15.

Fideles in Ponto, Galatia, Capadocia, Aſia & Bythinia diſpeſſos (1), S. Jacobus ad Tribus, quæ in diſperſione item erant (2), S. Paulus ad eoſdem Fideles Romæ, Corinthi, Epheſi & alibi conſtitutos epiſtolas ſcripſerunt, fidei, morum ac diſciplinæ præcepta continentes; quæ ſine ulla ſive Præſidum, ſive Cæſarum auctoritate, Placitove expeditam, paratamque executionem habuerunt. Illi nihilominus iidem Apoſtoli erant, qui docebant obediendum eſſe *Regi tanquam præcellenti* (3): *non eſſe poteſtatem, niſi a Deo: qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtere: omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe oportere* (4).

Cur igitur ſub Orthodoxis Principibus Romano Pontifici non liceat, quod ſub Ethnicis licuit? Num forte attentata, & nulla fuiſſe dicet Anonymus prima illa Eccleſiæ Decreta ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus edita, utpote quæ a Principibus Ethnicis nec examinata, nec probata, nec recepta, nulloque eorum Placito munita fuerunt, quemadmodum de recentioribus Summorum Pontificum Decretis effutire non erubeſcit? Num Summus Pontifex, & reliqui Eccleſiæ Præſules ex converſione Principum ad Fidem id beneficii conſequuti ſunt, ut qua ſub infidelibus Principibus in regimine Eccleſiaſtico fruebantur, ſub Chriſtianis Regibus Libertatem amiſerint? Nihil aliud ſane juris Principibus acceſſit, dum ad Chriſti fidem converſi ſunt, niſi quod Baptiſmali charactere inſigniti in Eccleſiæ filiorum & ſubditorum numero conſcripti fuerunt. Ex quo plane non illud conſequitur, quod Apoſtolicas Romani Pontificis literas in ſuas ditiones perlatas cognoſcere poſſint, ſed quod earumdem literarum executionem, adhibita etiam, ubi opus ſit, ſæcularis vi poteſtatis, urgere debeant. Hic verus eſt *titulus Principatus & Regaliæ Jus*, ratione cujus Reges, & *Imperatores Chriſtiani ſubdere debent executiones ſuas Eccleſiaſticis Præſulibus, non præferre* (5). Hoc titulo, hoc jure uſi ſunt Theodoſius junior, & Valentinianus III. in Conſtitutione, qua declarant, ne *Cuiquam Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis li-*

(1) 1. *Petr. cap.* 1. (2) *Jacob. cap.* 1. (3) 1. *Petr. cap.* 2. (4) *Ad Rom. cap.* 13.
(5) *Can.* Si Imperator 11. *diſt.* 96. *Greg. IX. epiſt.* 17. *ad Frideric. II. Imp.*

liceat obviare; *auſibus enim talibus*, inquiunt, *Fides*, *& reverentia noſtri violatur Imperii* (1). Non ea, non ea eſt pro conſervatione Status ineunda ratio, qua Principes ſupra Apoſtolicas literas ſe efferant; ſed qua ſe ſubdant Summi Pontificis legibus: nam, ut ait Ivo Carnotenſis ſcribens ad Henricum Angliæ Regem, *Sicut ſenſus animalis ſubditus eſſe debet rationi*, *ita poteſtas terrena ſubdita eſſe debet Eccleſiaſtico regimini*; *& ſicut pacatum eſt Regnum Corporis*, *cum jam non reſiſtit caro ſpiritui*, *ſic in pace poſſidetur Regnum mundi*, *cum jam* (terrena poteſtas) *reſiſtere non molitur Regno Dei* (2). Non eſt igitur, cur Anonymus ad fulciendum *titulo Principatus*, *& Jure Regaliæ* Regium Placitum, Status, legum, privilegiorum, conſuetudinum conſervationem obtendat; artibus enim talibus Fides, & Regni, Imperiiqne reverentia violantur, nec firmantur Solia, ſed infirmantur. *Novimus*, inquit Carolus M. *multa Regna & Reges eorum propterea cecidiſſe*, *quia Eccleſias expoliaverunt*, nimirum juribus ſuis (3). Merito proinde Anaſtaſius II. Romanus Pontifex Anaſtaſium Imperatorem ita hortatur: *Illud vero peculiarius pro amore Imperii veſtri & beatitudine*, *quæ conſequi poterit Regnum*, *pro Apoſtolico officio prædicamus*, *ut* (*ſicut decet*, *& Spiritus Sanctus dicit*) *monitis noſtris obedientia præbeatur*, *ut bona omnia veſtram rempublicam conſequantur* (4). Stet itaque firmum, immotumque egregium hoc Arnulphi Lexovicenſis effatum: *Dignitas Eccleſiaſtica Regiam provehit potius*, *quam adimit dignitatem*, *& Regalis dignitas Eccleſiaſticam conſervare potius conſuevit*, *quam tollere Libertatem* (5).

AR-

(1) *In Lib. 1. Leg. Novel. Theodoſii tit. 24. de Epiſc. Ordinat.* (2) *Ivo Carnot. epiſt.* 106. (3) *In Capitul. tom.* 1. *pag.* 525. (4) *Epiſt. ad Anaſtaſium Auguſtum.* (5) *Arnulph. Lexov. epiſt. ad Papam Alexandrum*, *tom.* XXII. *Biblioth. Patr. edit. Lugdun. an.* 1667. *pag.* 1333.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Refellitur jus Placiti, quatenus Literas quaſcumque Apoſtolicas reſpicit Chriſtianis ditionibus veluti extraneas.

AD terrenos Principes pertinere *titulo Principatus*, *&* *Jure Regaliæ* Regium Placitum ait Anonymus, ut ſupra retulimus,, Ne ullæ in eorum ditiones Scripturæ ab extraneis partibus invehantur, quibus juriſdictio exerceri prætendatur, ſive temporalis, ſive ſpiritualis ea ſit,,. Quare Romana decreta, & literas omnes Apoſtolicas, quibus in regnis Catholicis a Romano Pontifice ſpiritualis juriſdictio exercetur, eodem loco collocat, quo alias quaſcumque Scripturas, per quas in alienam ditionem illatas, exempli cauſa in Gallias, alterius ditionis Princeps, exempli gratia Hiſpaniarum Rex, temporalem ibi juriſdictionem exercere tentaret. En quo tandem pertraxit Anonymum ſuſcepta voluntas ſubdendi Regio Placito Archiepiſcopatum Beneventanum; eo ſcilicet pertraxit, ut Decreta, & Literas omnes, quibus Romanus Pontifex ſpiritualem juriſdictionem in Orbe Chriſtiano exercere conſuevit, nedum Regno Neapolitano, ſed quibuſcumque Regionibus veluti extraneas ipſe traducat. Ubi etiam obſerva quod juxta prædictam Anonymi doctrinam Apoſtolica Sedes in provinciis, ac regnis Catholicis non reputatur, niſi tanquam Tribunal extraneum, ejuſque juriſdictio, niſi tanquam juriſdictio alieni Tribunalis: adeo ut quemadmodum nullus Princeps poteſt ſive licite, ſive valide in aliena ditione temporalem per ſuas Scripturas exercere juriſdictionem ſine conſenſu ſupremi Domini temporalis, ita Summus Pontifex per ſuas Literas & Decreta ſpiritualem nullibi juriſdictionem exercere queat ſine temporalium Placito Principum. Unde juxta eamdem Anonymi ſententiam Romanus ipſe Pontifex nullibi habet territorium ſuæ cæteroquin ampliſſimæ, & pleniſſimæ juriſdictioni congruum ac proprium. Porro ſi nota ſchiſmatis & hæreſeos merito inuſta eſt, ut alibi diximus,

hæc propoſitio: *Papa ut Papa non poteſt exercere juriſdictionem in Regno Catholico, niſi de licentia Regis*; multo magis cenſura eadem inuri meretur Anonymi aſſertio, quæ in idem recidit, & ulterius omnia Regna Principatus & ditiones expreſſe complectitur.

Profecto qui in alienam ditionem Scripturas mittit, ut ibi juriſdictionem exerceat, ubi nullam habet, ejus certe extraneæ reputandæ ſunt Scripturæ, & prætenſa juriſdictio. Verum literæ Romani Pontificis, in quibus de negotiis ſpiritualibus & Eccleſiaſticis agitur, nullibi cenſendæ ſunt extraneæ, cum legitima, ac divinitus ſibi tradita ille ubique juriſdictione potiatur. Nunquidnam membris mandata capitis extranea ſunt, aut prætenſa & arrogata eſt juriſdictio capitis in membra? Anne leges paſtoris extraneæ ſunt ovibus, aut prætenſa eſt juriſdictio paſtoris in oves? Nunquid extranea ſunt filiis præcepta patris, aut patris prætenſa in filios juriſdictio? Atqui Romanus Pontifex in Eccleſia Catholica ſupremi Capitis, Paſtoris, Patris munus gerit; fideles vero omnes, Regibus & Imperatoribus non exceptis, membrorum, ovium, filiorum locum obtinent.

Opportunus hic eſſet locus demonſtrandi Primatum, & plenitudinem poteſtatis, qua Romanus Pontifex pollet ſuper univerſam Eccleſiam. Verum ne ab aliis toties actum agamus, adeat ipſe Anonymus Theologos, non dico Bellarminum, Sfrondatum, Perronium, quos Romanæ Curiæ aſſentatores reputabit, ſed Gerſonium (1) Marcam (2) Maimburgium (3), quos in Romana jura parum æquos extitiſſe omnes norunt: immo ipſos adeat Reges (4) & Imperatores (5) ab omni certe adulationis ſpecie in hac parte remotiſſimos; & ex cunctorum confeſſione procul dubio intelliget, Scripturarum oraculis, Pontificum ſententiis, Conciliorum definitionibus, Patrum dictis in idem conclamantibus, nullum in toto Catholico Orbe angulum eſſe, qui ſupremæ, pleniſſimæ & univerſali Romani Pontificis juriſdictioni non pateat. Nos interim pauca ex innume-

(1) *De vita ſpirit. Animæ lect.* 3. (2) *In diſſert. de Primat. Rom. Pont., & Concord. lib.* 1. *cap.* 8. (3) *Maimburg. loc. infra indicando.* (4) *Ludovic. VII. Galliæ Rex apud Baron. an.* 1162. *num.* 10. (5) *Theodoſ. & Valentin. lib.* 1. *Leg. Novell. tit.* 24.

numeris ſelecta teſtimonia prælibare contenti erimus. *Nec ſilere poſſumus*, inquit S. Cæleſtinus I. *cum ad hoc ut ab illicitis revocemus aliquos, officii noſtri provocemur inſtinctu; in ſpeculis a Deo conſtituti, ut vigilantiæ noſtræ diligentiam comprobantes, & quæ coercenda ſunt, reſecemus, & quæ obſervanda ſunt, ſanciamus. Et quamvis circa longinqua ſpiritualis cura non deficit; ſed ſe per omnia, qua nomen Dei prædicatur, extendit: nec notitiam noſtram ſubterfugiunt, quæ in everſionem regularum novellæ præſumptionis auctoritate tentatur* (1). A Concilio Florentino ſuperius definitum vidimus, *Romanum Pontificem totius Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, cui omnes Fideles parere tenentur*. Concilium Pontigonenſe anno 876. celebratum ſtatuit, *Ut honor Domno & Spirituali Patri noſtro Joanni Summo Pontifici & venerabili univerſali Papæ ab omnibus conſervetur: & quæ ſecundum Sacrum Miniſterium ſuum auctoritate Apoſtolica decreverit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illis obedientia in omnibus conſervetur* (2). Facultas Pariſienſis in articulis ad Carolum IX. die 18. Junii anno 1561. *Eccleſia*, inquit, *univerſalis viſibilis, quæ errare non poteſt, habet ſub Chriſto Jeſu unum Caput viſibile, quod eſt Sanctiſſimus noſter Pater Romanus Pontifex, cui omnes Chriſtiani, ſi ſalvi eſſe velint, obedire tenentur* (3). Quid plura? „ Id ſolum dicam, inquit Maimburgius, de quo Catholicorum omnium eſt concors ſententia, Jeſum Chriſtum „ ex omnibus Apoſtolis S. Petrum elegiſſe, cui non ſolum Primatum Ordinis & honoris conferret, ... ſed etiam Primatum Juriſdictionis, poteſtatis & auctoritatis in omnes Fideles in tota Eccleſia, cujus ab eo conſtitutus eſt Caput (4).

Satis liquet ex dictis literas Apoſtolicas Catholicis regionibus non eſſe extraneas; nec prætenſam, ſed omnino legitimam eſſe juriſdictionem, quam per ſuas Literas in eaſdem Regiones miſſas, nulloque Principum Placito munitas Ponti-

(1) *S. Cæleſt. I. epiſt. 2. ad Epiſc. Provin. Viennen. & Narbonen. tom. 3. Concil. noviſſ. edition. Venet.* (2) *Concil. Pontigon. Can. 2.* (3) *Apud Antonium Charlas de Primatu Rom. Pont. pag. mihi 147.* (4) *Maimburg. de Juſtit. & Prærogat. Eccl. Rom. cap. 4.*

ſex Romanus exercet: ac propterea contrariam doctrinæ huic Anonymi ſententiam commentum eſſe hominis ſuper Pontificiæ juriſdictionis ruinas jura Principatus erigere adnitentis. Adverſus quod commentum certum inſuper hoc principium ſtare contendimus: quod ſicuti ſupremo cuique Principi *titulo Principatus*, id convenit, ut eam, qua legitima in tota ſua ditione potitur, temporalem juriſdictionem libere exerceat, abſqueoquod ejus Edicta & Leges Pontificio examini & Placito ſubdantur; ſic Romano Pontifici *titulo Summi Pontificatus* hoc competit, ut ea, qua legitima pollet in tota Eccleſia, ſpirituali juriſdictione libere ubique utatur, ejuſque Decreta & Literæ ſine prævio Principum examine ac Placito executioni mandentur: atque id quidem eò potiori jure, quò Pontificia & Eccleſiaſtica poteſtas Regia & politica eſt præſtantior. Porro S. Gregorius Nazianzenus inter utramque poteſtatem comparationem inſtituens, Præſidem iraſcentem hac ſententia repreſſit: *Imperium nos quoque gerimus, addo præſtantius & perfectius* (1).

ARTICULUS VII.

Regium Placitum evertitur, quatenus Principibus convenire dicitur, ne perſonæ ipſis ſuſpectæ in ipſorum ditiones ſubinducantur.

„ Titulo Principatus, ſeu *Jure Regaliæ* ad Principes pertinere Regium Placitum docet Anonymus, ne in ipſorum ditiones perſonæ intromittantur, quæ iiſdem ſuſpectæ eſſe poſſint: *Che poſſano eſſere a Principi ſoſpette* (2).

Hoc ſi verum ſit, nedum extraneum quemlibet arcere, ſed incolas pene omnes expellere a propria ditione poterit quiſque Princeps. Siquidem non ſolum qui extranei ſunt, ſed qui indigenæ Principibus ſuſpecti eſſe poſſunt: teſte enim Apoſtolo, periculis plena ſunt omnia: *Periculis*, inquit, *fluminum*, *periculis latronum*, *periculis ex genere*, *periculis ex gentibus*, *periculis in civitate*, *periculis in ſolitudine*,

(1) *S. Greg. Nazian. Orat.* 17. (2) *Anonym. pag.* 34.

dine, *periculis in mari*, *periculis in falſis fratribus* (1). Sed hoc indulgeamus Anonymo, ut plus verbis expreſſerit, quam mente conceperit, ejuſque propterea aſſertio intelligenda ſit de iis tantum perſonis, & in caſu præſentis controverſiæ de illis duntaxat Clericis extraneis, quos Principes quoquomodo ſuſpectos habent; id ſane inde ſequetur, ut eo ſuſpicionis prætextu, qui ſemper in promptu erit, illi ſolum Clerici ad Beneficia & Eccleſiaſticas dignitates provehantur, quos ipſi Principes provehi voluerint: quæ agendi ratio, ut ait Hincmarus Remenſis in epiſtola ad Ludovicum II. Galliæ Regem, *Non eſt divinæ Legis electio*, *ſed humanæ poteſtatis extorſio*; additque quod *malignus ſpiritus in aures Regis hæc ſibilat*, & quod *talia dicta Infernus evomuit*.

Quamobrem Honorius III., ut ex una parte prædicto ſuſpicionis prætextui occurreret, & ex alia conſuleret indemnitati Principum, de hac ipſa re expoſtulatus a Friderico Imperatore & utriuſque Siciliæ Rege, ita illi ſapientiſſime reſpondit: *Non intendimus promovere ſuſpectos*, *dummodo non ultra notam ſuſpicionis extendas*, *quam rationis tramites patiantur* (2). Hoc idem Gregorius IX. ipſi Friderico poſtea inculcavit (3). Cardinales etiam, qui cuncta diſſidii capita Bonifacium VIII. inter & Philippum Pulchrum Galliæ Regem congruis reſponſionibus diluerunt, præſenti articulo factum eſſe ſatis cenſuerunt hoc reſponſo: Epiſcopos videlicet ſive oriundos ſive extraneos Eccleſiis datos a Bonifacio non eſſe Philippo (probabili utique ratione) ſuſpectos. *Quibus de perſonis providit ipſi Regi non ſuſpectis & Regno* (4). Quibus monumentis docemur rationem quidem ſuſpicionis habendam eſſe in Clericis ad Beneficia promovendis, quoties tamen probabilis illa ſit, nam ſi commentitia, nihil eſſe faciendam.

Itaque ſi caſus accidat, quod quis laico Principi rationabili cauſa ſuſpectus a Summo Pontifice ad Epiſcopatum electus ſit, tunc de hoc ipſo Sedes Apoſtolica certior facienda eſt, & expo-

V 2 ſtu-

(1) 2. *Cor.* 11. (2) *Apud Raynal. ad an.* 1226. *num.*8. (3) *Epiſt.*17. *ad Frider. II. Tom.*13. *Concil. Labbei noviſſ. Edit.Venet.* (4) *Hiſt. Univerſit. Pariſienſ. To.*4. *ſac.* 6. *pag.* 27.

ſtulanda, ut ad eam dignitatem evehat alium ab ea ſuſpicionis nota immunem. Hanc ſane viam iniit (ut externa exempla omittam) Carolus II. Andegavenſis, quo petente Landulphus Cardinalis Sedis Apoſtolicæ in Regno Neapolitano Legatus Manfredum Ciphonium, etſi ad Epiſcopatum Militenſem jam electum & indigenam rejecit, eoquod hic hoſtium Caroli partes fuiſſet ſectatus, & Andream Abbatem pariter electum, etſi Milito extraneum ad eumdem Epiſcopatum provexit (1). Hanc ipſam viam in ſimilibus caſibus iniiſſe pariter ex Neapolitanis Regibus alios ſibi facile ſuadeat quiſquis ea perpenderit, quæ ex Honorio III. & ex Gregorio IX. paulo ante retulimus. Ita olim non literarum examen Apoſtolicarum, non ſæcularium Magiſtratuum arbitrium, non Regum Placitum, ſed Regum preces Apoſtolicæ Sedi vel ejus porrectæ Legatis ab Epiſcopatibus fauſto exitu arcebant Clericos Regibus ipſis vere ſuſpectos: atque tunc ne quidem cogitatum de jure Placiti, quod poſtremis ſæculis invaluit, in ſpecie quidem ne perſonæ Regi ſuſpectæ in Regnum inducantur, re tamen ipſa ut Eccleſiaſtica poteſtas Politicæ ſubjiciatur; ſicut vel ipſa Regii Placiti praxis oſtendit, quæ in dies adhiberi conſuevit etiam quando nulla prorſus eſt Regi ſuſpicio (quod ut plurimum evenit) de Clericis, qui a Sede Apoſtolica ad Epiſcopatus & ad reliqua Regni Beneficia provehuntur.

Demum poſſumus & hic ſicut alibi adverſus Anonymum urgere argumentum *a pari*, ut ajunt. Si enim ad Principes ſpectat Romanas cognoſcere Scripturas, ne quæ perſonæ in eorum ditiones inducantur, quæ ipſis ſuſpectæ eſſe poſſint, ſimili, immo potiori ratione ad Romanum Pontificem ſpectabit cognoſcere diplomata ſeu Literas, quibus terreni Principes ſuorum Regnorum Proreges, Provinciarum Præſides, Civitatum Moderatores creant, ne videlicet Catholicis Regnis, Provinciis, Urbibus perſonæ præficiantur, quæ eidem Pontifici de hæreſi ſuſpectæ eſſe poſſint. Cur enim illud *titulo Principatus* Principes deceat, hoc vero *titulo Pontificatus* Romano Pontifici non conveniat?

A R-

(1) *Ughel. Tom. 1. de Epiſc. Militenſ. num. XIX.*

ARTICULUS VIII.

Quod Regii Placiti praxis neque perantiqua, neque perpetua, neque Principibus licita ſit, demonſtratur.

EX falſo principio, quod Regium Placitum ad Principes pertineat *titulo Principatûs*, ſeu *Jure Regaliæ* propter cauſas jam indicatas, & a nobis everſas, falſiſſimam hanc concluſionem Anonymus elicit: „ Unde, inquit, ipſis Principibus ſemper licuit, eorumdemque commendabilis vigilantiæ ſemper fuit proprium extraneas cognoſcere Scripturas„ (inter quas recenſet Apoſtolicas & quidem omnes, ut diximus & ex contextu patet) „ in ipſorum ditiones invectas, „ antequam hæ executioni tradantur (1) „. Quibus verbis ſatis aperte innuit Placiti praxim fuiſſe ac eſſe Principibus licitam, laude dignam, perantiquam, perpetuam & ipſis Principatibus coævam. Nos vero de ejus praxis antiquitate & ſucceſſu primum diſſeremus; deinde eam ſemper fuiſſe illicitam & improbatam demonſtrabimus.

Conſtantius Imperator inſignis Arianæ ſectæ fautor, primus omnium fuit, qui, Arianis ſuaſoribus, arbitrio ſui & examini Decreta, ac Judicia Eccleſiæ ſubjicere præſumpſit, itaut hæc nullatenus executioni mandari deberent, niſi Imperiali eſſent auctoritate munita. At hujuſmodi Conſtantii conatui Eccleſiæ Patres, Athanaſius, Hilarius, Lucifer Calaritanus, Hoſiuſque Cordubenſis fortiter reſtiterunt. Athanaſius quidem, *Quandonam*, inquit, *a ſæculo res hujuſmodi audita eſt? Quandonam Eccleſiæ Decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut pro Decreto illud habitum eſt? Multæ antehac Synodi coactæ ſunt: multa prodiere Eccleſiæ Decreta: ſed nunquam Patres res hujuſmodi Imperatori ſuaſere, nunquam Imperator Eccleſiaſtica curioſe perquiſivit* (1). S. Hilarius oſtendens nullatenus opus eſſe temporali poteſtate, ut Eccle-

ſiæ

(1) *Anonym. pag.* 34. (2) *S. Athanaſ. Epiſt. ad Monach. num.* 52. *Tom.* 1. *Edit. PP. S. Mauri.*

Digitized by Google

ſiæ Leges valeant, *Ac primum*, ait, *miſereri licet noſtræ ætatis laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſæculari laboratur ..... Proh dolor! Divinam Fidem ſuffragia terrena commendant, inopſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur* (1). Vehementius adverſus Conſtantium Lucifer Calaritanus exarſit: *Proba te*, inquit, *ſuper nos factum Judicem .... Cum probare non poſſis (quia præceptum ſit tibi non dominari Epiſcopis, ſed & ita eorum obedire ſtatutis, ut ſi ſubvertere eorum ſtatuta tentaveris, ſi fueris in ſuperbia comprehenſus, morte mori juſſus ſis) quomodo dicere poteris te judicare poſſe de Epiſcopis, quibus niſi obedieris, jam quantum apud Deum mortis pœna fueris mulctatus* (2). Verba Hoſii alibi retulimus (3). Utinam & noſtris hiſce temporibus Eccleſiæ Præſules ſuorum deceſſorum fortitudinem, virtutem & conſtantiam imitarentur! Profecto Principum Adminiſtri majora in dies adverſus Eccleſiam non auderent, nec Chriſti Sponſam ſuarum cupiditatum ſervam efficere pertentarent.

Ea itaque Conſtantii præſumptio a Patribus ſacerdotali pectore increpita in ipſo, a quo incœpit, Conſtantio ita ceſſavit, ut nullus poſterioribus temporibus fuerit Princeps, qui ſe a rerum Eccleſiaſticarum examine, reviſione & cognitione non abſtinuerit. Neque Henrico IV. & V. Germaniæ, ac Henrico II. Angliæ Regibus, aut Friderico II. Imperatori, aliiſque ejuſdem indolis Principibus unquam in mentem venit inire hanc viam, quæ cæteroquin expeditiſſima ipſis fuiſſet ad evitandas Pontificias, quibus inuſti ſunt, cenſuras, ſi nimirum has Regio Placito ſuppoſuiſſent. Quin potius ex eis aliqui literis Apoſtolicis, quibus in ipſos anathema dicebatur, libere publicari permiſsis, ea, qua par erat, animi ſubmiſsione, Sedis Apoſtolicæ cenſuris obſequentes, abſolutionis beneficium reverenter poſtularunt, ac impetrarunt, inter quos numerantur Lotharius Rex Lotharingiæ, Robertus,

(1) *S. Hilar. in lib. contra Arian. vel Auxent. Mediolan. num. 3. & 4.* (2) *Lucifer. Calarit. lib. 1. pro Athanaſio.* (3) *Art. II. primæ Partis.*

tus II., necnon Philippus I. ambo Galliarum Reges (1). Quid de Philippo Pulchro? Hic ſane ſæculo decimo quarto ineunte, poſt promulgatas in Galliæ Regno Bonifacii VIII. notas Conſtitutiones auſu plane ſchiſmatico mandavit, *Cuſtodibus ubique appoſitis, ne ullæ Pontificiæ literæ in Regnum deveherentur* (2); quod & prius fecerat Henricus II. Angliæ Rex metuens Eccleſiaſticis ſupponi cenſuris propter perſecutionem in S. Thomam Canturienſem a ſe motam. Sed hoc ipſum ſatis oſtendit tunc ne quidem fuiſſe cogitatum de via Regii Placiti, quæ ſi in prædictorum Regum mentem veniſſet, eam profecto iniiſſent uti faciliorem ad impediendum literarum Apoſtolicarum executionem & effectum.

Ut igitur Regii Placiti originem indicemus, ferale ſchiſma ſub Urbano VI. exortum peſsimo huic abuſui occaſionem præbuiſſe cum Scriptores non pauci, inter quos Cardinalis Richelius (3), tum plura monumenta teſtantur, quæ legi poſſunt in Reflexionibus ſupra Scripturam Curiæ Taurinenſis nuper editis (4). Cum enim Chriſtiana Regna alia alium pro legitimo Pontifice haberent, mandarunt Principes, ut quæ Literæ nomine Pontificio inſignitæ in ipſorum ditiones deferebantur, examini ſubderentur eo fine, ut illæ ſolum promulgarentur, quas conſtaret ejus eſſe Pontificis, cui tanquam legitimo, ipſi obedientiam profitebantur; atque etiam ne Clerici in exactione ſubſidiorum ab Antipapis gravarentur. Addo a Van-Eſpen, qui omnem movet lapidem, ut Regii Placiti antiquitatem ſtabiliat, nullum proferri Scriptorem, nullum genuinum monumentum, quod dicti ſchiſmatis ætatem antecedat (5). Ea igitur, quam modo diximus, verior eſt Regii Placiti origo; quæ quoniam prædicto ſchiſmate non eſt antiquior, manifeſti mendacii redarguit Anonymum ſcribentem ſemper Principibus licuiſſe, eorumdemque ſemper fuiſſe vigilantiæ proprium, Apoſtolicas ante earum executionem Scripturas cognoſcere. Anne Principibus, qui Urbani VI. tem-

(1) *Vide Opus, cui titulus:* Ragioni della Sede Apoſtolica nelle preſenti controverſie colla Corte di Torino *Tom. 1. Part. 2. cap. 2. de Regio Exequatur a n. 47. ad 53.* (2) *Spondanus an. 1301. num. 7.* (3) *Teſtam. Polit. par. 1. cap. 2. ſect. 2.* (4) *Vide Opus ſupradict. par. 2. cap. 2. num. 55. 56. 57.* (5) *Van-Eſpen. de Regio Placito part. 2. cap. 1. §. 1. & 2.*

tempora præceſſerunt, facultas fuit utendi eo Placito, de quo ne quidem cogitarunt? An forte damnabilis ſomnolentiæ incuſandi ſunt omnes illi Principes, quod Regium Placitum *titulo Principatus*, *aut Jure Regaliæ* juxta Anonymum ſibi ipſis conveniens ne agnoverint quidem, tantum abeſt, quod in praxim deduxerint?

Sicut autem a ſchiſmate originem ſuam traxit Regii Placiti abuſus, quem tunc neceſsitate quadam adinventum calamitas temporum toleravit, ſic poſtmodum extincto ſchiſmate in electione Martini V., ceſſare & ille debuit; quemadmodum re ipſa ceſſavit in illis regionibus, in quas occaſione ſchiſmatis fuerat invectus (1). Conceſſerat ſane, eodem ſæviente ſchiſmate, Urbanus VI. quibuſdam Epiſcopis & Præſulibus ſuæ parti addictis, quod *Ad tollenda ſcandala non poſſet fieri* executio quarumdam literarum Apoſtolicarum, *niſi prius ejuſmodi Literæ Prælatis ipſis, vel eorum Officialibus exhiberentur & per ipſos approbatæ forent*; ut Martinus V. enarrat (2). At idem Martinus Pontifex animadvertens eam praxim ſine gravi injuria & Apoſtolicæ auctoritatis præjudicio tolerari non poſſe, illud privilegium etſi non laicis, ſed Eccleſiaſticis viris ab Urbano VI. conceſſum, & quodcumque Statutum inde exortum, Concilii Conſtantienſis Patribus approbantibus, revocavit decrevitque, ut literæ Apoſtolicæ libere omnino promulgarentur, pœna ſuſpenſionis ſtatuta in repugnantes (3).

Cœperunt ſubinde ſæculi Principes, partibus petentibus, alicubi impedire executionem citationum & mandatorum, quæ a Romanis tribunalibus prodibant. Quare injuſtum hocce ipſorum facinus anno 1491. Innocentius VIII. ſub pœna anathematis Romano Pontifici reſervati expreſſe damnavit (4). Quia vero iidem Principes ſubinde literas ipſas, & mandata Apoſtolica ſuis Placitis ſubmittere alicubi præſumpſerant, idcirco Leo X. decrevit ac ſtatuit, quod *Judices & executores in literis Apoſtolicis pro tempore deputa-*

(1) *Vide Opus cit. cui titulus*: Ragioni &c. *ibid. num.* 58. & 59. (2) *Martinus V. in Conſtit. quæ incipit*: Quod Antidota. (3) *Idem ibid.* (4) *Innocentius VIII. in Conſtit. quæ incipit*: Officii noſtri.

tati, ac Notarii & Tabelliones ſuper his requiſiti literas ipſas Apoſtolicas ſine alicujus perſonæ, cujuſcumque Eccleſiaſticæ, vel mundanæ dignitatis fuerit, licentia vel conſenſu exequi poſſint & debeant. Addidit inſuper *Interdicti pœnam* in Urbes & Communitates, necnon *pœnam excommunicationis* ſtatim incurrendam, Summoque Pontifici reſervatam, in omnes, qui literarum Apoſtolicarum executionem quoquo modo impedirent, *Etiamſi*, inquit, *Patriarchali, Archiepiſcopali, Primatiali, Epiſcopali, & quavis alia Eccleſiaſtica vel mundana, etiam Imperiali, Regali, Reginali, aut Ducali vel alia præfulgeant Dignitate* (1).

Adinventi quidem ſunt prætextus, quibus adverſus Pontificias Conſtitutiones Regii Placiti abuſus fulciretur: ſed eumdem abuſum etiam prætextibus fulcitum ſub anathemate damnat Bulla, quæ die Cœnæ Dominicæ quotannis legi ſolet: ſiquidem in ea hæc habentur: *Item excommunicamus & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares cujuſcumque Dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura executione literarum Apoſtolicarum in forma Brevis tam gratiam, quam juſtitiam concernentium, necnon citationum &c. ad Curiam ſæcularem & laicam poteſtatem recurrunt, & ab inſtante Fiſci Procuratore vel Advocato appellationes hujuſmodi admitti, ac Literas, citationes &c. capi & retineri faciunt. Quive illa ſimpliciter vel ſine eorum beneplacito & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones & Notarii ſuper hujuſcemodi Literarum & Proceſſuum executione inſtrumenta vel acta conficere, aut confecta Parti, cujus intereſt, tradere debeant. Item excommunicamus & anathematizamus omnes & ſingulos, qui per ſe vel per alios &c. executionem Literarum Apoſtolicarum, ſeu Executorialium, Proceſſuum ac Decretorum quomodolibet impediunt, etiam prætextu violentiæ prohibendæ vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint vel ſupplicari fecerint.* Ita Paulus V. in Conſtitutione, quem anno 1610.

(1) *Leo X. in Conſtit. quæ incipit*: In Supremo.

die Cœnæ Dominicæ promulgavit (1). Hanc eamdem excommunicationis formam poſtmodum ſecuti ſunt omnes, qui ad noſtra uſque tempora ſucceſſerunt, Romani Pontifices. Non abs re demum fuerit hic ſubdere peculiarem Clementis XI. declarationem in Regium Placitum. Cum enim anno 1719. die 21. Junii prodiiſſet a Senatu Taurinenſi ſcandaloſum Edictum, quo neceſſitas Placiti quibuſcumque Apoſtolicis literis imponebatur, laudatus Pontifex eodem anno die 18. Auguſti Edictum illud declaravit nullum, invalidum, injuſtum, reprobatum, vanum ac temerarium, ejuſque a ſe ita condemnati omnem qualemcumque executionem & obſervantiam ſevere prohibuit (2).

Ex iis, quæ de Regii Placiti origine & ſucceſſu protulimus, liquido conſtat, quam falſo & temere aſſerat Anonymus ſemper licuiſſe Principibus, ac laudabilis eorumdem vigilantiæ proprium ſemper fuiſſe, Apoſtolicas cognoſcere Scripturas in ipſorum ditiones illatas, antequam eæ executioni mandentur. Quomodo enim ſemper licuerit abuſus ille, qui a ſchiſmate ortus & poſt ſchiſma repreſſus, ad ſuam originem, ideſt ad ſchiſma tendens, ubicumque ſubinde ſacrilegum extulerit caput, graviora in ſe Apoſtolicæ Sedis tela convertit? Siccine ergo ſæculi Principibus id ſemper & cum laude licuit, quod vel ipſis Eccleſiæ Præſulibus ſub ſuſpenſionis pœna fuit prohibitum? Siccine commendabili Principum vigilantiæ ille abuſus adſcribitur, quem in Urbibus, aliiſque hominum Univerſitatibus ſub Interdicti pœna, necnon in Principibus ipſis ſub pœna anathematis damnarunt & quotannis damnant Romani Antiſtites? Dicendum itaque e converſo erit Theodoſio, Valentiniano, Carolo M., aliiſque priſcis Cæſaribus hoc defuiſſe laudis, quod Apoſtolicis literis cognoſcendis non invigilaverint, immo de hac re nequidem cogitaverint. Dicendum pariter ſomnolentiæ incuriæque incuſandos eſſe eos Principes, qui Pontificiis Scripturis avitam libertatem ſervatam volunt. Sed & negligentiæ, inertiæque vitio Galliæ & Hiſpaniæ Regibus vertendum erit, quod illi Apoſtolicas

(1) *Paulus V. in Conſtit. quæ incipit:* Paſtoralis. (2) *Clemens XI. in Conſtit. quæ incipit:* Apoſtolatus Noſtri.

licas literas ad Beneficia aliaque particularia negotia, hi vero Literas ad fidem & mores pertinentes in ſuis Regnis ſine Regio Placito promulgari ſinant (1). Non ita ſane, non ita ſenſerunt Concilia, Patres & ipſi Principes pietate inſigniores, quibus concors ſententia fuit, reſpectu literarum Apoſtolicarum unam hanc eſſe omnium Fidelium partem, obſequium videlicet illis exhibere ac reverentiam. Sed & illud in Eccleſia novum eſt ac pene inauditum, id nimirum licitum ſemper fuiſſe Principibus & commendatione dignum, quod Summi Pontifices per Conſtitutiones Apoſtolicas, præſertim univerſales, ſemper improbarunt & ſub gravioribus cenſuris quotannis improbant. Apage itaque falſam eam Anonymi temerariamque ſententiam a Schiſmaticorum lacunis erutam, Pontificiæ auctoritatis prorſus inimicam, & Catholicorum Principum pietati injurioſam. Porro, ut hoc etiam addam, quaſcumque Pontificis Maximi literas, dogmaticis non exceptis, ſubjicere Regio Placito, & ſæcularium Principum ac Magiſtratuum examini, Chriſtum Dominum veluti eſt tribunali ſive Herodis ſive Pilati ſiſtere judicandum.

ARTICULUS IX.

Argumento ducto ex ipſamet praxi Regii Placiti confirmantur ea omnia, quæ adverſus idem Placitum hucuſque diximus.

QUod ad ſæculi Principes *titulo Principatus*, ſeu *Jure Regaliæ* pertineat Apoſtolicas omnes veluti extraneas cognoſcere Scripturas propter Status conſervationem, & ne quid in ipſorum ditiones invehatur Regiis Juribus, Regnorum legibus, moribus, privilegiis repugnans; ne perſonæ ſuſpectæ ſubinducantur, ne ſpiritualis vel temporalis juriſdictio, ipſis inſciis, exerceri prætendatur: hæc demum ſumma eſt eorum, quæ pro Regio Placito Anonymus hactenus attulit, & veluti principium, quo inniti vult Regias literas ad ſtabilien-

(1) *Vide Art. ſeq.*

liendam, ut ait, in Regno Neapolis Regii Placiti neceſſitatem exaratas. At iſtiuſmodi principium, quod pro omnibus ſummis Principibus æque militat, & quod proinde, ſi verum eſſet, evinceret univerſalem ac uniformem eſſe debere in cunctis Chriſtianis ditionibus Placiti praxim, ipſa ejuſdem Placiti praxis, quæ nec univerſalis nec uniformis eſt, falſum eſſe & inane ſatis aperte demonſtrat.

Ne autem ab aliis actum agamus, patiatur hic benignus Lector ſe remitti ad Reflexiones ſupra Scripturam Taurinenſem. Profecto cernet ibi (1) Placiti abuſum ubique non obtinere, & in iis regionibus, in quibus obtinet, non eſſe uniformem, nihilque commune habere cum Regio Placito, quod propugnat Anonymus; ſed Apoſtolicas literas in Catholica Regna delatas, qua omnes, qua pleraſque, qua ſaltem aliquas executioni mandari ſine ullo Principum, ſeu ſæcularium Magiſtratuum Placito. Anne idcirco Regum jura, & præeminentiæ, anne Regnorum, ac regionum leges, mores, privilegia violantur, vel perſonæ Principibus ſuſpectæ in ipſorum ditiones ſubinferuntur? Ideo ne Principes conſervationi Reipublicæ minus conſulunt, & ea, quæ ipſis *titulo ſui Principatus* ſeu *Jure Regaliæ* competunt, minus curant, quod ſine ullo ipſorum Placito in eorum ditionibus a Pontifice Maximo ſpiritualis juriſdictio exerceatur? Sane cum in Luſitania, in Hiſpania, in Italia conſervetur Politicus ſtatus, nec offendantur jura Principum, regionum leges, privilegia ac mores, ex eo quod ibi Conſtitutiones generales Sedis Apoſtolicæ libere publicentur; nemo prudens ſibi facile perſuaſerit, metum, ne ea jura, mores & privilegia lædantur, juſtam eſſe cauſam ſupponendi Regio exequendi conceſſui eaſdem generales Sedis Apoſtolicæ Conſtitutiones. Item ſi in Gallia, Luſitania, & in magna parte Italiæ proviſiones & reſcripta Apoſtolica, quæ negotia particularia reſpiciunt, ſine Placito paratam executionem habent, nec idcirco in Principum jura, ſeu in Populorum leges, privilegia ac conſuetudines impingunt; nemo profecto ſanæ mentis judicabit examinari licite poſſe Apo-

(1) *Vide Opus ſupracit. cui titulus*: Ragioni della Sede Apoſtolica &c. *Part.* 2. *cap.* 2. *a num.* 66. *ad* 76.

Apoſtolicas literas propter vanum, inanem ac ſimulatum metum, ne eadem jura, privilegia & conſuetudines violentur. Hoc igitur unum concludendum ſupereſt: quod adſtruere in Principibus jus Placiti propter ſæpius memoratas cauſas, nihil ſit aliud, quam prætextus conquirere, quibus Apoſtolicæ auctoritati invidia creetur, & Pontificia Decreta Politicæ poteſtatis arbitrio & ambitioni, ac forte etiam ſæcularium Magiſtratuum avaritiæ ſubdantur: atque proinde omni ratione & legitimo jure deſtitutas eſſe Regias literas, quibus neceſſitatem (uti vocat) Regii Placiti apponendi literis Apoſtolicis cujuſcumque generis in Regno Neapolis Anonymus ſtabilitam eſſe contendit.

ARTICULUS X.

Reſpondetur ad argumenta, quibus Regii Placiti praxim eſſe perantiquam & inconcuſſam in Regno Neapolis Anonymus probare nititur.

HÆc ego argumenta latine reddita paulatim exſcribam, & pedetentim relatis Anonymi verbis, reſpondebo.

Anonymus. „ Hic ſemper fuit Regni ſtylus, & inconcuſſa praxis, (ſubjiciendi videlicet Regio Placito Apoſtolicas cujuſcumque generis literas) quæ, quoniam ſæpe ſive per incuriam, ſive per indulgentiam cuſtodita non fuit ea vigilantia & ſedulitate, qua par erat, ideo prudentiſſimus & ter Auguſtus Monarcha noſter pluribus datis Regiis literis, conſtanti firmoque animo impenſius, ut ea praxis obſervaretur, mandavit (1).

Reſponſio. Hic ſane Anonymus eſt ſibi ipſi contrarius; non enim ſemper inconcuſſa dici poteſt illa praxis, quæ ſæpe ex incuria aut indulgentia cuſtodum concuſſionem perpeſſa, Regia tandem reparatione indiguit. Sin ſecus, inconcuſſa quoque

(1) *Anonym. a pag. 3. ad 4.*

que ſemper extitiſſe Urbis mœnia dici poſſent, quamvis non ſemel diruta, Cæſarum deinde cura reſtituta fuerint. De Regiis literis, quas ille inculcat, abunde jam diximus.

Anonymus. „ In dubium revocari nequit, quod quan-
„ tumvis poſt translatum a Sveva ſtirpe in Andegavenſem
„ Regni ſceptrum, Carolus I., ſicut & alii Andegavenſes Re-
„ ges ejuſdem ſucceſſores aſſenſui Regio in Epiſcoporum ele-
„ ctionibus nuncium dixiſſent in iis ipſis tabulis, in quibus a
„ Romanis Pontificibus Regnum vectigale acceperunt, reti-
„ nuerint nihilominus Regium Placitum neceſſario requiſitum
„ non minus in diſtributionibus Epiſcopatuum Regni & Ar-
„ chiepiſcopatuum, quam in quibuſvis Proviſionibus, quæ ab
„ Urbe proficiſcebantur (1).

Reſponſio. Quiſquis ea legerit, quæ de Placiti origine ſupra diximus, facile intelliget hic Anonymi confidentiam cum ejus in ſcribendo incuria certare, dum Regio aſſenſui Regium *Exequatur*, ſeu Placitum facit coævum, vel certe Regibus e ſtirpe Andegavenſi, immo Sveva antiquius. Etenim hoc, quod ille veluti certiſſimum ſupponit, adeo eſt falſum, ut verum eſt, quod ante tempora Urbani VI. nempe ante annum 1378. Regii Placiti praxis nullibi emerſerat. Quomodo itaque Carolus I. Andegavenſis, qui anno 1265. Regnum auſpicatus eſt (2), quomodo ejus uſque ad Urbani VI. ætatem ſucceſſores retinere potuerunt Regium *Exequatur*, (nam de Regio Aſſenſu in prima Parte abunde egimus) cujus tunc temporis ne ulla quidem mentio occurrebat? Nunquid retinere poterant, quod nondum extabat? Et ſi extaſſet ac retinuiſſent; quomodo cautum eſſet, ut OMNES Regni ECCLESIÆ CUM OMNIBUS BONIS SUIS PLENA LIBERTATE gauderent, quæ conditio appoſita eſt in Conſtitutione, qua Clemens IV. Carolum I. Andegavenſem utriuſque Siciliæ Regem deſignavit (3)? Sed de hoc iterum inferius (4).

Interim obſervo ſub Svevis, Andegavenſibus, Aragoniis, ſive etiam ſub Auſtriacis Neapolis Regibus, ſaltem ante ibi initas a Duce Alcalæ Regias vices, nullatenus fuiſſe cogitatum de

(1) *Pag.* 33. (2) *Raynal. an.* 1265. *num.* 13. (3) *Apud Raynald. an.* 1265. *num.* 19.
(4) *Art.* XII. *ſub finem*.

de jure Placiti, ejuſque praxi in QUIBUSCUMQUE literis, & proviſionibus Romanis. Et id quidem vel ex eo demonſtratur, quod Jannonius recenſens exempla Placiti ſub unaquaque dictorum Regum ſtirpe, (parum tamen vel nihil facientia ad rem) ne unum quidem exemplum afferat Placiti appoſiti literis Apoſtolicis ad Fidem, mores, indulgentias, ſacros ritus & ſimilia pertinentibus: ſed omnia Placiti, quæ refert, exempla rem Beneficiariam, & quædam alia particularia negotia reſpiciunt (1).

Anonymus. „ Ita etiamſi Regius Aſſenſus in electionibus „ ſacrorum Præſulum fuerit ablatus, non tamen fuit ablatum „ Regium Placitum, adeout non poſſet remedium afferri pro- „ viſionibus Romanis in caſu, quo Proviſus inimicus, vel „ Regi ſuſpectus foret aut odioſus (2).

Reſponſio. Neque nos inficiamur in hujuſmodi caſibus præſto ſemper fuiſſe remedium, non quidem per Regium Placitum, ſed per Regias preces Sedi Apoſtolicæ porrectas obtinendum, quo remedio uſi ſunt priſci illi Neapolis Reges, quorum ſupra meminimus (3).

Anonymus. „ Immo ſub ipſo Andegavenſium Regno, id „ Papa Nicolaus IV. declaravit in Conſtitutione edita die 28. „ Julii anno 1288. quo tempore Carolus II. Andegavenſis „ regnabat, aſſerens nullo modo ad Archiepiſcopalem, Epi- „ ſcopalem ſeu aliam Eccleſiaſticam Regni dignitatem pro- „ vehi poſſe Regi ſuſpectos, ſicut manifeſte conſtat ex ea- „ dem Conſtitutione, quam tom. 4. *de Regio Exequatur* refert „ Chioccarellus (4).

Reſponſio. Hæc Nicolai IV. Conſtitutio (præter quam quod eam nos eſſe ſuppoſitam jure ſuſpicamur, ut paulo poſt oſtendemus) hoc unum ſpectabat, ut ab Epiſcopatibus, aliiſque Regni Beneficiis illi arcerentur, qui Carolo II. Andegavenſi vere ſuſpecti fuiſſent, Siculi videlicet, quos adverſus eumdem Carolum rebellantes ter fuiſſe a Nicolao excommunicatos ex Surita, & Mariana narrat Pagius Junior (5). Id autem nihil attinere ad rem præſentem perſpicuum eſt; tum quia Illu-

(1) *Jannon. tom. 4. Hiſt. Civil. lib. 33. cap. 5.* (2) *Anonym. pag. 34.* (3) *Art.* VII (4) *Anonym. pag. 34.* (5) *Franciſc. Pag. Brev. Geſt. Pontif. Rom. in Nicolao IV. n. 19*

Illuſtriſſimus & deinde Eminentiſſimus de Auria Carolo VI. Imperatori & Hiſpaniarum Regi III. nulla ratione ſuſpectus fuit, tum etiam quia ipſe Anonymus non ſolum docet, quod ſi|qui Regi ſuſpecti vere ſint, ab Eccleſiaſticis Regni dignitatibus repellantur; ſed ulterius quod Regium Placitum neceſſario requiratur in quibuſcumque literis, & proviſionibus Apoſtolicis, & quidem non vi alicujus Pontificiæ Conſtitutionis, ſed *titulo Principatus*, *ſeu Jure Regaliæ*. Ea autem Nicolai Conſtitutio tantum præcipiebat, ne quis Regi ſuſpectus ab iis, ad quos ſpectabat, in Archiepiſcum vel Epiſcopum eligeretur.

Anonymus.„ Hinc recenter Proviſi, ut Eccleſiarum poſ-
„ ſeſſionem inirent, tenebantnr cuncti Regi exhibere Benefi-
„ ciarias Bullas, quibus Regium *Exequatur* concedebatur, &
„ ſæpiſſime etiam negabatur (1).

Reſponſio. Pulchra illatio! Ex Pontificia Conſtitutione declarante Regi ſuſpectos non eſſe ad Eccleſiaſticas dignitates in ejus Regno eligendos, deducitur Proviſos omnes fuiſſe obſtrictos ad exhibendum Regi Apoſtolicas Beneficiarias literas: ex legitima nimirum obligatione Eligentium infertur imaginaria obligatio Proviſorum. Si exinde intuliſſet Anonymus Electores ſeu Clericos, penes quos canonica tunc temporis erat electio, fuiſſe adſtrictos ad ſignificandum Regi electionis decretum, veniam forte daremus; ſed nullo certe pacto ex dicta Conſtitutione erui poteſt, quod Nicolaus literas omnes Apoſtolicas, per quas a Clero jam electi, in Epiſcopatibus vel aliis Eccleſiaſticis dignitatibus inſtituebantur, affectas voluerit eo vinculo, quo ante tribunal Regis ſiſterentur, expectaturæ ibi ſententiam conceſſæ vel negatæ executionis. Porro rem hujuſmodi neque Nicolaus Pontifex, neque ipſe ſomniavit Rex Carolus: nam eorum ætati nullibi emerſerat abuſus Regii exequendi Conceſsûs, ut ſuperius oſtendimus.

Anonymus.„Sicuti idem Rex Carolus ſe geſſit, cum Man-
„ fredo de Giſuno; qui cum in Epiſcopum Militenſem ele-
„ ctus fuiſſet, quanquam ejus Eccleſiæ Canonicatu potiretur,
„ Apoſtolicis tamen literis, quibus Epiſcopus inſtituebatur,
nul-

(1) *Anonym. pag.* 34.

„ nullo pacto voluit Rex ſuum impertiri Placitum; illumque „ ab Epiſcopatus poſſeſſione repulit: cujus rei teſtes Regiæ „ epiſtolæ datæ Neapoli anno 1299. referuntur ab Ughello „ tom. 1. de Epiſc. Militenſ. num. 16. (1).

Reſponſio. Unum hic affertur exemplum, quod ſi ſufficiat ad probandam frequentem ſub Carolo II. Andegavenſi Regii Placiti praxim, pariter ad faciendum ver contra commune adagium una hirundo ſufficiet. Poſſemus nos plurima ex eodem Ughello afferre exempla eorum, qui nulla interpoſita ejuſdem Caroli Regis auctoritate, Epiſcopatuum poſſeſſionem adepti ſunt: verum ab ejuſmodi exemplorum narratione abſtinemus, cum eæ ipſæ Caroli Andegavenſis literæ, quæ ab Ughello loco indicato recitantur, ipſam Regii Placiti praxim oppugnent. Siquidem in eiſdem literis ſcriptis ad Landulphum Cardinalem in Regno Neapolitano Sedis Apoſtolicæ Legatum poſtquam Carolus Rex narravit, alios ex Canonicis Militenſibus elegiſſe in Epiſcopum Andream Abbatem S. Stephani *de Boſco* familiarem ſuum, ſibique fidum, alios vero Manfredum de Giſuno infidelitatis infamia maculatum, hæc ſtatim ſubdit: *Propter quod Paternitatem veſtram deprecandam,* ut ſi Canonum aliquid non obſiſtit, dignumque duxeritis, quod de præfato Abbate dicto Militenſi provideatur Eccleſiæ, velitis annuere, & quod dictus alter electus, adverſus quem clamat infidelitatis infamia ad prælationem non admittatur eamdem, aliquatenus aſſentiri* (2).

* Subintellige: *duximus.*

Ubi, quæſo, hic *Bullæ* Epiſcopatus Regi a Manfredo exhibitæ? Ubi *Bullarum* diſcuſſio? Ubi *Regium Exequatur* iis denegatum? De his omnibus ne gry quidem. Tantummodo in diſcordi electione Regis audiuntur preces Apoſtolicæ Sedis Legato porrectæ in eum finem, ut non qui ex duobus electis erat ipſi Regi ſuſpectus, ſed qui fidus, inſtitueretur Militenſis Epiſcopus. Miſerrima profecto cauſa eſt, quam ut defendas, iis cogeris uti rationibus, quibus potius oppugnatur.

Hic etiam obſerva, quod cum Carolus Rex in laudatis Literis nullam faciat mentionem prædictæ Conſtitutionis Ni-

(1) *Anonym. pag.* 34. (2) *Apud Ughell. Ital. Sac. tom.* 1. *de Epiſcop. Militenſ. num.* 16.

Digitized by Google

colai IV., qui jampridem deceſſerat, conjici jure poſſe, ut paulo ante innuimus, eam Conſtitutionem eſſe ſuppoſititiam. Cur enim ejus mentionem non fecerit Rex Carolus, occurente caſu in ipſa Conſtitutione contento? Cur potius confugerit ad ſolas preces, quam ad Apoſtolicum Decretum excludens ab Epiſcopatibus Regni quoſcumque Regi ſuſceptos? Dicendum ſaltem erit illam Nicolai IV. Conſtitutionem vel pro ſolo Carolo II. Andegavenſi fuiſſe editam, vel a Bonifacio VIII., ſub quo prædictus caſus accidit, fuiſſe revocatam. Ut ut ſit, eadem Conſtitutione nihil juvari Anonymi cauſam ſuo loco vidimus.

Anonymus.„ Eadem ſub Regibus Aragoniis praxis obti-
„ nuit. Et ſane Alphonſus I. cum expoſuiſſet Eugenio IV.
„ poſt acceptum ab ipſo jure fiduciario, conſuetis clauſulis
„ adjectis, Neapolis Regnum, vigere ibi conſuetudinem
„ non recipiendi ſine Regio Placito Eccleſiarum Præſules ab
„ Urbe miſſos, Papa eidem non difficulter reſpondit, poſſe
„ eum in poſterum ea uti prærogativa (1).

Reſponſio. 1. Hoc Eugenii IV. oraculum, etiam dato quod genuinum ſit, non probat Placiti uſum in quibuſcumque literis Apoſtolicis, ſed in iis duntaxat, quibus Eccleſiarum Præſules inſtituebantur. 2. Hoc idem oraculum Eugenio falſo eſſe affictum demonſtrat rerum geſtarum ſeries. Etenim anno 1443. utrinque propoſitæ & receptæ fuerunt pacis inter Eugenium & Alphonſum ineundæ conditiones, quæ & inſertæ ſunt Pontificiæ Conſtitutioni, qua idem Eugenius fœdus cum Alphonſo initum firmavit, eique Regnum Neapolis jure fiduciario conceſſit. In ea autem Conſtitutione inter alia hæc habentur: *Revocabitis etiam Tu*, (idest Alphonſus, quem Pontifex alloquitur) *& dicti Tui in dicto Regno hæredes omnes Conſtitutiones, & Leges per dictum Fridericum Regem Siciliæ, ſive per Conradum ipſius Friderici Filium, aut Manfredum quondam Principem Tarentinum, ſive per dictam quondam Joannam Reginam, vel alios Reges & Reginas editas contra Eccleſiaſticam Libertatem*, NEC STATUTA ET CONSUETUDINES EDETIS, AUT ETIAM PROMULGABITIS, PER QUÆ JU-

(1) *Anonym. pag.* 34.

Juri et Ecclesiasticæ Libertati derogetur (1). Quis ſibi ſuadeat poſt has ab Alphonſo receptas pacis conditiones Eugenium non difficulter conſenſiſſe, ut Alphonſus memorata prærogativa Eccleſiaſticæ Libertati admodum derogante uteretur? Subinde eodem anno 1443. Pontifex Eugenius per novam Conſtitutionem nova privilegia Alphonſo attribuit; nec tamen meminit ejuſdem prærogativæ a ſe oretenus confirmatæ (2). Tandem anno 1445. Alphonſus dedit ad Eugenium Regias literas aurea Bulla obſignatas, in quibus Regni ſceptrum Apoſtolicæ beneficentiæ acceptum ſe referre, & leges ab Eugenio ſibi impoſitas ſervaturum ſe jurejurando profitetur (3); nec tamen ullam ibi mentionem facit ſive ſupradictæ conſuetudinis in Regno vigentis, ſeu Eugeniani oraculi illam confirmantis. Unde non immerito inferes utrumque eſſe ſuppoſititium, cum aſſertam conſuetudinem, tum Eugenii oraculum.

Anonymus. „ Atque adeo verum eſt a nemine Aragoniis
„ Regibus de illa prærogativa litem fuiſſe motam, ut Ferdi-
„ nandus I. Alphonſi ſucceſſor anno 1473. de eadem *Pragma-*
„ *ticam* ſtabiliverit, quæ allegatur in Conſultatione quadam
„ Ducis Alcalæ relata a Chioccarello loco citato (4).

Reſponſio. I. Hæc *Pragmatica*, qua prohibetur ne in Regno executioni mandentur extraneæ citationes, *nulla ſuper his petita & obtenta licentia*, prima eſt in titulo de citationibus (5). In ea autem nulla fit expreſſa mentio citationum, reſcriptorum, & Romanarum conſtitutionum; quare ipſe Chioccarellus quamvis in Indice Tomi quarti ſub Titulo de *Regio Exequatur* diverſa documenta colligere ſtuduerit, quæ tamen revera ad *Regium Exequatur* non pertinent, omiſit nihilominus prædictam Ferdinandi *Pragmaticam*, utpote quæ illi Titulo prorſus incongrua videretur. Oſtendit etiam nec voluiſſe, nec potuiſſe Ferdinandum ea *Pragmatica* complecti literas Apoſtolicas expreſſa conditio, qua ille a Pio II. fiduciario jure Regni ſceptrum recepit, cujus conditionis idem

(1) *Vide Raynald. ad ann.* 1443. *num.* 7. *&* *ad ann.* 1445. *num.* 8. (2) *Apud eumdem an.* 1443. *num.* 8. *&* 9. (3) *Apud eumdem ann.* 1445. *num.* 11. (4) *Anonym. pag.* 34. (5) *In Vol. Pragm. Regn. Neap.*

Chioccarellus meminit his verbis: *Nella Bolla dell'Inveſtitura del Regno di Napoli conceſſa dal Papa Pio II. al Re Ferdinando I. a' 10. Novembre 1458. tra l'altre coſe dice che il Re, e ſuoi ſucceſſori abbiano da permettere, che alle proviſte, e confermazioni, che farà il Papa de' Prelati del Regno, e qualſivogliano altre commiſſioni, e grazie, e Lettere Apoſtoliche da farſegli ſopra di ciò, ſe le dia la debita eſecuzione, ceſſando ogni impedimento da farſegli dal Re, e ſucceſſori, ovvero da' ſuoi Officiali, e ſudditi; e quelli, che ſaranno renitenti, e diſſobbedienti li puniſcano, e li coſtringano a dare ubbidienza, e riverenza alle Lettere Apoſtoliche, e richieſti detti Re aſſiſtano colla mano militare, e con i rimedj opportuni, come parerà all' Eſecutore delle Lettere Apoſtoliche, Giudice, ovvero Nunzio.* Hæc Chioccarellus (1).

II. Verum quidem eſt hanc legem ſibi a Pio II. impoſitam a Ferdinando non fuiſſe ſervatam, eumdemque ita ſe geſſiſſe, ac ſi ſua *Pragmatica* literas quoque Apoſtolicas complexus eſſet; ipſe enim Ferdinandus Alphonſi nothus, ingrati animi vitio infamis, adverſus Sedem Apoſtolicam, quæ illi ſemel conceſſum jure beneficiario Regnum Neapolis bis armis contra hoſtium conatus vindicaverat, ſpreta jurejurandi religione, pluries rebellavit, humana divinaque ſuis utilitatibus poſthabuit, novum pacis fœdus inter ipſum & Innocentium VIII. initum hac inter alias lege, *ut Epiſcopatus, & Beneficia Regni diſtribuantur per Papam* (4), auſu adeo nefario & ſacrilego infregit, ut Beneficia pro libito ipſe conferret, & eorum, quæ a Pontifice Maximo conferebantur, nullam rationem haberet (4). Quamobrem ipſummet Ferdinandum Regni jure excidiſſe, illudque jus ad Romanam Eccleſiam devolutum eſſe idem Innocentius VIII. declaravit (5). Nihilominus anno 1492. pax denuo inter Innocentium & Ferdinandum conciliata eſt, priſtinæ fœderis leges renovatæ; inter quas ea fuit, ut ipſe Ferdinandus Apoſtolicam in conferendis Neapolitani Regni Sacerdotiis auctoritatem non labefactaret, nec ſe cauſis Eccleſiaſticis obtruderet (5). Qui tandem apople-

(1) *Apud Chioccar. tom. 4. tit. 1. de Regio Exequatur.* (2) *Raynal. ann.* 1486. *n.*14. (3) *Idem an.*1487.*n.* 11. (4) *Idem an.*1489.*n.*8. (5) *Idem an.*1492.*n.*10.

plexia correptus obiit infelix, nec patrata ſcelera Eccleſiaſticis expiare potuit Sacramentis.

Duo colligo ex dictis: primum, non fuiſſe a Ferdinandi indole alienum, quod is ſua *Pragmatica* literas etiam Apoſtolicas, ut praxis demonſtravit, comprehendi voluerit; eam tamen *Pragmaticam* ab eodem fuiſſe revocatam per legem, quam in noviſſimo pacis fœdere ab Innocentio VIII. ſibi impoſitam accepit: nec enim hujuſmodi *Pragmaticam* in eodem fœdere toleraſſe putandus eſt Innocentius, qui aliunde graviſſimam Conſtitutionem edidit contra Regii Placiti abuſum, per quem, inquit, *Juſtitia perit, aut ſaltem retardatur, Beneficia Eccleſiaſtica multoties abſque titulo detinentur occupata, mandata vero Apoſtolica contemnuntur, & auctoritas Sedis prædictæ vileſcit, Libertaſque Eccleſiaſtica conculcatur* (1). Secundum: falſum prorſus eſſe id, quod veluti omnino verum Anonymus aſſerit, a nemine videlicet Regibus Aragoniis de aſſerta Placiti prærogativa litem fuiſſe motam. Etenim Pius II. ante, & Innocentius VIII. poſt editam a Ferdinando I. *Pragmaticam*, nedum adverſus eam prærogativam litem moverunt, ſed, ut apparet ex prædictis ipſorum Conſtitutionibus, ad victoriam uſque proſequi enixe curarunt.

ARTICULUS XI.

Reſpondetur ad ea, quæ Anonymus ſubnectit, petita potiſſimum ex contentionibus de Regio Placito, quæ ſub S. Pio V. contigerunt.

Sic pergit Anonymus: „ Longa & faſtidioſa res foret „ hic referre poſteriores Romanæ Curiæ molitiones in id „ adnitentis, ut inconcuſſam hanc praxim indubiumque ſty„ lum amoveret, præſertim ſub Pii V. Pontificatu. Verum „ cum ea tempeſtate Dux Alcalæ fortunato Prorex Neapolis „ audiret, hic non tantum novit impavide, ſtrenueque in„ fringere eas molitiones, & illius Curiæ conatus reddere irri-

(1) *Conſtit. Innocentii VIII. quæ incipit:* Officii noſtri.

„ irritos, ſed ad firmius ſtabiliendum Placiti jus die 30. „ Auguſti anno 1561. *Pragmaticam* promulgari juſſit, qua „ decrevit, ne executioni mandarentur Bullæ, aut publi- „ carentur Reſcripta, Brevia aliæque Apoſtolicæ proviſio- „ nes ſine Regio exequendi Conceſſu; necnon ut illi, qui „ contra agere temere auderent, ſevere punirentur: & hu- „ juſmodi quidem *Pragmaticam* quotidie legimus in Vo- „ luminibus *Pragmaticarum* Regni *ſub tit. de Citationib.* „ *Prag. 5. ſub tit. 29.* impreſſam, cui celebres Regentes „ Villanus & Reverterius ſubſcripſerunt (1).

Reſpondeo. Perafranus Alcalæ Dux ac Prorex Neapolis ſane primus fuit, de quo certo affirmari poſſit, quod per dictam *Pragmaticam* omni ex parte injuſtam & temerariam quibuſcumque literis Apoſtolicis jugum Regii Placiti imponere auſus fuerit: ſed idem etiam primus extitit, qui ob eam cauſam excommunicationes *a Bulla in Cœna Domini* intentatas incurriſſe denunciatus eſt, ut refert Mombrinus Roſeus apud Laderchium (2). Quare de Cenſuris Eccleſiaſticis ſibi revera & valide inflictis certior factus a quibuſdam Theologis, qui ſuper ea re conventum habuerunt, inter quos fuit doctiſsimus Salmeronus, Puteolos ſecedens a Communione Fidelium ſe abſciſſum geſsit, quouſque S. Pii V. juſſu ab Epiſcopo Puteolano abſolutionis beneficium obtinuiſſet (3).

Non eſt hic prætereundum ſilentio, quod cum Thomas Urſinus Strungulenſis Epiſcopus in Regnum miſſus Apoſtolicus Viſitator a ſui muneris exercitio per laïcam poteſtatem impediretur, eo quia Regium Placitum omnino rejiceret; S. Pius V. hujuſce rei nuncio accepto, epiſtolas dedit ad Gaſparem Quirogam Regium Conſiliarium, qui Pontificios ſenſus Philippo II. tunc Hiſpaniarum Regi aperiret. In his autem S. Pii epiſtolis hæc inter alia leguntur: *Sane commoti fuimus, ubi hoc audivimus: nimis enim indignum nobis viſum eſt imminui tantopere hac in re jus, atque auctoritatem noſtram & Apoſtolicæ Sedis dignitatem in eo præſertim Regno, quod juris ipſius eſt, nec poſſe nos Eccleſiaſticas perſonas per*

eos,

(1) *Anonym. a pag. 34. ad 35.* (2) *Roſeus in Hiſt. Neap. apud Laderch. an. 1567. num. 66. pag. 334.* (3) *Idem ibidem.*

eos, quos miſimus viſitare, niſi hoc a miniſtris Regiis permittatur. Quod aliud non eſt, quam ſuperbe velle ei Sedi præſcribere, cujus præceptis & monitis, ſi Chriſtiani & Catholici ſunt, reverenter & humiliter parere debent. Concludit tandem: *Cujus* (Sedis Apoſtolicæ videlicet) *auctoritatem & jus Cenſuris Eccleſiaſticis tueri, ac defendere cogemur, ſi ejus injurias, quod credere non poſſumus, Rex negligeret* (1).

Interea cum Sanctiſsimus Pontifex forte animadverteret longius protrahi, quam par eſſet, Regium reſponſum, eidem Apoſtolico Viſitatori præcepit, ut ſine mora in Regno ſuum munus impleret. Quocirca Apoſtolicis ille juſsis obtemperans nedum luſtravit Calabriæ, Hydrunti, Bariique, ſed ipſius etiam Neapolis Eccleſias, ipſoſque Eccleſiaſticos viros, qui Proregi a Sacris erant, ſicuti & alios Archiepiſcopo ſubjectos, nulla Regii Placiti habita ratione, ſuæ juriſdictionis exercitio ſuppoſuit, quanquam illi immunitatem objicerent (2).

Quid ad hæc, aut ſimilia Prorex, quem veluti impavidum ſtrenuumque Regii Placiti propugnatorem adverſus Romanæ Curiæ molitiones non ſine ſcandalo Anonymus deprædicat? Quæ ſenſerit idem ipſe explicat in Literis, quas die 15. Maii anno 1568. ſcripſit ad Philippum Regem: *Benche alcuni*, inquit, *abbiano publicato & eſſeguito ſenza mia licenza, e ſenza ottenere l'*Exequatur *ſolito e conſueto, è ſtato neceſſario diſſimulare, finchè aveſſi riſpoſta e riſoluzione di ciò dalla Maeſtà Voſtra per non incorrere nelle Cenſure contenute nella detta Bolla* in Cœna Domini (3). In alia item epiſtola, quam anno 1569. ſequenti poſt habitam die 10. Junii cum Regiis Adminiſtris rerum optime conſciis conſultationem idem Prorex miſit ad eumdem Philippum Regem hæc leguntur: *E perchè io mi trovo già ſeſſantadue anni, e il Regente Villani ne ha finiti ſettanta, e il Regente Revertera poco meno, e potrebbe facilmente accadere morte ad alcuno, e non pare conveniente ſtare con queſto ſcrupolo, ſupplico la M. V., quanto umilmente poſſo, e con tutta la neceſſità, che la M. V. vede, che tengo io*,

(1) *Apud Laderch. ann.* 1567. *num.* 63. *pag.* 333. (2) *Gabutius in Vita S. Pii V. apud Laderch. ibid. num.* 65. *pag.* 334. (3) *Chioccar. Tom.* 4 *Tit.* 2. *de Bulla in* Cœna Domini.

io, e li detti Regenti, reſti ſervita pigliar ferma, e preſta riſoluzione in queſto; e perchè è negozio d'importanza, come la M. V. vede, acciò ſi poſſa vivere da Criſtiani, e ſtare coll' anime quiete, come per altre mie ne ho ſupplicato V. M. (1). Porro Regens Villanus paulo poſt graviter ægrotavit, & abſolutionis beneficium nonniſi jam morti proximus a Nuncio Apoſtolico obtinuit, accepta lege, ut ſi convaleſceret, a tractandis deinceps una cum Prorege juriſdictionis negotiis omnino abſtineret (2). Hæc omnia, quorum narrationem, uti rem longam & faſtidioſam omiſit Anonymus, nos paulo fuſius referre non piguit, ut clare appareat, quomodo ſub Pontificatu S. Pii V. Regii Placiti negotium ſe habuerit.

Jam itaque vides qua animi conſtantia Proregi Regio exequendi Conceſſui literas omnes Apoſtolicas, lege lata, temere ſubjicere molienti Sanctiſſimus Pontifex obſtiterit, & in ipſam Placiti praxim ac ſtylum non veluti in rem inconcuſſam & indubiam, ſed tanquam in abuſum tunc primum erumpentem, vel certe non adhuc vigentem inſurrexerit. Vides non Romanæ Curiæ adverſus Regium Placitum, ſed Neapolitanæ pro eodem Placito molitiones infractas; non S. Pii V., ſed Proregis conatus inanes redditos; non qui contra *Pragmaticam* egerunt, pœnis in ea ſtatutis fuiſſe plexos, ſed ipſum, qui *Pragmaticam* edidit, Proregem & Regentes Villanum ac Reverterium, qui eidem ſubſcripſerunt, pœnæ anathematis fuiſſe ſuppoſitos; ac tandem cum Proregem, tum eoſdem Regentes agitatos conſcientiæ ſtimulis (quos recentiores Neapolitanæ Curiæ Adminiſtri malo ſuo exuerunt) ſano conſilio extimuiſſe Cenſuras in *Bulla Cœnæ* contentas, nec ullatenus dubitaſſe, quin hæc eadem Bulla in Regno recepta fuerit, ibique robur ſuum obtineret. Quia vero de Bulla Cœnæ ſermo rediit, obſerva obiter hanc propoſitionem: *Bulla, quæ promulgatur in Cœna Domini non eſt in Belgio uſu recepta juxta probabilem opinionem*: tanquam *falſam, temerariam, erroneam, auctoritati Summi Pontificis injurioſam & ſternentem viam ad ſchiſma* anno 1657., die 20. Septembris Sacræ Roma-

(1) *Idem ibid.* (2) *Jannon. Hiſt. Civil. Tom.4. lib.33. cap.4.*

manæ Inquiſitionis decreto fuiſſe damnatam (1). Hoc additum ſit in gratiam Anonymi, ut nimirum hinc argumentetur, quibus Cenſuris inuri mereatur ea ipſius propoſitio, qua eamdem Bullam Cœnæ Dominicæ in Regno Neapolis non eſſe uſui receptam abſolute pronunciat (2). Nos interim eamdem Bullam in Voluminibus Bullarum Romanorum Pontificum editam & ſacris pœnitentiæ Tribunalibus affixam legere non omittemus, dum Anonymus, Regiique Adminiſtri eam Ducis Alcalæ *Pragmaticam* legere quotidie pergunt in *Pragmaticarum* Regni Voluminibus: ac demum quouſque illi *Pragmaticas* opponent, nos cum Patribus Concilii Chalcedonenſis illud uſurpabimus: REGULÆ SS. PATRUM TENEANT, CESSANTIBUS OMNIBUS PRAGMATICIS. UNIVERSA PRAGMATICA CESSABUNT: REGULÆ TENEANT (3). Quod quidem Oecumenicæ Synodi Decretum anno 454. Marcianus Imperator Edicto ſuo confirmavit (4).

Pergit Anonymus: „ Atque adnotandum eſt, quod
„ idem Prorex anno 1566. varias promulgaverit juſſiones,
„ ut ea *Pragmatica* exacte obſervaretur, mittens idcirco lite-
„ ras ad omnes Regni Archiepiſcopos, inter quos Beneven-
„ tani ipſius Antiſtitis non fuit immemor, ſicut manifeſtum
„ eſt ex epiſtola relata à Chioccarello citato loco (5).

Reſpondeo non eſſe mirum, quod Alcalæ Dux ac Prorex Neapolis, qui omnes prorſus literas Apoſtolicas ſua *Pragmatica* complecti primus auſus eſt, ad omnes Regni Archiepiſcopos, Beneventano ne quidem excepto, ſuas de ea re juſſiones direxerit. Certiſſimum tamen eſt nec *Pragmaticæ*, nec ſuperinductarum pro ejus obſervantia juſſionum ullam unquam rationem fuiſſe habitam a Beneventanis Archiepiſcopis, qui ſemper in ampliſſima Archidiœceſi Romana decreta ſine Regio Placito executioni mandarunt. Ipſe vero Prorex propter procuratam *Pragmaticæ* obſervantiam ſe una cum antedictis Regentibus excommunicationis vinculo adſtrictum merito reputavit; & facti pœnitens Apoſtolicas literas nedum in

(1) *Albit. de Inconſt. in Fide part.* 1. *cap.* 30. *num.* 413. (2) *Anonym. pag.* 30. (3) *Action* .4. *Concil. Chalced. in Tom.*4.*Concil. noviſſ. edit. Venet. col.* 1439. & 1442. (4) *L.* Privilegia XII. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* (5) *Anonym. pag.*35.

Beneventana, ſed & in Regni Archidiœceſibus abſque Regio exequendi Conceſſu promulgari permiſit, ſicut ſupra relatæ ejus ad Philippum II. Epiſtolæ aperte teſtantur.

Subdit Anonymus „ Subinde retento a Curia Neapoli„ tana principio de Regii Placiti neceſſitate, abdhibitis e „ contra a Curia Romana artibus ac induſtriis ad idem Placi„ tum evitandum, utrinque fuiſſe certatum; quouſque ven„ tum tandem fuerit ad Carolum VI. „ cujus ſeveriores & rigidiores, uti vocat, pro Regio Placito juſſiones ipſemet rurſus inculcat (1).

Reſpondeo. Quicquid de hoc ſit, retinuerit necne videlicet Curia Neapolitana poſt tot contrarios Pii V. Sanctiſſimi Pontificis conatus aſſertum principium, de eodem quid ſentiendum ſit, ſatis ex dictis conſtat. Verum cum illud idem principium ante ſcriptas a Carolo VI. de Regio Placito literas non ſemel ſuccubuiſſe Curiæ Romanæ aggreſſionibus Anonymus fateatur (2), non eſt cur ipſe toties jactet inconcuſſam & indubiam ejuſdem Placiti praxim, quam Romanæ Curiæ artibus ac induſtriis pluries novit fuiſſe dejectam, aut ſaltem interruptam; niſi forte putet poſſe ſuimet verbis id effici inconcuſſum, quod aliena facta non ſemel concuſſerunt. Hæc nimirum ea indubia & immota Regii Placiti praxis eſt, quam veluti validiſſimum argumentum ille adducit, ut Regiæ de eodem Placito legi juſtitiam conciliet. Denique qualiſcumque modo ſit in Regno Neapolis eadem praxis; cum Sedis Apoſtolicæ auctoritati & legibus adverſetur, nec ullo ſolidæ rationis fundamento innitatur, in ipſam profecto congruit illa ſententia Conſtantini ad Proculum: *Conſuetudinis uſuſque longævi non vilis auctoritas eſt:* VERUM NON USQUE ADEO SUI VALITURA MOMENTO, UT AUT RATIONEM VINCAT, AUT LEGEM (3).

Unum illud hic addere liceat, & quidem in re præſenti, maximi ponderis, nullibi ſcilicet Placiti abuſum tantum mereri vituperationis, quantum in Neapolis Regno. Cum enim illud jure fiduciario conceſſum a Sede Apoſtolica accipiunt, juramenti religione interpoſita, ſe obſtringunt Reges ad ob-

(1) *Anonym. pag.35.* (2) *Anonym. pag.32.35.39.* (3) *Lib.8. Cod. tit.53. L.II.*

obſervandam Conſtitutionem Julii II. *Et quaſcumque alias conditiones* (jurisjurandi verba ſunt) *in literis fel. record. Papæ Julii II. ſuper ipſius Regni & Terrarum infeudatione & inveſtitura confectis contentas , ac omnia & ſingula , quæ in eis continentur , plenarie adimplebit* (Rex) *& inviolabiliter obſervabit & nullo unquam tempore veniet contra ea &c.* Atqui in Conſtitutione qua Julius II. Ferdinando agnomine Catholico Regnum Neapolis tributarium conceſſit , hæc verba leguntur , in quæ ipſemet Ferdinandus, & deinde ejus ſemper jurarunt in eodem Regno ſucceſſores : *Salva Romani Pontificis & Apoſtolicæ Sedis auctoritate , & juriſdictione plenaria & libera poteſtate circa Eccleſias & alias regulares & ſæculares perſonas & alia Eccleſiaſtica , tam in faciendis proviſionibus , & electionibus confirmandis , quam quibuſcumque aliis conceſſionibus & gratiis & ſuper iis conficiendis literis Apoſtolicis , quas ,* CESSANTE OMNI IMPEDIMENTO , PER EOS , SEU OFFICIALES ET SUBDITOS SUOS PRÆSTANDO, PERMITTENT LIBERE ET ABSOLUTE EXECUTIONI DEBITÆ DEMANDARI ; QUINIMO PRÆSTANTES IMPEDIMENTUM , AUT RENITENTES ET INOBEDIENTES COMPRIMENT ET PUNIENT , ET AD OBEDIENTIAM ET REVERENTIAM LITERIS APOSTOLICIS EXHIBENDAM COMPELLENT ET CONSTRINGENT;ET REQUISITI MANU MILITARI,PROUT LITERARUM EXECUTORI , JUDICI , SEU NUNCIO VIDEBITUR , ADSISTENT REMEDIIS OPPORTUNIS &c. Ponderet nunc Anonymus , ponderent Regii Conſiliarii & Adminiſtri quomodo ſolemne adeo & præclarum Juramentum cum jactata Regii Placiti neceſſitate ejuſque praxi conſiſtere poſſit .

Digitized by Google

ARTICULUS XII.

Impugnatur ſpecialius Lex de Regio Placito, hujuſque praxis, quatenus reſpiciunt literas Apoſtolicas ad rem Beneficiariam pertinentes.

QUanquam ex iis, quæ hucuſque adverſus Regii Placiti abuſum & latam nuper pro ipſius firmitate legem generatim diſſeruimus, facile appareat, quid ſentiendum ſit de eodem abuſu & lege illum firmante quoad literas Apoſtolicas ad rem Beneficiariam ſpectantes; attamen quia Anonymus ſui inſtituti memor, ea ipſa lege aſſerit ſpeciatim eſſe firmatam neceſſitatem Placiti apponendi literis Apoſtolicis, per quas Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, necnon cæteræ Eccleſiaſticæ dignitates & Beneficia Regni diſtribuuntur(1), idcirco contra hanc ipſam aſſertionem jam a nobis eſt peculiarius diſſerendum.

Et quidem quod omnia totius Catholicæ Eccleſiæ Beneficia ſpectent ad Pontificem Maximum, tanquam ad præcipuum & ſupremum rerum Eccleſiaſticarum Dominum, aut certe Adminiſtratorem atque Diſpenſatorem, docent apertis ac repetitis vocibus ſacri Canones, quibus & Conditorum poteſtas, temporis & praxis antiquitas, necnon Scriptorum conſenſio & ratio ipſa intulit reverentiam. Nihil proinde eſt, quod jure in contrarium poſſit opponi, niſi quod viris contenſioſis & dicacibus nunquam deficit ratio diſquirendi nodum in ſcirpo, quia nunquam eis deeſt pervicacia, qua etiam res certiſſimas & inconcuſſas in dubium revocare, & dubias, immo falſiſſimas, tanquam manifeſtas & inconcuſſas jactare audeant; quod Anonymo noſtro ſolemne eſſe jam vidimus.

Præſtat itaque audire Clementem V. in Concilio Viennenſi Oecumenico tercentorum Patrum ita decernentem: *Ad quem* (nimirum Romanum Pontificem) *Eccleſiarum, Perſonatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum plena & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſci-*

(1) *Anonym. pag.* 3. 4. 32.

Digitized by Google

ſcitur pertinere (1). Hoc vero Decretum antea a Clemente IV. iiſdem pene verbis (2), & a Bonifacio VIII. (3), nec non poſtremo a Clemente VI. (4), & Eugenio IV. inculcatum (5) praxis pervetuſta anteceſſit. Siquidem Liberius Papa, ſeu Lucifer Calaritanus ejus Legatus Paulinum Beneficio Patriarchali Antiochenæ Eccleſiæ decoravit (6): Agapitus Romanus Pontifex, depoſito Anthimo Epiſcopo Conſtantinopoleos, eam Sedem Mennæ Alexandrino conceſſit (7): S. Martinus I. Joannem Epiſcopum Philadelphiæ Vicarium ſuum deſignavit, ut in Eccleſiis Antiocheni & Hieroſolymitani Patriarchatus Monothelitarum hæreſi infectis (quarum Paſtores opera Stephani Dolorenſis Vicarii quoque ſui jam exauctoraverat) novos Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos conſtitueret, ac utique ut pariter Beneficia eorum Ordini reſpondentia conferret. *Ea*, inquit Martinus in Epiſtola ad eumdem Joannem, *quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per omnium civitatum Eccleſias, quæ Sedi tam Hieroſolymitanæ, quam Antiochenæ ſubſunt, Epiſcopos & Presbyteros & Diaconos: hoc tibi omnimodo facere præcipientibus nobis ex Apoſtolica auctoritate, quæ data eſt nobis a Domino per Petrum Sanctiſſimum & Principem Apoſtolorum* (8).

Divinam hanc ſupremam ac pleniſſimam diſponendi de Eccleſiaſticis quibuſcumque Dignitatibus, ac Beneficiis poteſtatem in Romano Pontifice agnovit Petrus de Alliaco: *Papa*, inquit, *habet plenariam diſpenſationem omnium bonorum & beneficiorum, & non dominium* (9). Hanc agnovit Doctor Angelicus: *Res Eccleſiæ*, ait, *ſunt Papæ ut principalis diſponentis, non tamen ſunt ejus, ut Domini & poſſeſſoris* (10): Hanc agnovit tota Gallia in Comitiis Aurilianenſibus, ut conſtat ex Oratione Ferrerii Præſidis Pium IV. ſic alloquentis: *Cum hæc dicuntur in Conventibus, proteſtatur Gallia nolle honori, dignitati, & auctoritati hujus ſanctiſſimæ Sedis derogare, & ab ea obſervantia & obſequio, quod ſemper majores Sedi*

(1) *Clement. I.* Ut lite pendente *tit.* V. (2) *Cap.* Licet II. *de Præben. in* 6. (3) *Apud Raynald. an.* 1303. *n.* 34. (4) *Apud eumdem an.* 1344. *nu.* 58. (5) *Apud eumdem an.* 1440. *num.* 3. (6) *Ruffin. Hiſt. lib.* 10. *cap.* 27. (7) *Liberat. Breviar. cap.* 21. (8) *Martinus I. Epiſt.* 5. (9) *Tract. de Eccl. Concil. Gen. Rom. Pont. &c. Auct. par.* 2. *cap.* I. (10) 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. *ad* 7.

Digitized by Google

Sedi Apoſtolicæ præſtiterunt, diſcedere, aut ampliſſimam Romani Pontificis auctoritatem tum in conferendis totius Eccleſiæ Beneficiis, tum in diſpenſandis Eccleſiæ bonis & reditibus in dubium revocare (1).

Adſtipulatur ratio, tum deſumpta ex dominio bonorum Eccleſiaſticorum, quæ, utpote Deo oblata, ſpeciali ratione Chriſti bona ſunt, ut Theologi docent & utriuſque Juris Doctores; quare ab eo diſpenſari debent, qui Chriſti vices in terris gerit, quem & conſtituit Dominum ſuper familiam ſuam univerſam: tum alia ratio deprompta ex juriſdictiune Summi Pontificis, quæ non minus late patet, quam totus Chriſtianus Orbis, *Non enim pars una, ſed totus potius Orbis eſt veſtra Diœceſis*, inquiunt Carthuſiani Monachi in literis ad Innocentium II. datis, & anno 1131. in Concilio Remenſi perlectis. Item Petrus Rebuffus Gallus Doctor ita ſcripſit: „ Papa jure „ præventionis omnia Beneficia poteſt conferre, cum totus „ Mundus ſit Diœceſis Papæ. Cap. Cuncta per Mundum, & „ Cap. per Principalem 9. quæſt. 3. Unde non eſt mirum, ſi „ in ſua Diœceſi & ſic per totum Mundum conferre poſſit (2).

Jam vero ſi literæ Apoſtolicæ ad Epiſcopatuum, Archiepiſcopatuum, aliorumque Beneficiorum diſtributionem ſpectantes in Regno Neapolis a Regio Placito, a Conſilii Collateralis examine & arbitrio ita pendent, ut ſine his executioni tradi nequeant, quomodo ibi *Ad Romanum Pontificem Beneficiorum Eccleſiaſticorum plena & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere*, ut decernit Clemens V. in Concilio Viennenſi Oecumenico? Quomodo non revocetur in dubium aſſerta vel a tota Gallia ampliſſima Romani Pontificis auctoritas *In conferendis totius Eccleſiæ Beneficiis, quæ*, ut ait S. Martinus I. *data eſt ei a Domino per Petrum Sanctiſſimum & Principem Apoſtolorum*? Nunquid poteſtatis plenitudo & ampliſſima auctoritas ea vere dici poteſt, quæ in ſui exercitio alteri ſubeſt, vel ab alia poteſtate & auctoritate dependet? Diſceditur etiam in eodem Regno per Regii Placiti abuſum ac Legem illum confirmantem ab illa venerandæ antiqui-

(1) *Apud Antonium Charlas de Libert, Eccl. Gallic. tom. 2. cap. 20. n.32.* (2) *Rebuff. de Concordat. tit. de Mand. Apoſtol. 9. Primus V.* gravare.

tiquitatis praxi, qua a Romano Pontifice conſtituti Epiſcopi non ſolum Occidentalium, ſed etiam Orientalium Eccleſiarum ſine ullo ſive Regio, ſive Cæſareo Placito poſſeſſionem olim adibant; nec ibi Chriſto tanquam bonorum Eccleſiaſticorum ſpeciali ratione Domino, Summo autem Pontifici ejus in terris Vicario, tanquam principali bonorum Eccleſiæ & Beneficiorum omnium Diſpenſatori ac Ordinatori ſupremo debitum exhibetur obſequium, ubi ſupra Eccleſiaſticas ipſius diſtributiones, & Beneficiarias diſpenſationes arbitri ac Judices, & hi quidem laici, ſæculari auctoritate conſtituuntur.

Quod ſane quantum a recta ratione aliunde aberret, ab unoquoque rerum humanarum non omnino ignaro facile cognoſci poteſt. Etenim ſi Reges, quatenus ſupremi publicorum onerum Diſtributores ſunt, decet Præſides & Duces deligere, eoſque libere in provincias & in hoſtes mittere; cur Romano Pontifici, tanquam Beneficiorum Eccleſiaſticorum Diſpenſatori ſummo, non liceat a ſe delectos Epiſcopos, Archiepiſcopos alioſque ſacros Adminiſtros libere mittere in commiſſas ipſis Eccleſias? Porro ex iſtorum virtute & libera miſſione in Diœceſes non minus Eccleſiæ diſciplina & Fidelium cura, quam ex illorum delectu & libera in provincias vel in hoſtes miſſione populorum regimen & victoriæ ex hoſtibus dependent. Quare non minus abſurdum eſt dicere, Regiæ poteſtatis officium eſſe deſignatis a Summo Pontifice Eccleſiarum Præſulibus concedere, aut denegare (quæ Regii Placiti vis eſt) ipſarum Eccleſiarum poſſeſſionem; quam aſſerere ad Pontificiam auctoritatem id ſpectare, ut delectis a Regibus provinciarum & exercituum Præfectis aditum ad eaſdem Præfecturas arbitratu ſuo vel aperiat, vel intercludat.

Præterea ſi quilibet Regni Neapolitani Epiſcopus ex quo in eo Regno receptus eſt, juriſdictionem ſuam in diſtribuendis ſuæ Diœceſis Beneficiis ita exercere permittitur, ut qui eadem Beneficia accipiunt, a Regii Placiti jugo ſint prorſus immunes, cur non liceat Romano Pontifici, ex quo ut talis in eodemmet Regno agnitus eſt, ita exercere juriſdictionem ſuam in conferendis Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus, ut qui Epiſcopi & Archiepiſcopi ab ipſomet inſtituti ſunt, Re-

gio

gio Placito non indigeant? Profecto putandus non eſt minus auctoritatis & juriſdictionis obtinere Pontifex Maximus in illo Regno, quod ipſius Diœceſis per totum Chriſtianum Orbem diffuſæ pars eſt, quam ſinguli ejuſdem Regni Epiſcopi & Archiepiſcopi in ſuis Diœceſibus obtineant.

In Gallia, necnon aliis quibuſdam Catholicis Regionibus literas Apoſtolicas ad Beneficia pertinentes a Regii Placiti ſervitute liberas eſſe ſupra adnotavimus; quare cum eidem Placito eæ literæ ſubjiciantur in Regno Neapolis, Honorii III. verba uſurpare Summus Pontifex, atque ita conqueri jure poteſt: *Quid enim? Non obtinebimus eam juriſdictionem, vel poteſtatem in Regno Neapolis, quam in Franciæ & in aliis Chriſtianorum Regnis noſcimur obtinere? Nunquid in Regno Neapolis minus auctoritatis habebimus, quam in eo tanquam Sedis Apoſtolicæ patrimonio plus juris & juriſdictionis habemus* (1)?

Hinc quoad Regni Neapolitani Beneficia hoc etiam peculiare eſt, quod Romani Pontifices in literis, quibus Regnum illud Andegavenſibus & Aragoniis Principibus jure fiduciario conceſſerunt, Libertati Eccleſiaſticæ IN OMNIBUS, præſertim vero in Epiſcopatuum aliorumque Beneficiorum diſtributionibus ſemper cautum eſſe voluerunt; ut ex clauſula, *Omnes inſuper Eccleſiæ &c.* literis illis inſerta facile intelligi poteſt (2). Ferdinandus inſuper Catholicus, ejuſque e ſtirpe Auſtriaca ſucceſſores, ſicut ſuperius animadvertimus, juramento ſpoponderunt permiſſuros ſe & effecturos, ut literæ omnes Apoſtolicæ, eæ præſertim, quæ rem Beneficiariam reſpiciunt, CESSANTE OMNI IMPEDIMENTO, LIBERE ET ABSOLUTE executioni mandarentur.

Concludendum itaque eſt Regiam legem, quæ literas Apoſtolicas, ad Epiſcopatuum, Archiepiſcopatuum, aliorumque Regni Neapolitani Beneficiorum diſtributionem pertinentes Regio Placito ſubjicit, nullius prorſus roboris eſſe; utpote quæ Summorum Pontificum decretis, praxi antiquitatis, Theologorum conſenſui, rationi ipſi & pactis juramento firmatis adverſatur.

A R-

(1) *Apud Raynal. an.* 1223. *n.* 17. (2) *Apud Raynald. an.* 1256. *n.* 19. & 1445. *n.* 8.

ARTICULUS XIII.

Confutantur ea, quæ ex hucuſque a ſe de Regio Placito diſputatis infert Anonymus.

DEmonſtrare, quod Archiepiſcopatus Beneventanus Regio Placito ſubjiciatur, hoc Anonymo propoſitum fuit. Unde allatis in eum finem rationibus, quas jam diluimus, & denuo Regiis de ea re juſſionibus inculcatis, de quibus pariter egimus, tandem concludit: „ Non eſſe a lege Placiti „ ſubducendum Archiepiſcopum Beneventanum: Huic enim „ ampliſsimam in mediis Regni viſceribus juriſdictionem „ exercenti magis profecto, quam aliis anguſtioris in eodem „ Regno juriſdictionis Præſulibus convenire Legis finem; „ ne quis nimirum extraneus, minuſve Principi devotus ad „ exercendam in Regno juriſdictionem inſiliat (1). Quid, „ inquit, iſthic intereſt, quod Civitas, in qua Beneventani „ Præſulis Sedes poſita eſt, non noſtri Principis, ſed alterius „ imperio pareat? Si illius Præſulis juriſdictio unius Bene„ ventanæ urbis anguſtiis contineretur, nemini curæ eſſet „ inquirere aut ſcire, num extraneus, an civis, ſubditus, an „ non ſubditus, bene vel male affectus foret Antiſtes; nec „ quiſquam ejus ſe rebus implicaret: ſicuti Imperatori, Hi„ ſpaniarum, Galliarumque Regibus, aliiſque Summis Eu„ ropæ Principibus nihil intereſſet admitti ad ea, quæ de ele„ ctione Romani Pontificis habentur conſilia, ſi ejus juriſ„ dictio ſolius Romani Epiſcopatus limitibus concluderetur. „ Verum quia in ipſius perſona Romani Epiſcopi & Ponti„ ficis Maximi privilegia ſpectanda ſunt; atque intuitu *Papa„ tus* ejus juriſdictio in illorum etiam ditiones protenditur: „ hinc ſumma ratione prædicti Principes ad eorumdem con„ ſiliorum participationem admiſſi ſunt; & qui inter ipſos „ Potentiores habentur, acquiſiverunt etiam jus repulſæ in „ caſu, quo quis proponeretur in Summum Pontificem eli„ gendus, qui ipſis odioſus foret & inimicus. Hæc Anony„ mus (2).

(1) *Anonym. a pag. 35. ad 36.* (2) *Pag. 35.*

Cum vero nos latam de Regio Placito legem undequaque inanem & nullam eſſe jam oſtenderimus, inania pariter & nulla eſſe conſtat, quæ hic ex falſo ſuppoſitis vi & poteſtate, necnon ex emendicato fine ejuſdem Legis inferuntur. Quinimmo liquet vere poſſe concludi, quod ſi legi Regii Placiti nulla vis eſt reſpectu Archiepiſcopatuum, quorum Sedes in ditione Regia collocantur, tanto minus eidem Legi vis ineſſe poteſt reſpectu Beneventani Archiepiſcopatus licet ampliſſimi, cum hujus Sedes in ditione temporali Romani Pontificis erecta conſpiciatur (1).

Nec quilibet etiam prudens & proximus metus, (qui cæteroquin deeſt in caſu noſtro) ne quis ſive Epiſcopus, ſive Archiepiſcopus Regi ſuſpectus & odioſus ad exercendam in Regno juriſdictionem immittatur, legitima cauſa eſt, ut omnes cum Epiſcopi, tum Archiepiſcopi Regio Placito ſubdantur: ſed ſi caſus accidat, quo quis Regi probabili ratione ſuſpectus, electus ſit vel conſtitutus Epiſcopus ſeu Archiepiſcopus, Canonica via incedendum eſt, preces nimirum Pontifici Maximo porrigendæ, ut alium Epiſcopum vel Archiepiſcopum eligere aut conſtituere non dedignetur a ſuſpicionis nota immunem: quam quidem viam olim a Neapolitanis Regibus in ſimilibus caſibus fuiſſe initam alibi obſervavimus.

Quod autem Magni Europæ Principes conſiliorum participes efficiantur, quæ ante electionem Romani Pontificis haberi ſolent; & quod qui ſunt inter ipſos Potentiores a Petri Cathedra excluſum aliquando velint, quem forte ſibi ipſis exoſum & infenſum noverint; nec illud ſummæ rationi, nec iſtud juri acquiſito, niſi per ſummam & impudentiam & injuriam adſcribi poteſt, cum utrumque tribuendum ſit patientiæ, ac indulgentiæ, qua propter prudentem quamdam Oeconomiam in re tanti ponderis pro bono pacis utuntur Eminentiſſimi Electores. Quamobrem ſi Catholici Principes a conſuetis de Pontificia electione tractationibus penitus arcerentur; immo ſi quis in Romanum Pontificem eligeretur, qui ab aliquo ex Potentioribus fuiſſet excluſus, nihilominus æque validam ac legitimam fore electionem nemo negat Catholicus Scriptor:

(1) *Vide infra Art. XV.*

ptor: ſiquidem omnes norunt ab ipſiſmet Summis Pontificibus jamdudum fuiſſe ſtatutum, ut a ſolis S. R. E. Cardinalium in Conclavi recluſorum ſuffragiis valida ac legitima Romani Antiſtitis pendeat electio.

ARTICULUS XIV.

Refelluntur quæ Anonymus ſubnectit, petita ex multiplici ampliſſimaque juriſdictione Beneventani Præſulis.

Recenſet ſubinde Anonymus varia capita juriſdictionis, quam in ampliſſima Archidiœceſi Archiepiſcopus Beneventanus, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegatus exercere conſuevit; additque innumeras pene eſſe delegationes Cardinali Urſino ab Urbe miſſas, eaſque omnes ab eodem abſoluto imperio in omnibus & ſingulis Diœceſibus ampliſſimæ Metropoleos fuiſſe executioni mandatas, ut videre eſt apud Ughellum in noviſſimis Additionibus ſuper Archiepiſcopos Beneventanos. Poſt hæc iterum hoc pacto concludit: „ Itane igitur unus nunc Præſul, qui tantam & adeo amplam „ in Regno juriſdictionem adminiſtraturus accedit, forinſe„ cus mitti, Regnum ipſum ingredi, in eoque eam juriſdi„ ctionem exercere permittendus erit, Regni Monarcha „ Dominoque inconſulto ac inſcio, atque erit recipiendus „ quicumque ille ſit, ſubditus, aut non ſubditus, odioſus, „ aut non odioſus, bene vel male affectus erga Principem, „ cujus domum advenit tantum poteſtatis exerciturus, atque „ auctoritatis? Vel in parvis Epiſcopatibus ad Regni & „ Eccleſiaſticæ ditionis confinia poſitis id more receptum eſt, „ ut qui exiguam aliquam ſuæ Diœceſis partem intra Regni „ fines conſtitutam obtinet, *Regium permiſſum* pro exercen„ da ibi juriſdictione petat, qui poſcentibus Epiſcopis con„ ſuetis formulis conceditur, ſicut publica Regeſta num. v. „ adnotata teſtantur. Quanquam de hoc, veluti de re mi„ nima, non admodum curandum eſſet; nam, cum pariter „ quis finitimus Regni Epiſcopus parvam aliquam ſuæ Diœ-

„ ceſis partem intra Romanæ ditionis confinia ſitam habeat,
„ illud uſurpari utrinque poſſet:
„ *Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim* (1).

Hæc, quæ ab Anonymo ſcripta modo retulimus, cum ex fucato fine latæ de Regio Placito legis procedant, omni deſtituta fundamento ex ſeipſis corruere non difficulter perſpiciet, quiſquis ea ponderaverit, quæ adverſus eamdem legem, ejuſque fines jam congeſſimus. Quare tantum abeſt, quod ab ampliſſima Archiepiſcopi Beneventani juriſdictione deſumpta & inculcata ratio Regio Placito juſtitiæ aliquid, aut æquitatis conciliet, ut potius eo latius nova extendatur injuria, quæ per ipſius Placiti abuſum inferri præſumitur, quo latius ejuſdem Præſulis juriſdictio diſtenditur.

Quod autem Cardinalis Urſinus, (qui cum propter cæteras, & quidem præclariſſimas ejus virtutes, tum propter ardens Libertatis Eccleſiaſticæ propugnandæ ſtudium, ad Summi Pontificatus apicem fuit poſtmodum evectus) innumera pene Mandata & Romana Decreta ad ſe miſſa, tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegatus, in cunctis ampliſsimæ ſuæ Metropoleos Paræciis abſoluto imperio fuerit executus, id ut novum argumentum ab ipſomet Anonymo ſuppeditatum libenter accipimus, quo palam oſtenditur, quam fidem toties de inconcuſſa, indubiaque Regii Placiti praxi jactata aſſertio mereatur.

Illud vero, quod idem Anonymus tota orationis contentione effert „ Non eſſe nimirum permittendum, ut Archie-
„ piſcopus Beneventanus in Regnum mittatur, ibique reci-
„ piatur, quiſquis ille ſit, inconſulto inſcioque Principe,
„ cujus domum advenit tantum poteſtatis exerciturus &
„ auctoritatis, ex erroneo principio proficiſcitur, videlicet, quod Romani Pontificis mittentis, & miſſi Archiepiſcopi extranea ſit in Beneventana Metropoli juriſdictio. Sciat itaque Anonymus idem Neapolis Regnum, diverſa tamen ratione, & Principis ſui domum eſſe (ut ipſius verbis utar) & Summi Pontificis; Principis quidem ſui, quatenus ab hominibus inhabitatur, qui per leges politicas ad finem naturalem, ad civilem ſcilicet felicitatem dirigendi ſunt; Romani vero Ponti-

(1) *Anonym. a pag. 36. ad 37.*

tificis domum eſſe, quatenus ab iiſdem Chriſtianis hominibus incolitur per divinas & Eccleſiaſticas leges dirigendis ad finem ſupernaturalem, ideſt ad ſupernam felicitatem. Hac autem ratione ſingulæ Regni Diœceſes & Metropoles propriæ ſuorum Epiſcoporum & Archiepiſcoporum domus pariter cenſendæ ſunt, in quibus proinde ipſi per Romanorum Pontificum & Conciliorum Decreta perpetuo reſidere jubentur. Hinc ſicut qui legitimus eſt Rex Neapolis conſtitutus, libere Regnum ſuum adire, illud ingredi, ibique veluti in propria domo, Summo Pontifice ſacriſque Præſulibus inconſultis, juriſdictionem ſibi congruentem libere omnino exercere valet in iis, quæ ad temporale Populorum regimen ſpectant; ſic Summus Pontifex in eodem Regno, veluti in propria domo, nec non Epiſcopi & Archiepiſcopi in ſuis ibi collocatis Diœceſibus & Archidiœceſibus, quas libere adire permittendi ſunt, veluti in propriis domibus juriſdictionem ſibiipſis convenientem, inconſulto Rege inſcioque, libere exercere poſſunt quantum ad ea, quæ pertinent ad regimen ſpirituale Fidelium. Quamobrem Anonymo admiranti & conquerenti, quod Archiepiſcopus Beneventanus a Summo Pontifice in amplisſimam Archidiœceſim miſſus, ſine conſueta forma Regii exequendi Conceſſus, ejuſdem Archidiœceſis poſſeſsionem adierit, ac ſolis munitus literis Apoſtolicis juriſdictionem ibi ſuam exercuerit (1), reducere in mentem poſſumus, quod olim Friderico II. Imperatori & Regi Neapolis lamentanti quoſdam Clericos ſine forma Regii Aſſenſus Regni Eccleſiis fuiſſe præfectos, Honorius III. reſpondit: *Aſſeris nos præter formam communiter requiſitam, te inconſulto, quibuſdam Eccleſiis Regni vacantibus præfeciſſe perſonas. Sed quæ ſit illa forma neſcimus, quæ pro certo nimis eſſet informis, per quam Apoſtolicæ Sedis judicium ex tuæ voluntatis arbitrio dependeret &c. Non tamen intendimus promovere ſuſpectos, dummodo non ultra notam ſuſpicionis extendas, quam rationis tramites patiantur* (2).

Præterea obſervandum obiter eſt, vel inter ipſos Neapolitanos Doctores non defuiſſe, qui docuerint „ Neminem du-

(1) *Anonym. pag.6, & 37.* (2) *Apud Raynal. an.1226. num.8.*

„ dubitare, quin Papa, ratione directi dominii, quod habet in Regno Neapolis, poſſit condere Leges & Conſtitutiones, etiam contra Conſtitutiones ipſius Regis, in his, quæ ſunt juris poſitivi; quia habet liberam poteſtatem diſponendi (1). „ Nec ſuo caret hæc ſententia fundamento. Siquidem Honorius IV., ut cætera omittam, re ipſa prolixam edidit Conſtitutionem, in qua de novo pecuniæ genere a Rege conflando, de ſubſidiario ære colligendo, de homicidiis clandeſtinis mulctandis, de navibus ſumptu Regio conſtruendis, de Caſtris publica impenſa inſtaurandis, nec non de rebus aliis alia edixit idem Honorius ad felicem Regni gubernationem opportuna, quæ Reges dum inaugurarentur, ſe fideliter obſervaturos ſponderent (2). Quæ Apoſtolica Conſtitutio non ſolum in Regeſto Vaticano aſſervatur, ſed in antiquo etiam formularum Regeſto ſcrinii Neapolitani eadem Capitula extant, ut teſtatur Raynaldus, hoc præfixo titulo: CAPITULA EDITA PER DOMINUM PAPAM PRO BONO STATU REGNI (3). Hujuſmodi autem Conſtitutionem & Capitula ſtatim publicari juſſit Robertus Comes Atrebatenſis gerens tunc temporis vices Caroli II. Andegavenſis (4): & quanquam eamdem Conſtitutionem poſtmodum ſuſpenderit (quoad ſolas tamen pœnas in ipſa contentas) idem Pontifex (5), nihilominus tanquam lex Regni a Scriptoribus Neapolitanis frequentiſſime citatur, ſi eidem Raynaldo fides (6). Cur igitur Romano Pontifici modo non liceat ſine Regio Placito exercere ſpiritualem & Eccleſiaſticam juriſdictionem in eo Regno, in quo uti in Sedis Apoſtolicæ patrimonio libere & abſolute temporalem etiam & politicam juriſdictionem quondam exercuit? Exinde quoque inferas Neapolis Regem perperam ab Anonymo dici *Monarcham* (7): non enim, ſi ſtricta ejus vocabuli ſignificatio retineatur, is *Monarcha* Regni, ideſt ſolus Princeps Regni dicendus eſt (8), qui ab alio Prin-

(1) *Afflictus apud Martam de Juriſd. part.* 1. *cap.* 28. *num.* 10. (2) *Honorius IV. apud Raynal. an.*1285. *num.*32. 35. 36. 37. (3) *Idem ibid. num.*52. (4) *Idem ibid. num.* 53. 54. 55. (5) *Idem ibidem num.* 56. (6) *Idem ibid. num.* 52. (7) *Anonym. pag.* 37. (8) *Vide Du Mortier Ethymol. Sac. græco lat. v.* Monarcha.

Principe, nempe a Romano Pontifice idem Regnum tributarium accepit.

Si quis demum Eccleſiaſticæ ditionis Epiſcopus, qui ſuæ Diœceſis partem aliquam intra Regni fines ſitam habeat, *Regium permiſſum* petit; non ideo petit, ut in ea ſuæ Diœceſis parte juriſdictionem exerceat, quam in tota ſua Diœceſi ſine ulla Regia facultate exercere ſe poſſe probe intelligit: ſed is, ſicut & alii Regni Epiſcopi Regium Placitum poſtulant, ut cum aliter nequeant, obicem removeant, quem libero Epiſcopalis juriſdictionis exercitio a laica poteſtate injuſte poſitum eſſe norunt. Quæ quidem *Regii permiſſus*, ſeu Placiti petitio, Sede Apoſtolica ſemper invita & ægre ferente cum fiat, ex hoc forte excuſari aliquatenus poteſt, quod aliter Epiſcopi vel gregem totum, vel partem ſibi commiſſi gregis deſerere & ſine paſtorali cura derelinquere cogerentur. Quare cum Regii Adminiſtri etiam in re minima, hoc eſt uſque ad ſcrupulum & ſuperſtitionem Regii Placiti praxim inculcent ac exigant, (quod nec ipſimet Anonymo prorſus probatur) qui parvam aliquam ſuarum Diœceſum partem in Regni confiniis ſitam obtinent, Epiſcopi Romanæ ditionis non jam illud Horatianum, ſed & hi, & Regni etiam Antiſtites Placiti ejuſdem preſſi jugo hoc Terentianum uſurpantes

Ut quimus, ajunt; quando, ut volumus, non licet.

Verum ut præſtemus, quod tertio loco promiſimus, ſit



AR-

ARTICULUS XV.

Permiſſa hypotheſi, quod allata hucuſque ab Anonymo argumenta Regni Archiepiſcopatus Regio Placito ſubjectos demonſtrent, non tamen inde evincitur, quod eidem Placito ſubjiciatur Archiepiſcopatus Beneventanus.

QUandoquidem Anonymus, ut unum Beneventi Archiepiſcopatum Regii Placiti ſervituti ſubmitteret, in omnium Apoſtolicarum literarum Libertatem univerſalibus principiis & argumentis debaccatus eſt, ea nos principia & argumenta confutare debuimus. Verum licet his ſua in reliquis conſtaret vis & veritas, (quod more Scholæ tranſire modo ſinimus) eam profecto amittunt, dum ad illas Apoſtolicas literas deflectuntur, quibus Beneventani Archiepiſcopi inſtituuntur. Cum enim Beneventana civitas, in qua Metropolitica Sedes conſpicitur, temporali Apoſtolicæ Sedis imperio pareat, nullus Neapolitanis Regibus *Principatus titulus*, nullum ſupereſt *Regaliæ Jus*, (in his rationum ab Anonymo allatarum cardo vertitur) quorum obtentu ipſis conveniat Beneventanos Regio Placito ſubdere Præſules, ſeu Apoſtolicas literas, quibus hi ad illam Sedem provehuntur. Quocirca prorſus immerito conqueritur Anonymus, quod Illuſtriſſimus de Auria, non petito Regio Placito, Beneventanæ Eccleſiæ inſederit; ibi enim nullus Placito locus, ubi omne deficit *Jus Regaliæ*, aut *titulus Principatus*. Sed & perperam lamentatur, quod idem Præſul in Regni Provinciis ſpirituali ſuæ poteſtati ſubjectis, abſque eodem Placito juriſdictionis actus exercuerit. Cur enim Archiepiſcopo ſuæ Sedis poſſeſſionem legitime adepto, in tota ſua Archidiœceſi juriſdictionem Eccleſiaſticam exercendi libera non ſit facultas?

Porro Beneventani Principes, ſeu Neapolis Reges, tranſlato jam in Apoſtolicam Sedem Beneventanæ urbis temporali dominio, cenſendi ſunt eidem Sedi remiſiſſe Jura om-

nia, (juxta Anonymi ſententiam loquor) quæ ad ipſos *titulo Principatus* quoquo modo pertinuiſſent; prævidebant enim ex vi ejus translationis liberum omnino deinceps futurum Romano Pontifici eum Archiepiſcopatum conferre, cui vellet, &, quod natura ſua conſequens eſt, ab eo, qui Archiepiſcopus conſtitutus eſſet, ſpiritualem juriſdictionem in omnibus urbibus, oppidis, lociſve Metropolitanæ Sedi ſubjectis libere fore exercendam. Hujus autem rei certum ac evidens argumentum eſt, quod nec ullum proferatur, nec proferri poſſit exemplum Regii Placiti conceſſi, vel denegati literis Apoſtolicis, quibus Romani Pontifices ſuos Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopos præfecerunt. Unde Anonymo, Regiiſque Conſiliariis & Adminiſtris contendentibus, Beneventi Archipræſules æque ac omnes Regni Archiepiſcopos Regio Placito eſſe ſuppoſitos, reponere poſſumus quod olim Legati S. Leonis I. reſponderunt Epiſcopis, qui Anatolio Conſtantinopolitano titulum Patriarchæ deferentes, obtendebant hunc honorem jam ab octoginta prope annis ejus prædeceſſores fuiſſe conſecutos: ***Si his temporibus hoc beneficio uſi ſunt*, *quid nunc requirunt? Si nunquam uſi ſunt*, *quare requirunt*** (1)?

ARTICULUS XVI.

Exſufflantur quæ in contrarium ab Anonymo afferuntur.

HUjus noſtræ rationis vim præſenſit Anonymus, quam idcirco ſibi objiciens, vanam eam & minime ſubſiſtentem fortioribus & invictis argumentis demonſtrare pollicetur (2). Hæc nos tamen illius argumenta ſingula ſtatim & proponemus & diſſolvemus.

Reponit itaque I. „ Regiorum Miniſtrorum incuriæ eſſe „ tribuendum, quod Archiepiſcopus Beneventanus Regii „ Placiti ſervitutem hactenus non ſit expertus; eam autem „ incuriam, quæ eorumdem Miniſtrorum vigilantiam minus „ attentam prodit, nihil officere Juri Principis, quod alie-

(1) *Apud Bellar. de Pontif. lib. 2, cap. 18.* (2) *Anonym. pag. 37.*

„ no defectui negligentiæque ſubjici minime debet (1).

Verum hæc reſponſio principium manifeſte petit & Facti quæſtionem ad Juris quæſtionem revocat. Præterea eam Placiti omiſſionem non Miniſtrorum Regiorum negligentiæ, ſed Juris defectui adſcribendam eſſe contendimus: nam ſi Jus hujuſmodi Regii Adminiſtri quoquo modo agnoviſſent in Principe, non eſt ſimlile vero tanta eos, ac tam longa ſomnolentia fuiſſe captos, ut nunquam eidem aſſerendo invigilaverint.

Reponit II. Regii Placiti defectum quoad Beneventi Archiepiſcopatum tribuendum eſſe aſſiduæ vigilantiæ & ſolertiæ Romanæ Curiæ „ Quæ, inquit, ipſum Placitum non ju„ ſtum & legitimum, ſed uſurpatum, aut ſaltem toleratum „ cum reputet, curam omnem & ingenium adhibet, ut literæ „ Apoſtolicæ, Placito non petito, executioni tradantur (2).

At ſecunda hæc non minus eſt futilis, quam prima reſponſio. Etenim, ſi ipſi Anonymo fides, Regii Adminiſtri certis ſaltem temporibus in id omni cura ac vigilantia incubuere, ne ullæ Apoſtolicæ literæ, eæ præſertim quæ Beneficiorum diſtributionem reſpiciunt, in Regno ſine Regio Placito executioni demandarentur: ſiquidem aſſerit ejuſdem Placiti praxim eſſe in Regno perantiquam & inconcuſſam (3); ſub Regibus Andegavenſibus (4) & Aragoniis (5) fuiſſe adamuſſim obſervatam, ſub Pio V. ſtetiſſe immotam (6); ac demum in publicis Regeſtis extare formulas ipſiuſmet Regii Placiti conceſſi Epiſcopis (7). Jam hæc aut falſa ſunt, aut vera.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis
Obſidet.

Nam ſi falſa, (& ſane falſa eſſe oſtendimus præter ultimum, quod poſtremorum temporum acerbitas tulit) quomodo probent neceſſitatem Regii Placiti in Beneventano Archipræſule, cum eam nequidem probent in aliquo ex Regni Epiſcopis & Archiepiſcopis? Si vera ſunt, cur unum ſaltem non profertur exemplum Regii Placiti conceſſi alicui ex Beneventanis Præſulibus? Num Neapolitanæ Curiæ vigilantiam Curiæ Romanæ vigilantiæ oppoſitam, ac certe non imparem ſemper effugere, ſeu

(1) *Anonym. pag.* 37. (2) *Anonym. pag.* 38. (3) *Anonym. pag.* 3. 32. (4) *Idem pag.* 32. (5) *Idem pag.* 34. (6) *Idem pag.* 34. (7) *Idem pag.* 37.

ſeu eludere potuerunt illæ Apoſtolicæ literæ, quibus ſui Beneventano Gregi Paſtores præfecti ſunt?

Locus hic eſſet opportunus exſcribendi ea, quæ de amplis Beneventanæ Metropoleos limitibus, necnon de plurimis jurisdictionis capitibus ad Beneventanos Antiſtites pertinentibus ſcribit Anonymus, ubi id e re ſua eſſe arbitratur (1). Deinde ex ipſo adverſus ipſum, paucis immutatis, hoc ferme pacto poſſemus orationem convertere: ergone tales & tanti Præſules, qui tantam ac adeo amplam in quinque Regni Provinciis juriſdictionem hucuſque adminiſtrarunt, Regnum ingredi, in eoque eamdem juriſdictionem exercere ſine Regio Placito a Regiis Adminiſtris permiſſi ſunt, atque ibidem recepti fuerunt, quicumque illi fuerint, inconſulto Principe, cujus domum ſe contulerunt tantum poteſtatis exercendi cauſa & auctoritatis (2)? Lavellanus, Veſtenſis, aliique Epiſcopi, qui poteſtatem ſuam extra unius urbis anguſtias vix exerunt, Regio Placito ſubjecti memorantur (3). Siccine igitur Regii Adminiſtri, qui in ſubdendis Regio Placito hiſce anguſtioris juriſdictionis Epiſcopis Romanæ Curiæ illud avertere ſatagentis ſolertiam vicerunt, ſemper paſſi ſunt ita ſe vinci ab ejuſdem Curiæ vigilantia, ut Beneventanum ampliſſimæ poteſtatis Antiſtitem ipſi Placito nunquam ſubdere potuerint?

Præterea anno 1560., quo tempore Alcalæ Dux Neapolitano Regno præerat, ad Beneventanam Sedem Cardinalis Sabellus Romanus fuit evectus (4); nec tamen hunc legimus ab eodem Prorege, quem veluti acerrimum Regii Placiti propugnatorem laudat Anonymus, ipſimet Placito fuiſſe ſubjectum. Inſuper impedire ſacros Præſules, ne ſuarum Eccleſiarum poſſeſſionem adeant, eorum bona dare ſequeſtro & alia hujuſmodi, ab Anonymo remedia œconomica nuncupantur, quibus Regii Placiti petitio perurgeri conſueverit. Eccur ergo ad hæc remedia nuſquam ventum eſt adverſus Archiepiſcopos Beneventanos, qui nulla habita ratione ejuſdem Placiti, illam Eccleſiam & adierunt hactenus & rexerunt?

Hæc omnia, quæ adverſus ſecundam Anonymi reſponſio-

 nem

(1) *Anonym. a pag. 36. ad 37.* (2) *Ex imitatione Anonym. pag. 37.* (3) *Anonym. pag. 36.* (4) *Ugbel. tom. 8. de Archiep. Benevent. num. 49.*

nem diximus, ſatis ſuperque demonſtrant non vigilantiæ Curiæ Romanæ, ſed defectui Juris in Rege Neapolis eſſe tribuendum, quod nullum Regii Placiti conceſſi Beneventanis Archiepiſcopis extet exemplum: neque enim credibile eſt a Regiis Adminiſtris ejus Juris reparationem perpetuo fuiſſe neglectam, ſi illud in Rege aliquando fuiſſet agnitum.

Nondum tamen quieſcit Anonymus, ſed celebri facto comprobare contendit Romanæ Curiæ ſolertiam in declinando juxta temporum opportunitatem Placito Regio, ac in mittendis ad Epiſcopales Regni Sedes Præſulibus, iis etiam, qui ob læſæ Regiæ jurisdictionis crimen a Regno exulant. Narrat itaque „ Caputaquenſem Epiſcopum juſtis de cauſis e Regno „ extorrem, ab Urbano VIII., qui ut erga ſtrenuos Eccleſiaſticæ juriſdictionis defenſores ſe remuneratorem præberet, „ Cardinalitia illum dignitate auxerat, in idem Regnum „ fuiſſe miſſum, ut Barenſis Archiepiſcopatus, quo pariter „ fuerat cumulatus, poſſeſſionem caperet: quod & e voto „ accidiſſet, inquit, niſi Prorex fuiſſet opportune præmonitus; qui eo facto admodum ſe contemptum indignans adventanti Cardinali Archiepiſcopo, loco capiendæ poſſeſſionis, triremem parari juſſit, ut ea hic exceptus Romam „ illico remearet, Regnum non amplius inviſurus (1).

Vides ſtatim, Lector, hoc facto comprobari non minorem eſſe vigilantiam Curiæ Neapolitanæ in obſervando, quinam, quomodo & quando in Regnum mittantur Antiſtites, quam Curiæ Romanæ ſit in mittendis eo Præſulibus, qui, Regio Placito non petito, illarum Eccleſiarum regimen ſuſcipiant. Cur igitur narrato exemplo quid ſimile nunquam geſtum legitur in aliquem ex Beneventi Archiepiſcopis? Cur nemo ex his e Regno expulſus eſt, quamvis omnes ſine ullo Regio exequendi Conceſſu ejus Eccleſiæ regimen inierint, nec defuerint inter ipſos, qui Eccleſiæ jura adverſus prætexentes Regiæ juriſdictionis defenſionem acerrime propugnarint? Quare de exercita ſemper ab iiſdem in Regno ampliſſima juriſdictione nunquam mota fuit hactenus quæſtio? Id ſane argumento eſt vel ipſi Neapolitanæ Curiæ fuiſſe hucuſque perſua-

(1) *Anonym. pag.* 38.

ſuaſum, praxi Regii Placiti haudquaquam ſubjici Beneventanos Antiſtites.

Quia tamen Epiſcopo Caputaquenſi (Hic, cujus nomen ſupprimitur, fuit Franciſcus Maria Brancatius vir æque doctus ac pius) læſæ Regiæ juriſdictionis crimen imponit Anonymus, facti ſeriem breviter accipe, prout illud narrat Hiſtoricus ipſi Anonymo minime ſuſpectus, nimirum Jannonius. Gubernatori Salæ, quod oppidum eſt Caputaquenſis Diœceſis, cum Presbyteri quidam mortem intuliſſent, prædictus Epiſcopus, cauſa cognita, ex iis aliquot ad triremes damnavit. Verum Prorex ejuſmodi pœnam ſceleri imparem eſſe ratus, Hiſpanorum militum Centuriam Scalam immiſit, qui ibidem hoſpitio uſi pro libito oppidanos ipſos cum laicos, tum Presbyteros indiſcriminatim male habuerunt. Id cum Epiſcopus, latis in mali auctores Eccleſiaſticis cenſuris, ægre ſe ferre prodidiſſet, ejus germanus frater in carcerem idcirco detruſus & ipſemet fuit e Regno exulare coactus (1). Hoc itaque eſt læſæ Regiæ juriſdictionis crimen Brancatio impoſitum, videlicet quòd ipſe Regiorum Miniſtrorum ſacrilegium, & in Presbyteros vel ſatis punitos, vel innocentes ſævitiam pœnis Eccleſiaſticis ultus fuerit. Anne Regiæ juriſdictioni hoc quoque dandum, ut in Sacerdotes etiam innocuos impune ſæviat?

Cæterum ſi crimini læſæ Regiæ juriſdictionis, & non potius ſummæ laudi vertendum ſit Epiſcopis, quod ipſi Eccleſiaſticam Libertatem ſtrenue propugnent, hoc idem crimen imputandum erit, ut alios ſileam, Sanctis Anſelmo & Thomæ Cantuarienſibus, qui Angliæ Regibus Regiorum jurium defenſionem obtendentibus, revera tamen Eccleſiæ Jura uſurpantibus, primus quidem uſque ad bonorum direptionem & exilium, ſecundus vero etiam uſque ad ſanguinem, invictis animis reſtiterunt. Improbandi quoque erunt Romani Pontifices, qui eoſdem inclytos Præſules, & in defendendis Eccleſiæ Juribus interritos non quidem ſacra Purpura, ſed ſummis laudibus adhuc viventes exornarunt, & poſt mortem in Sanctorum album retulerunt. QUIS SAPIENS, ET INTELLIGET HÆC (2)?

Hìc

(1) *Jannon. Hiſt. Civil. Tom. 4. lib. 36. cap. 3.* (2) *Ex Pſ. 106.*

Hìc advertere juvat quod non ſolum Ferdinandus Ughellus, ubi de Epiſcopis Caputaquenſibus & Archiepiſcopis Barenſibus (1), ſed etiam Joannes Palatius, ubi de Cardinalibus ab Urbano VIII. creatis (2), ſilet omnino de Brancatio ad Barenſem Archiepiſcopatum promoto, necnon de eodem triremi excepto, ac Romam remiſſo: quæ omnia cum ab Anonymo, nullius indicato Scriptoris teſtimonio, referantur, ſi vera nihilominus ſunt, de eiſdem ſilentium ſaltem eſſe dicas præter Palatii morem, qui cæteroquin in hujuſmodi narrationibus adornandis genio plus æquo indulgere conſuevit.

Redeo ad Anonymum, qui ex præmiſſa narratione infert „ Perſpicuum eſſe, Romanam Curiam effecturam, ſi poſ-
„ ſet, ne Placitum peterent non tantum Beneventani, ſed
„ cæteri omnes Regni Antiſtites, cum illud uſurpatum aut
„ ſaltem toleratum, non vero juſtum & legitimum agno-
„ ſcat; ac per conſequens mirum non eſſe, ſi reperiantur
„ Eccleſiarum, (Beneventanæ præſertim, cujus Sedes in di-
„ tione Romana collocatur) ſine Regio Placito initæ poſſeſ-
„ ſiones; non enim fieri poſſe, ut ſtatim occurratur eventi-
„ bus, ac ut ſemper, prompteque impediantur ſubitæ iſtiuſ-
„ modi aggreſſiones, quas veluti in inſidiis aſſidue excubans
„ Curia Romana molitur. Hujus autem rei non deeſſe infi-
„ nita propemodum exempla cum antiqua, tum recentiora
„ etiam, pluribus minime obſtantibus literis, quibus Regia
„ Majeſtas ſuis Adminiſtris aſſiduam atque attentam in ne-
„ gotio Placiti vigilantiam enixius præcepit. Unde quia
„ forte deeſt exemplum Placiti conceſſi Beneventano Ar-
„ chiepiſcopo, non idcirco inferri hunc ab illa indeclinabili
„ lege eſſe exemptum. In ejuſmodi caſibus non eſſe ſpe-
„ ctandum *Quid Romæ factum eſt, quam quid fieri debeat*, ſicut
„ ſapienter monet Proculus *in Leg. 12. D. de Off. Præſi-
„ dis* (3).

Agendæ hic primum Anonymo gratiæ quod tam ingenue fateatur plures fuiſſe hactenus captas & adhuc in dies capi in Regno ſine Regio Placito Eccleſiarum poſſeſſiones. Ex hoc enim

(1) *Ital. Sac. Tom. 7.* (2) *Palat. in Faſtis Cardinal. Tom. 4.* (3) *Anonym. a pag. 38. ad 39.*

enim ipſius teſtimonio denuo aperte conſtat neque inconcuſſam, neque indubiam eſſe Placiti praxim, quam veluti potiſſimum pro ſe in præſenti controverſia argumentum alibi nobis objecit. Deinde meritone, an immerito Romana Curia agnoſcat Placitum ipſum veluti uſurpatum aut ſaltem toleratum, non vero tanquam juſtum & legitimum, judicium ſit penes Lectorem, qui ea omnia perpenderit, quæ adverſus idem Placitum fuſe diſputavimus: ex quibus etiam apparet, quandocumque actum eſt aut agitur de excutiendo Placiti jugo a Regni Præſulibus, & præſertim a Beneventanis Archiepiſcopis, id ſemper Romæ factum eſſe ac in dies fieri, quod fieri debuit & debet; ideoque pro nobis ſtare contra nos perperam allatum ſapientiſſimum Proculi Monitum.

Denique quod quamplurimæ Eccleſiarum poſſeſſiones ſine Regio Placito cum priſcis, tum noſtris temporibus initæ, ipſomet Anonymo teſte, reperiantur: cum publici harumce poſſeſſionum Actus facile prævideri a Regiis Adminiſtris, nec eos latere ita facile potuerint; jam id non incuriæ & negligentiæ, ſed pietati potius & juſtitiæ eorum Adminiſtrorum adſcribi debet, qui propriæ conſcientiæ conſulentes, ſuam literis Apoſtolicis intactam reliquerunt Libertatem, quam iiſdem literis alii aliis temporibus Regii Adminiſtri pietatem & juſtitiam minus colentes adimere non ſunt veriti, nec verentur. Verum in ejuſmodi caſibus nobis illud uſurpare pleno jure licet, non eſſe ſpectandum *Quid* Neapoli *factum eſt*, *quam quid fieri debeat*.

ARTICULUS XVII.

Confutantur cætera, quæ in contrarium identidem ab Anonymo adducuntur.

Reponit III. Anonymus „ Eo tempore, & ſane diu„ turno, quo Beneventi dominium & poſſeſſio penes „ Alphonſum I. & Ferdinandum I. ejus ſucceſſorem fuit, ad „ illius civitatis Archiepiſcopatum Aſtorgium Agnenſem, & „ poſt hunc, Jacobum de Ratta fuiſſe evectum, ut legitur apud Ughel-

„ Ughellum: fortaſſis Placitum Regium nequidem reperiri
„ pro his Archiepiſcopis expeditum, quantumvis ſuperius
„ oſtenſum ſit, quantum fuerit in iſtiuſmodi negotio horum
„ Principum ſtudium, immo a Ferdinando de hac re *Prag-*
„ *maticam* fuiſſe promulgatam: neque potuiſſe tunc eſſe præ-
„ textui locum, quod Beneventum a Papa poſſideretur; non
„ igitur jus concedendi Placiti a Principe auferri, ex eo
„ quod nullum Placiti conceſsi documentum afferri poſ-
„ ſit (1).

Verumtamen neque hæc objectio quicquam detrahit peculiari rationi, qua Beneventanam Eccleſiam a ſervitute Regii Placiti immunem defendimus. Nam quod non reperiatur Placitum duobus prædictis Archiepiſcopis conceſſum ita cauſæ noſtræ favet, ut ſi reperiretur, non noceret. Si enim non reperitur, id argumento eſt, a præfatis Regibus Alphonſo & Ferdinando, cæteroquin, ut ait Anonymus, in Placiti negotio admodum ſtudioſis, jus ejuſdem Placiti in Beneventanos Præſules ne quidem fuiſſe uſurpatum eo tempore, quo Beneventum ipſorum dominatui ſuberat. Si autem reperiretur Placitum tunc temporis pro memoratis Archiepiſcopis expeditum, quid inde? Nos modo defendimus nullum extare exemplum Placiti conceſsi Beneventanis Metropolitis eo tempore, quo civitas illa Sedis Apoſtolicæ dominio paruit, ſicut nunc paret; adeout hoc idem dominium in cauſa ſit, cur Neapolitani Reges, eorumque Magiſtratus Beneventanos Antiſtites Regio nunquam Placito ſubjicere pertentarint. Quid autem ſentiendum ſit de Alphonſi & Ferdinandi ſtudio ac de hujus *Pragmatica* in re Placiti, alibi diximus (2).

Quia tamen Anonymus penes modo dictos Reges diuturnum Beneventi dominium & poſſeſsionem fuiſſe ait, non graveris, Lector, audire Odericum Raynaldum compendio narrantem, qua ratione Alphonſus I. illius urbis dominium occupaverit, retinuerit, ac tandem Ferdinandus I. dimiſerit. „ Veritus, inquit, Ferdinandus, ne Pium II., retento
„ Benevento, a ſe ablienaret, cujus gratia in ſolio Neapoli-
„ tano ſtabat, reſque ſuas affligeret, eam urbem, quam Al-
phon-

(1) *Anonym. pag.* 39. (2) *Art. X.*

„ phonſus flagitio jam ante occuparat, ac dein pactione in
„ Præfecturam extorſerat, reſtituit (1).

Reponit IV. Anonymus hoc pacto: „ Quicquid ſit, fue-
„ rit necne retroactis temporibus præſtitum Placitum Be-
„ neventanis Præſulibus; quæ res adhuc incerta eſt, quia
„ ejus diligentius inquirendæ nec commodum hucuſque, nec
„ tempus ſuppetiit; caſus præſens expoſcit, ut executioni
„ demandentur Regiæ de neceſsitate Placiti noviſsime editæ
„ juſsiones, longe quam hactenus urgentiores, ſicut unicui-
„ que in ſecundo Volumine Gratiarum & Privilegiorum Re-
„ gni obſervare libet. Ad Eccleſiam vero Beneventanam
„ quod attinet, hic primus caſus eſt, qui poſt prædictas juſ-
„ ſiones, ſeu conceſſa Regnicolis privilegia contingit; jure
„ ideo meritoque civitas, Regnum, ac rei Beneficiariæ præ-
„ fectus Magiſtratus Neapolis urgent modo, ac ardentioribus
„ quam hactenus Regiæ Majeſtati porrectis precibus expe-
„ tunt, ut juſsiones illæ, ſeu privilegia exactam habeant
„ executionem etiam reſpectu Beneventani Archiepiſcopa-
„ tus, interpoſito videlicet, ſicuti par eſt, decreto, quo hic
„ non minus, quam cæteri Regni Archiepiſcopatus iiſdem
„ juſsionibus ſeu privilegiis declaretur incluſus, cum id ne-
„ dum vergat in Regiorum ſubditorum commodum, ſed
„ etiam in majorem Regalium jurium, ac ſupremarum præe-
„ minentiarum firmitatem (2).

Ex tota hac objectione clare liquet Anonymum in una Regii Placiti lege noviſsime edita omne tandem ſuæ cauſæ præſidium collocare, necnon in Decreto Regio, quo Archiepiſcopatus Beneventanus ea lege comprehenſus declaretur, non alia certe ratione, niſi qua Regia Majeſtas dicat:

Sic volo, ſic jubeo; ſtat pro ratione voluntas.

Sed propter hoc ipſum, ſi res bene perpendatur, corruit objectio. Siquidem tantum abeſt, ut velit aut debeat Regia Majeſtas, quod declarationem hujuſmodi ne edere quidem ullatenus poſsit. Cum enim ex una parte Regiæ literæ non ad Placiti neceſsitatem extendendam, ſed tantum ad eam

Cc ma-

(1) *Raynald. ad an.* 1459. *num.* 80. (2) *Anonym. pag.* 39.

magis, ut ipſemet Anonymus teſtatur (1), ſtabiliendam noviſsime editæ ſint; nec poſsit magis ſtabiliri quod nondum ſtabilitum eſt: cum ex parte altera ejuſdem Placiti neceſsitatem quoad Archiepiſcopatum Beneventanum fuiſſe aliquando inductam & multo minus ſtabilitam, nullum exemplum comprobet: inde manifeſte ſequitur non poſſe declarari, quod eum etiam Archiepiſcopatum illæ literæ ſive Regiæ juſsiones complectantur.

Quod autem additur, iſtiuſmodi nimirum declarationem ſubditorum commodis & majori Regiorum jurium ac ſupremarum præeminentiarum firmitati profuturam, nimis probat; nam quidni etiam majori eorumdem jurium firmitati & ſubditorum utilitati proficiat, ſi reliqui Romanæ ditionis Archiepiſcopatus eadem lege comprehenſi declarentur? Verum non eæ, quæ ſolo Principum arbitrio & corruptis Miniſtrorum conſiliis, ſed quæ juſtitia & æquitate Leges ac Legum declarationes nituntur, ſubditorum utilitatibus ac ſupremorum jurium firmitati proſunt: *Voluntas* enim *Regum*, ut Sapiens monet, *labia juſta*; *& juſtitia firmatur ſolium* (2), eâdemque Populorum commodis conſulitur. Qua imprimis virtute inſtructus Cæſaris animus & iniquas Neapolitanorum preces prædictam declarationem petentium, & Anonymi fucatam eiſdem precibus æquitatem conciliare adnitentis artificium eluſit, dum Illmo Præſuli de Auria, poſtea Cardinali Emo, juriſdictionem Eccleſiaſticam, Regio Placito non petito, in tota ſua Metropoli libere exercenti nihil moleſtiæ intulit, aut inferri permiſit.

ARTICULUS XVIII.

Ultimum Anonymi effugium præcluditur.

AD poſtremum Anonymi effugium tandem aliquando devenimus: „ Verum, inquit, ſi Romana Curia adhuc „ perſiſtat in ſententia ſubducendi a Regii Placiti neceſſitate „ Archiepiſcopatum Beneventanum, de hoc non erit admodum

(1) *Anonym. pag.* 3. *&* 32. (2) *Prov.* 16. *v.* 13. *&* 12.

„ dum dolendum; nam in ejuſmodi caſu id illa efficiet, ut „ per ejus urbis Archiepiſcopos idem Placitum a Collaterali „ Conſilio, neceſſariò petendum ſit in unoquoque juriſdictionis actu, quem extra mœnia & fines Beneventanæ civitatis, nedum in Diœceſibus ſibi ipſis contributis, ſed etiam „ in Diœceſi propria exercere & executioni mandare velint. Si ſe extraneos Archipræſules & minime dependentes „ haberi volunt, habeantur; at in hoc caſu non credimus eos „ uſque adeo præſumpturos, ut pluris quam Romanum Pontificem, ſe faciendos arbitrentur, cujus ſi quæcumque literæ Roma in Regnum perlatæ executioni mandari nequeunt, „ niſi prius Regio Placito muniantur, tanto minus decreta „ quævis, mandata, aliæque Beneventani Archipræſulis proviſiones ſine prævio eodem Placito executionem obtinere „ poterunt in quinque illis Regni Provinciis, ex quibus „ ipſius Metropolis conſurgit. Quod ſi reliqui Regni Epiſcopi & Archiepiſcopi ideo Regio exequendi *permiſſu* non „ indigent in ſingulis, quos exercent, juriſdictionis actibus, „ quia cum illum Bullis ipſorum inſtitutionis inſcriptum acceperint, conceſſus pariter intelligitur quibuſcumque illis „ actibus, qui eam conſequuntur dignitatem, cujus poſſeſſionem prævio Placito adepti ſunt; æquum ſane eſt Beneventanorum Antiſtitum unicum hoc prævium Placitum reſpuentium decreta quælibet, ac mandata eidem Placito „ ſubjici, quemadmodum ſubjiciuntur illa, quæ a Papa in „ Regnum mittuntur, ſi ea velint executioni tradi in quinque „ antedictis Regni Provinciis. Quapropter ſi præcipiatur „ Præſidibus, Gubernatoribus, cunctiſque Magiſtratibus civitatum ac oppidorum ad Diœceſes in eiſdem quinque „ Provinciis ſitas pertinentium, ne qua decreta, Beneficiorum diſtributiones, edicta, mandata, aut cujuſcumque generis proviſiones, quæ ab Archiepiſcopo Beneventano expedientur, exequantur ipſi, aut executioni tradi permittant, niſi prius Regium illis Placitum conceſſum fuerit, in „ tuto erunt non minus Regiæ præeminentiæ ac ſuprema „ Regiæ Majeſtatis jura, quam jura indigenarum ipſimet „ Majeſtati ſubjectorum, & favores illi ſeu Gratiæ, quas

 mu-

„ munificentia tanta ac paterno amore in Regnum ſibi fidiſ-
„ ſimum contulit eadem Majeſtas, debitum obtinebunt effe-
„ ctum, atque iis exacta illa ac prompta executio præſtabitur,
„ quæ ipſis merito debetur (1).

Hic eſt opuſculi ab Anonymo compoſiti finis ſuo ſane principio dignus. Huc tantus rationum ac eruditionis apparatus, omniſque tandem ejuſdem Anonymi conatus exit, ut, vel Archiepiſcopi Beneventani literas Apoſtolicas, quibus illi Eccleſiæ præficiuntur, neceſſitati, quam vocat, ſeu legi Regii Placiti ipſi ſubmittant, antequam ejus Archiepiſcopatus poſſeſſionem capeſſant; atque ita ad Regis, ſeu Conſilii Collateralis arbitrium vel admittantur, vel excludantur: vel ut in quolibet ſpiritualis & Eccleſiaſticæ juriſdictionis actu per eos exercendo in ditione Regia, neceſſitati ſeu legi Placiti ſive a Rege, ſive a Collaterali Conſilio ipſimet ſubjiciantur. Verum cum oſtenderimus hanc Placiti neceſſitatem ſeu legem, ſive Regiis juribus ſive ſubditorum privilegiis ſive quocumque alio titulo ea perperam fulciatur, eſſe nullam, irritam & emendicatam reſpectu quarumcumque literarum Apoſtolicarum, earum præſertim, quibus Beneventani Antiſtites inſtituuntur, vanum jam ac prorſus inane eſſe conſtat poſtremum hocce Anonymi effugium; quod ulterius a cenſuræ nota ſanior Theologia non liberat. Quandoquidem, quoad primam ſui partem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Conciliorum Decretis & Summorum Pontificum conſtitutionibus adverſatur, quæ legitimis quibuſque conſtitutis Epiſcopis & Archiepiſcopis liberam ſuas Eccleſias adeundi facultatem faciunt: quoad ſecundam vero partem inſuper ſcandaloſum eſt ac temerarium; ſcandaloſum quidem, quia conſulit, ut per Provinciarum Præſides, Civitatum Gubernatores, alioſque Regni Magiſtratus legitimus Beneventi Archiepiſcopus impediatur, Regio Placito interjecto, in omni ſuæ juriſdictionis exercitio, quam in propria Parœcia ex inſtitutione divina, in Parœciis autem ſibi contributis ex inſtitutione Apoſtolica derivatam obtinet; temerarium item, nam nullus hactenus, quem ſciam, ſcripſit Catholicus Auctor legitimum Archiepiſcopum ac ſuæ Eccle-

(1) *Anonym. pag.* 40.

Eccleſiæ poſſeſſionem legitime adeptum in ſingulis ſuæ juriſdictionis actibus Regio Placito eſſe ſubjiciendum. Porro Anonymus ipſe ſuperius faſſus eſt plures cum olim, tum noſtra ætate in Regno fuiſſe captas Eccleſiarum poſſeſſiones ſine prævio Placito. Nemo tamen cogitavit de ſubdendis ipſimet Placito in quocumque juriſdictionis exercitio Epiſcopis illis & Archiepiſcopis, qui eodem non petito eas Eccleſias adierunt. Quæ igitur temeritas eſt Pontificiæ ditionis Archiepiſcopum inauditæ Placiti ſervituti velle ſubmittere, cui in pari cauſa ne Regni quidem Archiepiſcopos & Epiſcopos ſubjicere quis unquam auſus fuit?

Præterea illud Anonymi conſilium de imponendo Placiti jugo quibuſvis Archiepiſcopalis juriſdictionis actibus errorem ſapit Hæreticorum docentium penes Principes & politicos Magiſtratus eſſe Eccleſiæ regimen. Si enim decreta quælibet, mandata, edicta, aliæque Beneventani Archipræſulis proviſiones Regio Placito ſubjiciantur, jam non quod idem Archipræſul decernit, mandat, edicit, providet, ſed quod Placet ſupremo Neapolis Senatui, cujus eſt concedere, vel negare exequendi facultatem, executioni mandabitur: atque ita tandem non Archiepiſcopus, ſed laicus idem Senatus Beneventanam reget Eccleſiam. Hinc etiam ſit illud idem Anonymi conſilium debitam Regis juribus & ſubditorum Privilegiis conſervationem ac executionem prætexens, ut hac ratione quodlibet Archiepiſcopalis auctoritatis exercitium Placito ſubdat, ſeditioſi eſſe animi inventum nova Eccleſiaſticam inter & politicam poteſtatem diſſidia excitare pertentantis.

Ut autem reſpondeamus ad reliqua, quæ ſupra ex Anonymo retulimus; profecto Beneventani Antiſtites non uſque adeo præſumunt, ut pluris ſe faciendos putent, quam Romanum Pontificem, cujus quæcumque literæ tranſmiſſæ in Regnum Regio Placito per ſummam injuriam ſubjectæ aſſeruntur; ſed neque ſe ita deprimunt, ut minoris ſe faciendos exiſtiment, quam ſuos deceſſores, qui nec quoad Bullas ſuæ inſtitutionis, nec quoad unumquemque Eccleſiaſticæ juriſdictionis actum Placiti jugum unquam ſubierunt. Non ex jure aliquo legitimo, ſed per vim & injuriam, ſicuti oſtendimus, Bullę, quibu-

Res

Regni Epiſcopi & Archiepiſcopi inſtituuntur, ſicut & cæteræ Apoſtolicæ literæ, ſervitute Placiti onerantur, a qua Beneventanos Archiepiſcopos vel ex hoc peculiari capite immunes eſſe contendimus, quod & Archiepiſcopi ſint Eccleſiaſticæ ditionis, & nullum ejus violentiæ ipſis hactenus illatæ afferri poſſit exemplum. Si enim quandoque vitari debet, quod eſt novum, licet ſit æquum; *Ipſa quippe mutatio conſuetudinis novitate perturbat* (1); eo magis vitandum eſt, quod eſt iniquum & novum.

Finis Secundæ Partis.

PARS

(1) *Aug. epiſt.* 118.

Digitized by Google

PARS TERTIA

Expenduntur nonnulla Facta Hiſtorica, quibus Anonymus abutitur ad dejiciendam Archiepiſcopatus Beneventani Libertatem.

QUæ de translato temporali dominio Beneventi in Apoſtolicam Sedem, de precario & mutante penes Romanos Pontifices eodem dominio, de anguſtis Beneventanæ Pontificiæ ditionis finibus, de electionibus Romanorum Pontificum & de epocha translati dominii temporalis Urbis Romæ in eoſdem Pontifices Anonymus ſive differit ſive innuit in primo ſui Opuſculi capite, cum ea ad principalem controverſiam minus ſpectent, & longius examen aliunde poſtulent, huc remittenda eſſe cenſuimus; ne videlicet Lectorem defatigaret interrupta nimium ſeries orationis, qua adverſus ejuſdem Anonymi argumenta Archiepiſcopatum Beneventanum a ſervitute cum Regii Edicti omnia Neapolitani Regni Beneficia ſolis Indigenis addicentis, tum a jugo Regii Placiti quoſcumque ejuſdem Regni Archiepiſcopatus & Epiſcopatus complectentis vindicavimus. Ut igitur ſingula Hiſtorica Facta prænotatis titulis comprehenſa diſcutiamus, atque ita demum fidem noſtram liberemus, ſit.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De tranſlato Beneventanæ Urbis temporali Dominio in Apoſtolicam Sedem ſententia Anonymi caſtigatur.

Hujuſmodi tranſlatiouis Hiſtoriam ita exhibet Anonymus, ut & multa contra veritatem peccet & ſimul famæ Benedicti VIII. necnon Sanctitati Leonis IX. multum detrahat. Siquidem narrat I. „ Ex Leone Oſtienſi lib. 2. cap. 46. „ Benedictum VIII. S. Henrico Imperatori petenti, ut iſte „ Pontifex ad conſecrandam Bambergenſem Eccleſiam, eam„ que in Cathedralem erigendam ſe conferret, non prius an„ nuiſſe, quam idem Imperator annuum cenſum unius *Equi* „ *albi optimi cum omnibus ornamentis, & phaleris ſuis &* „ *centum marcharum argenti* ſpopondiſſet (1).

At ejuſmodi cenſum, ſeu tributum nequaquam veluti pretium pro peragenda conſecratione & erectione Eccleſiæ Bambergenſis in Cathedralem, (quod ſimoniam ſapit) fuiſſe per Benedictum a S. Henrico extortum, ſed poſt conſecratam eam Eccleſiam, eamdemque Cathedræ Epiſcopalis honore decoratam, veluti donum & grati animi monumentum, fuiſſe a S. Imperatore S. Petro oblatum, patet ex ipſomet Leone Oſtienſi, qui loco citato rem ita refert: *Hic idem Auguſtus* (nimirum S. Henricus) *ex proprii patrimonii ſumptibus conſtruxit Eccleſiam in Bambergenſe, & advocans Benedictum Papam ab ipſo illam conſecrari fecit, atque Epiſcopalem in ea Sedem conſtituens B. Petro ex integro obtulit, ſtatuto cenſu per ſingulos annos, equo uno optimo albo cum omnibus ornamentis, & phaleris ſuis & centum marchis argenti*,

Narrat II. „ Pacto poſtea inito inter Leonem IX. tunc „ temporis in Germania degentem & Henricum Imperato„ rem cognomento Nigrum, unam Beneventi urbem cum cen„ ſu Bambergenſi fuiſſe permutatam; quare ad expellendum „ Benevento Pandulphum Principem, & Northmannos om„ nes e ditione Beneventana, immo a totius Italiæ fini„ bus deturbandos, ipſummet Leonem ab eodem Henrico vali-

(1) *Anonym. pag.* 14.

Digitized by Google

,, validiſſimo exercitu ſtipatum rediiſſe in Italiam (1) .

Hic obſerva S. Leonem petiiſſe quidem & accepiſſe ab Henrico exercitum, ſed nec eo exercitu comitatum rediiſſe in Italiam, nec eodem adjutum pugnaſſe in Northmannos . Rei eventum accipe a Leone Oſtienſi eo ipſo loco,qui ab Anonymo citatur (2) : *Dehinc expellendorum Northmannorum gratia ultra montes ad Imperatorem abiit* (S.Leo) *milites ab inde conducturus. Gebeardus tunc Epiſcopus Aiſtettenſis gente Noricus vir prudentiſſimus,& rerum ſæcularium peritiſſimus Regis Conſiliarius erat . Sed cum Imperatoris imperio magnus valde Apoſtolico traditus eſſet exercitus , jamque itineris partem non modicam confeciſſent,idem Epiſcopus ad Imperatorem accedens, vehementerque ſuper hoc illum redarguens , ut totus exercitus ejus reverteretur, doloſus effecit,de propinquis tantum, & amicis Apoſtolici quingentis circiter illum in partes has comitantibus* (3) . Iterum vero idem Leo Oſtienſis: *Apuliam cum Northmannis Leo Papa dimicaturus ingreditur . Atque ex parte ipſius quidem Apoſtolici Rodulphus in Beneventanum Principem jam electus , &* GUARNERIUS *Svevus ſigna ſuſtollant . Northmanni vero tres de ſuis ſtatuunt turmas , quarum unam Comes Humfridus , aliam Richardus item Comes , tertiam Robertus agebat Guiſcardus . Inito autem certamine in planitie maxima , quæ Civitati adjacet , paulatim ſe ſubducentibus , fugientibuſque noſtratibus ,* ET SOLIS , QUI CUM PAPA VENERANT AMICIS PROPINQUISQUE REMANENTIBUS , *cum diu ab his acriter pugnatum eſſet , omnibus tandem in ipſa pugna trucidatis , Northmanni Dei judicio extitere victores* (4) . En florentiſſimum exercitum , cujus ductor rediens ad debellandum Northmannos in Italiam,S.Leo IX. ab Anonymo prædicatur (5) ; exercitus nimirum fuit ex quingentis duntaxat S. Leonis amicis conflatus , qui , milite Italo terga vertente , fortiter ſoli dimicantes glorioſiorem omni triumpho mortem invenerunt .

Narrat III. : ,, Nedum Pandulphum Beneventanum Principem , ſed Northmannos ipſos formidabilis hujuſce exer-

D d citus

(1) *Anonym. a pag.14.ad 15.* (2) *Anonym.pag.14.* (3) *Leo Oſtien.ſeu Petr.Diac. ad Oſtien. lib.2. cap.84.* (4) *Idem ibidem cap. 87.* (5) *Anonym. pag. 15.*

„ citus fama conſternatos, per Nuncios ſubmiſſe rogaſſe pa-
„ cem; ſed hac a Leone exiſtimante ſe viribus ſuperiorem
„ recuſata, niſi illi Italia prorſus excederent, hocce duro
„ nimis reſponſo Northmannos offenſos, licet viribus longe
„ impares, communi vincendi aut moriendi conſilio deli-
„ beraſſe rem experiri prælio (1).

Verumtamen non metu, ſed fraude pacem a Northmannis fuiſſe petitam ſcribit Sanctus ipſe Pontifex Leo in epiſtola ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem: *Interea nobis*, inquit, *eorum* (Northmannorum) *pertinaciam ſalutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex adverſo omnem ſubjectionem ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum noſtrum aggrediuntur* (2). In eadem epiſtola fatetur S. Leo ſuas in Northmannos moviſſe copias, non ut conflictu, ſed ut minis & timore eos cogeret ad præſtanda, quæ debebant (3). Sed neque verum eſt Pontificium exercitum Northmannorum copiis extitiſſe ſuperiorem; nam, præter ea, quæ ex Leone Oſtienſi paulo ante retulimus, Sanctus Leo in laudata epiſtola ſcribit ſe properaſſe in Northmannos ſuffultum *Comitatu, qualem temporis brevitas & imminens neceſſitas permiſit* (4). Audi etiam Hermannum Contractum Auctorem ſynchronum: *Cumque ... Papa Leo vi & injuria raptas* (a Northmannis) *res S. Petri repoſceret, eoſque perperam pervaſo loco cedere juberet, illi*, QUIA NUMERO LONGE PRÆSTABANT, *quaſi rem impoſſibilem ſibi propoſitam reputantes, ſe potius bello obviam ituros, armiſque acquiſitam Patriam armis defenſuros, vel morte occubituros denunciant* (5).

Denique hujus belli finem ita deſcribit Anonymus, ut bellum idem a S. Leone adverſus Northmannos injuſte ſuſceptum, Cœlo ipſo vindice, videatur; nam ex Leone Oſtienſi loco cito ita ſubdit: *Omnibus tandem in ipſo certamine trucidatis, Northmanni Dei judicio extitere victores*. Concludit tandem „ Leonem IX. Pontificem obiiſſe quidem cum fama ſan-
„ ctitatis, non tamen propter hujuſmodi rem geſtam, ſed
„ propter multa, quæ jam moriturus edidit, pietatis & pœniten-

(1) *Anonym. pag.* 15. (2) *Apud Baron. ad an.* 1054. *num.*6. (3) *Apud Baron. ibid.* (4) *Apud eumd. ibid.* (5) *Herman. Contract. ad an.* 1052.

„ nitentiæ indicia, ac propter morum probitatem & candorem: literis enim mandatum eſſe, Petrum Damiani dicere ſolitum, quod ſicut Petrum adoramus, non quia Chriſtum negavit, ſed quia ipſum ejus negationis pœnituit, & propter alias præclaras ejuſdem virtutes, ſic & nos id ipſum pariter de hoc Sancto Pontifice ſentire debeamus (1).

Verum quod S. Leo juſtiſſimis de cauſis in Northmannos arma moverit, accipe primo ab Hermanno ſcribente, quod ipſimet Northmanni prius *Crebro indigenis contra Græcorum & Saracenorum invaſiones audacter præliando auxiliabantur. Sed poſtremo*, inquit, *omnia jura divina & humana permiſcentes, nec jam Apoſtolico Pontifici, nec ipſi Imperatori, niſi tantum verbo tenus, cedere volebant..... Cumque idem Papa* (Leo) *de Northmannorum violentiis & injuriis, qui res S. Petri, ſe invito, vi tenebant, multa conqueſtus eſſet, ad hos etiam inde propulſandos Imperator ei auxilia delegavit* (2). Accipe ſecundo ab ipſo S. Leone in laudata epiſtola ad Conſtantinum Monomachum: *Illa ſolicitudine*, inquit, *qua omnibus Eccleſiis debeo invigilare, videns indiſciplinatam & alienam gentem Northmannorum crudeli & inaudita rabie & pluſquam pagana impietate adverſus Eccleſiam inſurgere, paſſim Chriſtianos trucidare, & nonnullos novis terribilibuſque tormentis uſque ad defectionem animæ affligere: nec infanti, aut ſeni, ſeu fœmineæ fragilitati aliquo humanitatis reſpectu parcere, nec inter ſanctum & profanum aliquam diſtantiam habere, Sanctorum Baſilicas ſpoliare, incendere & ad ſolum uſque diruere, ſæpiſſime perverſitatem ejus redargui, commonui, obſecravi, prædicavi, opportune importuneque inſtiti, terrorem divinæ & humanæ vindictæ denunciavi. Sed quia, ſicut quidam ſapiens ait, nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit, & ſtultus verbis non corrigitur; adeo obſtinata & obdurata ejus malitia permanſit, ut de die in diem adderet pejora peſſimis. Unde non tantum exteriora bona pro liberatione ovium Chriſti cupiens impendere, ſed ſuperimpendi ipſe peroptans, viſum eſt mihi ad teſtimonium nequitiæ ipſorum nihil ſic expedire ad repreſſionem contumeliæ, quam humanam de-*

Dd 2

(1) *Anonym. a pag.* 15. *ad* 16. (2) *Herman. Contract. ad an.* 1052.

defenſionem undequaque attrahendam fore: audiens ab Apoſtolo Principes non ſine cauſa gladium portare, ſed Miniſtros Dei eſſe, vindices in ira omni operanti malum: & quia Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali, & Reges atque Principes miſſos a Deo ad vindictam malefactorum (1). Accipe demum ex iis, quæ Pontificii exercitus cædem conſecuta eſſe ſcribit Wibertus S. Leonis Archidiaconus & teſtis oculatus. Northmanni, ait, *Admirandam perpendentes confidentiam*, qua S. Pontifex, cognita ſuorum cæde, *quaſi Leo confidens abſque terrore per medium illorum tranſiit, mutatis animis, in ejus ſunt converſi obſequelam, cujus oſculantes veſtigia ſibi immeritam depoſcebant indulgentiam. Quibus Vir ſanctus pauca locutus pro tempore, ipſis deſervientibus, ſtuduit funera cæſorum honorifice procurari, tumulans ea in vicina Eccleſia ab antiquo diruta tempore. Et quoniam pro amore Chriſti, afflictæque gentis liberatione devotam mortem voluerunt ſubire, multiplicibus revelationibus monſtravit eos divina gratia in cæleſti Regno perenniter gaudere: nam & ipſi diverſis modis ſeſe oſtenderunt Chriſtifidelibus dicentes ſe non eſſe lugendos exequiis funebribus, immo in ſuperna gloria ſanctis conjunctos Martyribus. Ab iiſdem quoque illorum interfectoribus ſuper ipſos reſtructa venuſto opere Baſilica, ac Concione Dei ſervientium ibidem aggregata, omnipotentiſſima Dei virtus multa per eos exercet miraculorum inſignia. Ferociſſima vero gens Northmannorum his exterrita geſtis, crudelitate depoſita, populos, quibus cohabitabat, ex tunc ut compatriotas amicabilius tractavit, ac venerabili Papæ, quoad vixit, in omni ſubjectione fideliter deſervivit.* Ita Wibertus (2).

Hinc juxta humanum captum, conjicere poſſumus, quo *Dei judicio omnibus in ipſo certamine trucidatis*, ut ait Oſtienſis ſupra citatus, *Northmanni extitere victores*: a Deo videlicet id fuiſſe permiſſum, *Qui melius judicavit de malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere*, ut a S. Auguſtino edocemur (3). His vero quæ de bello S. Leonis IX. in Northmannos diſſeruimus, nihil contrarium refert ſive Leo Oſtienſis

(1) *Apud Baron. ad an. 1054. num. 5.* (2) *Wibertus in Vita S. Leonis IX. lib. 2. cap. 6. apud Henſchenium ad diem 19. Aprilis.* (3) *S. Aug. Enchirid. cap. 27.*

ſis lib. 2. cap. 46., ſive Petrus Diaconus ad Oſtienſem lib. 2. cap. 84., ſive Camillus Peregrinius in ſua Hiſtoria Principum Longobardorum pag. 266., qui Scriptores una cum locis modo indicatis ab Anonymo citantur (1). Si autem modo data reſponſio Anonymo non faciat ſatis, reſpondebimus, quod belli a S. Leone ſuſcepti in Northmannos injuſtitiam non magis probat infelix ejuſdem eventus, quam probet injuſtitiam bellicæ expeditionis a S. Ludovico Galliarum Rege, & alterius expeditionis a Principibus Chriſtianis, hortatore S. Bernardo, ſuſceptæ in Saracenos, infortunatus earumdem expeditionum exitus.

Porro S. Petrus Damiani ſugillavit, ſicut ab Anonymo refertur, in epiſtola ad Firminum * Epiſcopum eam S. Leonis expeditionem in Northmannos: ſed hoc egit eo ductus errore, quod in Eccleſia nullatenus ſit uterque gladius, ſed gladius tantummodo ſpiritualis in ipſius hoſtes exerendus; ideoque in hoc Petrum ipſum Damiani excuſare nec debemus, nec poſſumus, ſubſcribentes Baronio, qui multis agumentis Damiani ſententiam refellit (2).

* *Al. Firmanum.*

Hic obiter obſerva Leonem IX. Sanctum quidem dici ab Anonymo, ſed quia perperam exiſtimat ipſum pœnituiſſe eorum, quæ geſſit in Northmannos (3); Gregorium vero VII. & Pium V. ubi nominare contingit (4), nuſquam ille Sanctos appellat, quia videlicet ſcit ipſos nunquam pœnituiſſe eorum, quæ pro tuenda Eccleſiaſtica Libertate fortiter geſſerunt: quare, ne quid gravius dicam, quos ſuæ ſententiæ novit fuiſſe contrarios, Sanctos eos in ſuæ cauſæ præjudicium vocare veretur. Quod ſane non caret injuria in hos Sanctiſſimos Pontifices, quorum ſanctitatem & in defendendis Eccleſiæ juribus robur invictum in Eccleſiaſticis officiis Catholica celebrat & veneratur Eccleſia.

AR-

(1) *Anonym. pag.* 13. (2) *Baron. ad an.* 1053. *num.* 13. *& ſeqq.* (3) *Anonym. pag.* 16. (4) *Anonym. pag.* 16. 25. 32. 34.

ARTICULUS II.

De nutante penes Romanos Pontifices Beneventanæ urbis temporali dominio, & ejuſdem precaria poſſeſſione Anonymi ſententia expenditur & emendatur.

„ Beneventi dominium, inquit Anonymus, ſemper nutavit penes Romanos Præſules, cum ſæpe mutationem „ ſuſceperit, modo ad noſtros Reges revertens, modo ad illos „ regrediens juxta frequentes, quæ nunquam deerant inter „ utroſque diſſentiones: & ejus quidem urbis poſſeſſio penes „ eoſdem Pontifices precaria ſemper extitit, utpote quæ a „ noſtrorum Regum arbitrio pendebat, qui eam illis modo „ eripiebant, modo reſtituebant (1).

Titulo permutationis, de quo ſupra egimus, temporale Beneventi dominium tranſiſſe ad Romanam Eccleſiam ipſemet fatetur Anonymus, qui & refert ejus urbis poſſeſſionem a Romana Eccleſia nonniſi poſt Pandulphi poſtremi Principis obitum fuiſſe acquiſitam (2). At verius ſcribit Jannonius hujuſmodi poſſeſſionem accidiſſe poſt mortem Landulphi VI. Beneventani Principis Pandulpho filio uſque ad annum 1077. ſuperſtitis (3). Hinc ad rem noſtram idem legitimum Beneventi dominium, quod ſine poſſeſſione ejus urbis tranſiit in Romanam Eccleſiam, penes hanc ſtetit ſemper immotum, licet nonnulli ex Regibus Neapolis, qui omnes Regnum illud, præter Beneventum, a Sede Apoſtolica tributarium acceperunt, Beneventum ipſum iniquis armis non ſemel invaſerint, ac etiam cœperint. Non enim legitimum alicujus civitatis dominium tranſit in iniquum invaſorem; nec juſtus eſſe poteſt dominatus, quem non jus, ſed ſola vis & injuria pariunt. *Porro Principes opinionem veritati anteponentes nihilo plus poſſunt, quam latrones in ſolitudine*, ut ad Antoninum Pium olim ajebat S. Martyr Juſtinus (4). Quocirca propter frequentes inter Pontifices Romanos & Neapolitanos Reges diſſenſiones, ad

(1) *Anonym. pag. 19.* (2) *Anonym. pag. 16.* (3) *Petrus Jannon. Hiſt. Civil. lib.* x. *cap.* 4. (4) *S. Juſtin. Apol.* 2.

ad hos legitimum Beneventi dominium, quo ſaltem poſt Henricum agnomine Nigrum nunquam potiti ſunt, regredi nullatenus potuit, cum cauſæ juſtitiam ſemper ſtetiſſe pro Romanis Pontificibus, earumdem diſſentionum exitus comprobaverit, ut paulo inferius videbimus.

Perperam quoque dictum eſſe ab Anonymo, quod Beneventi poſſeſſio penes Romanos Pontifices precaria ſemper extiterit, probe intelliges, ſi *Precarii* notionem obſerves. *Precarium quippe eſt*, ait Ulpianus, *quod precibus petenti utendum conceditur tandiu, quandiu is, qui conceſſit, patitur* (1). Num precibus petenti alicui ex Romanis Pontificibus ad utendum conceſſa eſt Beneventana civitas a Regibus Neapolis tandiu, quandiu hi, qui conceſſerunt, paterentur; & non potius cuique ex Neapolis Regibus precibus petenti conceſſum eſt jure fiduciario Regnum illud, Benevento excepto, a Romanis Præſulibus? Num eiſdem Neapolitanis Regibus licuit aliquàndo Beneventum ipſum pro libito adimere & reſtituere Pontificibus Summis, quos illi in pactis etiam juramento firmatis, veros & ſolos agnoverunt ejus urbis Dominos & poſſeſſores? Sed jam videamus, quibuſnam ſuam Anonymus ſententiam documentis ſuadere conetur.

„ Quamvis, inquit, Romani Pontifices in Beneventi
„ poſſeſsionem a Roberto Guiſcardo immiſſi fuerint, Roge-
„ rius tamen I. Siciliæ Rex eam ipſis urbem rurſus eripuit,
„ ſicut & Guillelmus II. (2).

Ante reſponſionem prænotandum eſt, quod S. Leo IX. poſt obſequia ſibi a Northmannis præſtita, *Omnem terram, quam pervaſerant, & quam ulterius verſus Calabriam & Siciliam lucrari poſſent de S. Petro hæreditali feudo Umfredo Northmannorum Duci, & hæredibus ſuis poſſidendam conceſſit*, ut ſcribit Malaterra (3), cujus perſpicuum teſtimonium, etſi a Jannonio in alium ſenſum perperam detorqueatur (4), manifeſte oſtendit Apuliæ Calabriæ & Siciliæ regiones, etiam antequam a Northmannis occuparentur, ad ſupremum Apoſtolicæ Sedis pertinuiſſe dominium. Subinde Nicolaus II. *Ro-*

(1) *L.1. ff. de Precario*. (2) *Anonym. pag. 19.* (3) *Malater. lib.2. cap.14.* (4) *Jannon. lib. IX. pag 47.*

Roberto Guiſcardo Ducatum Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ confirmavit, cum juramento fidelitate Romanæ Eccleſiæ ab eo primo recepta, necnon inveſtitione cenſus per ſingulos annos per ſingula boum paria denariis duodecim (1). Beneventum tamen ſibi retinuit Nicolaus, ut alibi diximus (2). Poſtmodum inter S. Gregorium VII., & Landulphum poſtremum Beneventi Principem convenit, ne hic cuiquam ejus urbis inveſtituram tribueret; ſin minus, Principatus honorem amitteret. Hujus conventionis literas habes apud Baronium (3). Demum Landulpho vita functo ſine liberis, Robertus Guiſcardus, inter quem & S. Gregorium VII. Pontificem nova diſſidia emerſerant, Beneventi urbem obſidione cinxit, ut eam ſuæ dominationi ſubjiceret. At Jordanus Capuæ Princeps, qui pro Pontifice ſtabat, Roberti copias ab ea obſidione recedere coegit. Quare idem Robertus ſuaſu Deſiderii Caſsinenſis Abbatis cum Pontifice pacem iniit, a quo anathematis vinculo exſolutus, ab ulteriori Beneventi obſidione deſtitit (4): unde poſt Landulphi *obitum recta eſt hæc civitas per Romanam Eccleſiam*, ut habet antiquus Codex Vaticanus (5). Cum itaque res ita ſe habuerint, ſicut retulimus, judicet modo æquus Lector, num Robertus Guiſcardus Romanos Pontifices in Beneventi poſſeſsionem immiſerit, ut ſcribit Anonymus, an potius Romani Pontifices eumdem Robertum in legitimam Apuliæ & Calabriæ, & ſeipſos in ſibi debitam ejuſdem urbis poſſeſsionem immiſerint.

Nunc de Rogerio, de quo & alibi diximus (6). Hic victoriis elatus, nec ſolo jam Comitis & Ducis titulo contentus, ab Anacleto Antipapa Regium nomen obtinuit (7); cumque Innocentio II. legitimo Pontifici eſſet infenſus, Beneventanos eidem devotos victricium terrore armorum ad deditionem compulit, & ad obſequium Anacleto præſtandum (8). At hujus facti & aliorum, quæ adverſus Innocentium perpetrarat, tandem pœnitens Rogerius, veniam ab eo petiit, Bene-

(1) *Leo Oſtien. ſeu Petr. Diac. ad Oſtien. lib. 3. cap. 16.* (2) *Part. 1. art. 6.* (3) *Baron. ad an. 1073. n. 57.* (4) *Jannon. lib. X. pag. 78.* (5) *Apud Camillum Peregr. in Hiſt. Princip. Longobar. cit. ab Anonym. pag. 17.* (6) *Part. 1. art. XV.* (7) *Petr. Diac. ad Leon. Oſtien. lib. 4. cap. 97.* (8) *Jannon. lib. XI. pag. 162.*

neventum ipſi reſtituit, necnon fidelitatis & annui cenſus juramentum præſtitit: atque verſa vice Innocentius neceſſitate compulſus, (nam per inſidias captus a Rogerio (1) tunc temporis captivus detinebatur) eumdem Rogerium excommunicationum vinculis abſolvit, ipſique Siciliæ Regnum, Apuliæ Ducatum, Principatum Capuæ, tradito, ut moris erat, S. Petri vexillo, conceſſit, eumque Regis titulò, & inſignibus decoravit (2).

Modo ſermo ſit de Guillelmo non II., ſed I., ut ſcribit Jannonius (3), cognomento Malo, de quo alibi identidem ſermonem habuimus (4). Hic profecto Hadrianum IV. Beneventi obſedit, ſed eam urbem minime cœpit; pacem tamen extorſit: quare idem Pontifex Guillelmum ipſum in Eccleſia S. Marci, ſive S. Martini extra Beneventi mœnia ad ſuos pedes provolutum a cenſuris Eccleſiaſticis abſolvit, eumdemque poſt præſtitum fidelitatis & annui cenſus ſacramentum, Siciliæ Regem, Apuliæ Ducem, & Capuæ Principem conſtituit (5).

Pergit Anonymus. „ Sub Regibus Svevis, ſpeciatim „ ſub Friderico II. Imperatore & Rege Manfredo, prout „ bellorum & diſſidiorum occaſiones ferebant, ſæpiſſime Be„ neventana civitas paſſa eſt eaſdem mutationes & vices (6).

Quis in Apoſtolicam Sedem, Romanoſque Pontifices fuerit Fridericus Imperator, quis Manfredus Rex ejuſdem nothus, norunt omnes, qui germanas illorum temporum Hiſtorias perlegerunt vel audierunt. Quod itaque hi Principes per ſummam injuriam & tyrannidem Beneventum non ſemel occupaverint, id nec legitimum ejus urbis dominium mobile reddidit penes Romanos Præſules, nec precariam poſſeſſionem: ſicut non idcirco mobile evaſit penes eoſdem Pontifices dominium, & precaria poſſeſſio Marcæ Anconitanæ, Spoleti, Viterbii & aliarum Eccleſiaſticæ ditionis urbium, quod eas Fridericus pari modo pervaſerit (7). Cæterum ſatis

Ee ſit

(1) *Franciſc. Pag. Brev. Geſt. Pontif. Rom. in* Innocentio II. *num.74.* (2) *Jannon. lib. XI. pag.166.* (3) *Jannon. lib. XII. pag.228.* (4) *Part.1. art.XV.* (5) *Franciſc. Pag. ubi ſupra in* Hadriano IV. *n.15. Jannon. lib. XII. pag.257.* (6) *Anonym. pag.19.* (7) *Jannon. lib. XVII. pag.435.*

ſit ea recolere, quæ alibi de Friderico diximus (1).

Manfredus vero, quem nunquam uti Regem Romani Pontifices agnoverunt, ſub Innocentio IV., Alexandro IV., Urbano IV., Clemente item IV. res Eccleſiæ multis modis afflixit. Quamobrem Alexander primum, dein Urbanus eum uti tyrannum, Saracenorum ritibus utentem, de hæreſi ſuſpectum, & Eccleſiæ hoſtem, necnon aliorum criminum reum declararunt, atque anathematis vinculo obſtrinxerunt (2). Demum cum ſuis adverſus Carolum Andegavenſem copiis, quem Urbanus IV. evocaverat & utriuſque Siciliæ Regem conſtituerat, in agro Beneventano deſperatis rebus ferociter dimicans occubuit (3). Ejus cadaver poſt tertium a cæde diem repertum, utpote quod ſepultura Eccleſiaſtica indignum reputatum eſt, prope Beneventum in fovea tumulatum fuit, & ab unoquoque milite victoris exercitus ſaxo uno obrutum; non quidem ut ſaltem in illo lapidum acervo ejus ſepulchri memoria extaret, neque ut oſſa cuſtodirentur, quemadmodum interpretatur Jannonius eximius Manfredi Encomiaſtes (4), ſed ut poſteri ſcirent, quanta dignus fuerit infamia & execratione Manfredus, cujus cadaver vel in tumulo ab univerſo exercitu lapidibus impeti meruiſſet. Brevis tamen fuit cadaveri Manfredi in illo ſepulchro, quamquam ſuperinjectis lapidibus obſito, mora & quies, nam & inde paulo poſt exhumatum, & ad ripam fluvii *Viridis*, nunc *Marini*, imbribus ventiſque expoſitum ita evanuit, ut nullum illius regionis accolis ſui veſtigium reliquerit (5).

„ Et quamvis, pergit Anonymus, ſub Regibus Ande-
„ gavenſibus eadem Beneventi civitas aliquandiu conquie-
„ verit, nihilominus poſtquam Aragonii Principes Regno
„ potiti ſunt, magnanimus Rex Alphonſus, cum duos Pon-
„ tifices ſibi infenſos habuerit, Beneventum per vim cœpit,
„ nec de eo reſtituendo prædeceſſorum more Regum, cogi-
„ tavit; quinimmo generalia Comitia a Regni Proceribus ibi
„ habenda ſemel indixit; & in pacis fœdere inito cum Papa
„ Eugenio, prætenſæ reſtitutioni, de qua multa tunc habita

quæ-

(1) *Part. 1. art. XV.* (2) *Jannon. lib. XIX. pag. 512. & 513.* (3) *Franciſc. Pag. Brev. Geſt. Rom. Pontif. in* Clemente IV. *n. 10.* (4) *Jannon. lib. XIX. pag. 527.* (5) *Jannon. ibid. pag. 528.*

„ quæſtio, non eſt Rex aſſenſus, ſed Beneventum retinuit, „ quoad vixit Alphonſus: nec poſt ejus obitum Romanæ „ Eccleſiæ reſtituta eſt ea civitas, ſed Ferdinandus I. ejus „ ſucceſſor longo temporis intervallo illam quoque retinuit, „ uſquedum poſt varias cum Pio II. habitas tractationes eam „ ipſi non reſtituerit (1).

De Benevento ab Alphonſo Rege capto, (qui certe ob id non magnanimi Regis, ſed iniqui uſurpatoris nomen meretur) eodemque retento, ac tandem a Ferdinando reſtituto, ea recolere ſufficiat, quæ alibi ex Raynaldo exſcripſimus (2). Si quis autem ampliorem hujus rei notitiam cupit, eumdem Scriptorem conſulat.

„ Verum, ſubdit Anonymus, quando Paulo IV. mens „ incidit inferendi bellum Philippo II. eo fine, ut Regnum occuparet, Dux Albanus nedum Beneventum per vim cœpit, „ ſed ex campano ære Eccleſiarum ac Monaſteriorum ejus urbis tormenta bellica conflari juſſit, quibus opportune uſus eſt „ in illa expeditione adverſus Romanam ditionem; nec fuit „ ea civitas Pontifici reddita, niſi poſt pacis fœdus deinde „ initum, Venetis conciliatoribus & ipſis etiam Cardinalibus, ut hi nimirum incendium illud extinguerent, quo do- „ mum propriam conflagrari conſpiciebant (3).

Belli hujus, cujus ſuſcipiendi adverſus Philippum II. juſta cauſa Paulo IV. non defuit, hic demum fuit exitus. Nomine Pontificis Carolus Caraffa S. R. E. Cardinalis, nomine vero Philippi Regis Ferdinandus Dux Albanus, qui & Prorex Neapolis erat, convenientes confecerunt pacis leges, iiſque ſubſcripſerunt, inter quas 1. ea fuit, ut idem Dux Albanus Romam accederet, demiſſi animi obſequia præſtaret Pontifici, geſtorumque veniam poſtularet: & viciſſim Pontifex Philippum uti obſequentiſſimum filium paterna benignitate complecteretur, & Neapolitano Regno, a quo illum excidiſſe ipſemet Pontifex antea declaraverat, reſtitueret. 2. Conventum fuit, ut Eccleſiaſticæ ditionis capta oppida reſtituerentur Pontifici, & utrinque capta tormenta bellica redderentur (4). Jannonius

(1) *Anonym. a pag.* 19. *ad* 20. (2) *Part.* II. *Art.* XVII. (3) *Anonym. pag.* 20.
(4) *Apud Raynald. ad an.*1557. *num.*14.

nius addit identidem fuiſſe decretum, ut pro ære campano a Beneventanis Eccleſiis abducto & in tormenta bellica conflato juſtum pretium ſolveretur (1); ut videlicet in hujuſce pretii ſolutione elucens pœnitentia ſacrilegum furtum aboleret, & inſimul Eccleſiarum ac Monaſteriorum indemnitati foret conſultum.

Hæc, de quibus hactenus, ea Facta Hiſtorica ſunt, quibus Anonymus demonſtrare contendit temporale Beneventi dominium mobile ſemper extitiſſe penes Romanos Pontifices, ejuſque Urbis precariam poſſeſſionem, ut inde argumentum conficiat adverſus Archiepiſcopatus Beneventani Libertatem. Verum ſicut ex paulo ante narratis factis, nimirum ex ſola vi & injuria non plus temporalis legitimi juris acquiſiverunt prædicti Reges in Beneventi urbem, quam in alias Pontificiæ ditionis civitates ab ipſis, fervente bello, captas; ſic tanto minus quid juris acquirere potuerunt in Eccleſiam, ſeu Beneventanum Archiepiſcopatum, qui ut talis, totus eſt ſpiritualis & Eccleſiaſtici Juris.

ARTICULUS III.

Quinam conſtituti olim fuerint Beneventanæ civitati fines.

QUandoquidem Anonymus ſæpiſſime nobis objicit iis anguſtiis concludi Beneventanæ urbis limites, ut idem propemodum ſit e Beneventi mœniis pedem efferre, ac illum inferre in Regni ditionem (2), non abs re factum puto hic breviter inquirere, quinam olim legitima auctoritate fuerint eidem Urbi conſtituti fines; non enim veroſimile videtur, quod Romani Pontifices, qui, Regno Neapolis in feudum conceſſo, Beneventum ſibi retinere conſueverunt, congruo eam Urbem territorio deſtitutam voluerint.

Nemo profecto in dubium revocat Summos Pontifices, cum Neapolis Regnum Northmannis & Svevis Principibus ſtipendiarium addixerunt, excepiſſe ab ejuſmodi conceſſione Beneventum; ſed nemo item ſcriptum reliquit, quinam præſtituti fuerint Benevento limites.

Caro-

(1) *Jannon. lib.* XXXIII. *pag.* 160. (2) *Anonym. pag.* 11. 12. 17. 19. 26. 28. 36.

Carolus I. Andegavenſis, cum juramentum fidelitatis Clementi IV. præſtitit juxta formam ſibi ab eodem Clemente præſcriptam, quæ indicatur ab Oderico Raynaldo (1), hiſce verbis uſus eſt: *Eidem Domino Papæ, ejus ſucceſſoribus, ac Romanæ Eccleſiæ ligium homagium facimus pro Regno Siciliæ, ac tota Terra, quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia Terrarum ipſius Eccleſiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis &c.* Sed quodnam fuerit hujuſmodi *territorium*, quinam *diſtrictus*, quænam Beneventanæ civitatis *pertinentiæ*, nec Clemens, nec Carolus expreſſit.

Clemens tamen VI. in Pontificio diplomate, quod incipit: *Urget nos*, Avenione VII. Kal. Junii anno nono ſui Pontificatus exarato, Beneventi territorium & fines diſtinxit, eamque territorii & finium diſtinctionem confirmavit in alio diplomate dato ad Archiepiſcopum Beneventanum eodem anno v. Kal. Septembris. Utrumque diploma cura Cardinalis Urſini, qui poſtea Benedictus XIII. Pontifex Maximus, e Vaticano Authographo exſcriptum legere eſt apud Ughellum (2). Sit itaque operæ pretium eam hic referre rerum ſeriem, quæ in prædictis diplomatibus continentur.

I. In prædicto Pontificio diplomate, quod incipit: *Urget nos*, Clemens VI. narrat, quod *Clemens IV. in conceſſione per ipſum facta ſub certis pactis, modis & conditionibus Carolo Comiti Provinciæ & Andegaviæ de Regno Siciliæ & Terris citra Pharum uſque ad confinia Romanæ Eccleſiæ, expreſſe & nominatim excepit, & a prædicta conceſſione excluſit civitatem Beneventanam, quam in ſignum directi & majoris dominii Regni & Terrarum prædictarum ſibi & præfatæ Romanæ Eccleſiæ retinebat cum toto ejus tenimento, diſtrictibus & pertinentiis ſuis diſtinguendis & limitandis per Romanum Pontificem pro ejus beneplacito voluntatis, cui diſtinctioni & limitationi ſemper bona fide faciendis ipſe Carolus & ſucceſſores ſui ſtare deberent abſque contradictione quacumque, prout ipſa diſtinctio per Apoſtolicas literas apparet. Quam civitatem*

(1) *Apud Raynald. ad an.1253. num.3. & 1265. num. 16.* (2) *Ital. Sac. tom.8. de Archiepiſc. Benevent. in addit. ſub initium.*

Digitized by Google

tem Beneventanam cum toto tenimento & diſtrictibus, ut præmittebatur, voluit ſolum & in ſolidum ad jus & proprietatem in dominio & demanio Romanæ Eccleſiæ manere, ut nec Reges Siciliæ, nec quicumque alii in dicta Civitate & ipſius territorio & pertinentiis poſſent ſibi jus aliquod quomodolibet vindicare, acquirere, recipere, vel habere, ſeu etiam retinere, prout in literis Apoſtolicis dictæ conceſſionis ſuper hoc confectis, ac Regum aurea Bulla impreſſa, typario communitis dicti Caroli & omnium ſucceſſorum ſuorum ſuper receptione homagii, & præſtatione juramenti & vaſſallagii, in quibus tenor conceſſionis prædictæ cum ſuis pactis, modis & conditionibus inſeritur, latius continetur.

II. Narrat idem Clemens, quæ ejus prædeceſſores, & ipſemet geſſerint pro Beneventi finibus diſtinguendis; nec tamen, nunc uno, nunc alio impedimento emergente, ad diſtinguendos reipſa dictos fines ventum fuerit.

III. Subdit idem Pontifex: *At nos nolentes quod negotium prædictum tanto tempore periculoſe dilatum ulterius retardetur, informationes prædictas* (verſantes videlicet circa prædictos fines, quas Legatus Apoſtolicæ Sedis Anibaldus Epiſcopus Tuſculanus juſſu ipſius Clementis collegerat) *per aliquos ex Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus videri & examinari fecimus diligenter, nihilominus mandantes eiſdem, quod ex ſuperabundanti ſe, per teſtes idoneos finium prædictorum notitiam habentes, de prædictis amplius informarent.*

IV. Denique ſic decernit: *Facta itaque nobis per eos de prædictis informationibus relatione fideli, de Fratrum Noſtrorum conſilio ordinavimus & declaravimus fines, ſeu limites, tenimentum & diſtrictum, ſeu territorium civitatis Noſtræ prædictæ Beneventanæ exiſtere & eſſe debere, ut ex certa ſcientia limitamus per modum & terminos infraſcriptos. In primis caſtrum Pontis inhabitatum, & inde aſcendendo caſtrum Caſacalvi, caſtrum Campilactarii, caſtrum Fragneti Montisfortis, caſtrum Fragneti Abbatis, caſtrum Montisleonis, caſtrum S. Severi, caſtrum S. Georgii Molinarii, caſtrum S. Andreæ de Molinaria, caſtrum Petræmajoris, caſtrum Padulæ cum ſuo ſuburbio, ſeu caſale S. Archangeli, caſtrum*

ſtrum Montiſmali, caſale Timplani, caſtrum Apicii cum caſalibus, caſtrum Morroni, caſtrum Venticani, caſtrum Montis Militum, caſtrum Montis Aperti, caſtrum Montisfuſculi cum caſalibus, caſtrum Tuſi, caſtrum Altavillæ, caſtrum Capellani, caſtrum Petræ Sturmini, caſtrum S. Martini, caſtrum Cervinariæ, caſtrum Montis Sarculi, caſtrum Tocci cum caſalibus, caſtrum Terlitoſi cum caſali Papirii & aliis caſalibus. Volumus itaque, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod omnia caſtra, caſalia & loca ſupradicta cum ſuis territoriis & pertinentiis univerſis, ac etiam caſtra, caſalia & loca omnia cum ſuis pertinentiis & alia quæcumque, quæ intra dicta caſtra, caſalia & loca, & eorum limites & pertinentias, dictamque civitatem Beneventanam includuntur, ſeu continentur quomodolibet, vel exiſtunt, de territorio, tenimento & diſtrictu dictæ civitatis Beneventanæ eſſe perpetuo irrefragabiliter abſque cujuſvis contradictione & impedimento, & infra dictum territorium exiſtere cenſeantur: quæ caſtra, caſalia & loca cum omnibus caſtris & locis ſupradictis ad jus in perpetuum Romanæ Eccleſiæ pertineant pleno jure, hoc ſalvo, quod ſi aliqui Nobiles, vel alii in caſtris, caſalibus, locis & aliis prædictis, vel intra ea & civitatem prædictam aliquas proprietates habeant acquiſitas legitime, per hoc eis non intendimus derogare. Nulli ergo &c.

In altero ejuſdem Clementis VI. diplomate, quod proſtat ad Archiepiſcopum Beneventanum, diploma primum integrum refertur, cujus ſubinde publicationem & executionem eidem Archiepiſcopo committit & mandat Pontifex; ſiquidem poſt illa poſtrema verba: *Non intendimus derogare*, ita proſequitur: *Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vel per te, vel per alium, ſeu alios ordinationem, declarationem, limitationem, & Decretum noſtra hujuſmodi debitæ executioni demandans, ea ubi & quomodo expedire videris, ſolemniter publicare procures, atque facias ab omnibus inviolabiliter obſervari, inducens dilectum filium Rectorem civitatis Noſtræ prædictæ, ſeu ejus Locumtenentem, aut alium Noſtri, & Eccleſiæ prædictæ nomine in corporalem poſſeſſionem omnium prædictorum, & defendens*

dens inductum, ſibique, & univerſis & ſingulis dictorum Locorum Vaſſallis, & incolis obedientiam & reverentiam, aliaque ab ipſis & in eiſdem Locis eidem Eccleſiæ debita exhibere: Contradictores & rebelles cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & præeminentiæ fuerint, etiam Pontificali, Regali aut quavis alia fulgeant dignitate, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus &c.

Conſtat igitur ex prædictis diplomatibus ſatis amplum Beneventanæ urbi olim deſignatum fuiſſe territorium, quale nimirum expoſcebat cum dignitas Civitatis, quæ Longobardorum Principum Sedes fuit, tum providentia Apoſtolicæ Sedis, quæ eamdem Urbem in mediis Regni conceſſi *in feudum* viſceribus collocatam ſibi ſemper retinuit. Quod ſane territorium vel Summorum Pontificum indulgentia, ſeu verius patientia, vel poteſtate Neapolitanorum Regum, ideſt non jure prævalente, ſed facto, ad hodiernas anguſtias redactum eſſe putamus.

Cætera, quæ ad rem præſentem pertinent, omitto contentus ſubjicere unam juramenti particulam, quo ſe obſtrinxit Ferdinandus Catholicus, quando a Julio II. Regnum Neapolis tributarium accepit: *Ego Ferdinandus*, inquit, *Dei gratia Rex Siciliæ citra Pharum & Jeruſalem plenum homagium, ligium & vaſſallagium faciens vobis Domino Noſtro, Domino Julio Papæ II. & Eccleſiæ Romanæ pro Regno Siciliæ & Jeruſalem ac tota Terra quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia terrarum ipſius Eccleſiæ, excepta civitate Beneventana ac toto territorio, ac omnibus diſtrictibus ea pertinentiis* SECUNDUM ANTIQUOS FINES *territorii, pertinentiarum & diſtrictus Civitatis ejuſdem per Romanum Pontificem diſtinctos & in poſterum diſtinguendos, ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero B. Petro, & vobis Domino Julio Papæ II. veſtriſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus &c.* (1). Hac autem Juramenti formula uti etiam conſuverunt illi, quibus poſt Ferdinandum Neapolis Regnum Sedes Apoſtolica fiduciario jure conceſſit.

A R-

(1) *Apud Raynal. an. 1510. num. 27.*

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De electionibus Romanorum Pontificum Anonymi ſententia exploditur.

Electiones omnes Romanorum Pontificum, quæ ab ævo S. Gregorii II. & Leonis Iſaurici Orientis Imperatoris uſque ad tempora S. Gregorii VII. & Henrici IV. Imperatoris Occidentis contigerunt, contendit Anonymus ſervituti Cæſarei aſſenſus fuiſſe ſubditas, ut inde argumentis pro cauſa ſua allatis majus robur adjiciat, ſicut ſuo loco vidimus (1). Nos eas omnes electiones diſtinctas in claſſes juxta ordinem temporum, prout eædem ab ipſomet Anonymo referuntur, ſub diſtinctis numeris exhibebimus, ſingulas pedetentim excutiemus, & a Cæſarei aſſenſus jugo liberas plerumque fuiſſe demonſtrabimus.

I.

De electionibus Romanorum Pontificum, quæ peractæ ſunt a tempore Leonis Iſaurici uſque ad Caroli Magni ætatem.

„ Qui Curiæ Romanæ, inquit Anonymus, maxime ad„ dicti ſunt Scriptores, temporale Urbis dominium a „ Leonis Iſaurici & Gregorii II. temporibus, circa an„ num videlicet 727. in Romanos Pontifices tranſiſſe docent. „ Verum tamen eſt, quod qui eidem Leoni ſucceſſerunt „ uſque ad Carolum Magnum, Orientis Imperatores ea ſibi „ jura retinuerint, quibus eorum deceſſores potiti fuerant in „ Romanorum Pontificum electiones: neque ſine eorum aſ„ ſenſu in Romana Cathedra Electus collocari poterat (2).

Quid ſentiendum ſit de juribus in electiones Summorum Pontificum, quæ Græcis Imperatoribus perperam Anonymus adſtruit, alibi docuimus (3): de tempore tranſlati civilis dominatus Urbis Romæ in Romanos Pontifices in ſequenti articulo aliqua dicemus. Diſcutiendæ modo ſunt Pontificiæ electio-

(1) *Part. 1. art.* XVIII. (2) *Anonym. pag.* 23. (3) *Part. 1. art.* XVIII.

ctiones ſub Leone Iſaurico uſque ad Carolum Magnum,ut appareat falſo falſius eſſe, quod Anonymus verum eſſe ſcribit.

Porro ab anno 717. quo Leo Iſauricus Imperium auſpicatus eſt, ad annum 800. quo Carolus Magnus Occidentalis Imperii coronam accepit, octo Pontifices electi ſunt, videlicet S.Gregorius III. S.Zacharias, Stephanus II. (hic ante ordinationem vita exceſſit) Stephanus III. S.Paulus I. Stephanus IV. Hadrianus I. & S.Leo III., qui & ſine prævio Græci Imperatoris conſenſu Apoſtolico Solio inſederunt, ſi unum Gregorium III. excipias, cujus confirmatio, ut placet Franciſco Pagio (1) contra Lupum, qui Eccleſiam Romanam ab hac ſervitute ſub S. Gregorio II. liberatam ſcribit (2), ad hujuſmodi abuſus cumulum ab Exarcho Ravennæ petita eſt. Siquidem breviſſimum quatuor dierum intervallum, utroque extremo incluſo, quibus expletis, poſt obitum Gregorii III. Zacharias in ejus locum ordinatus eſt, oſtendit nec expetitam fuiſſe, nec expectatam ab Exarcho confirmationem. Id ipſum vero contigit in ordinatione ſucceſſorum Zachariæ; in cujus proinde electione ab ea ſervitute Cæſareæ per Exarchum confirmationis Eccleſia Romana abſoluta eſt, ut ab eodem Pagio obſervatur (3).

Hic advertere juvat, quod quo anno, nimirum 741. Conſtantinus Copronymus Leonis Iſaurici ſucceſſor capeſſivit Imperium, eodem Zacharias iniit Pontificatum (4). Eo autem tempore propter adventum Longobardorum res Græcorum Cæſarum in Italia cadebant, itaut Zacharias a Luitprando Rege petierit atque obtinuerit, ne Ravennam obſideret, neve Ravennatum Provinciam opprimeret, ſed ut ablatas civitates reſtitueret (5). At quid demum? „ Non eſt opus, inquit de Marca, verborum circuitu. Pippinus non ſolum
„ Provincias Ravennæ ſubjectas, ſed etiam omnem Exarchorum dignitatem & Imperium Romanæ Sedi contulit, quod
„ Romanæ quoque Civitatis adminiſtrationem complectebatur, quæ ſummæ Exarchorum juriſdictioni parebat (6) „.

Adſti-

(1) *Franciſc. Pag. Brev. Geſt. Pontif. Rom. in* Gregorio *III. num.2.* (2) *In Differt. de Reg. Nominat. cap.2. ſub initium.* (3) *Pag. ibid. in* Gregorio *III. num. 3. & in* Zacharia *num. 1.* (4) *Franciſc. Pag. tom. 1. Brev. in Indice Chronol. Rom. Pontif. & Impp. Orientis.* (5) *Anaſt. Biblioth. in* Zacharia. (6) *Marca Concord. lib.3. cap.XI. num.6.*

Adſtipulatur Antonius Pagius, dum ſcribit, quod „ Romani „ ab eo tempore, quo Pippinus Exarchatum Ravennæ Principi Apoſtolorum, ejuſque ſucceſſoribus conceſſit, Conſtantini Copronymi Imperatoris hæretici, qui eos adverſus „ Longobardos defendere non poterat, dominationem penitus excuſſere, & Rempublicam inſtituere, cujus Caput „ Romanus Pontifex, defenſor vero, ac protector Pippinus „ Francorum Rex dicti ſunt (1).

Quæ cum ita ſe habeant, oſtendat quæſo Anonymus, quomodo verum ſit ſub Leone Iſaurico ejuſque ſucceſſoribus uſque ad Carolum Magnum, neminem electum in Romanum Pontificem potuiſſe in ea Sede collocari ſine conſenſu Orientalium Imperatorum? Num hi Imperatores, qui tres numerantur, videlicet Conſtantinus Copronymus, Leo IV. & alter Conſtantinus cum matre Irene, amiſſo jam Ravennæ Exarchatu, Pontificias electiones per Exarchum approbare de more perrexerint? Sed jam quale ſit Anonymi circa ſequentes electiones judicium, audiamus.

II.

De Electionibus Romanorum Pontificum ſub Imperio Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii & Ludovici II.

„ Scriptores alii æquiores, inquit, dominium Urbis in „ Romanum Pontificem translatum fuiſſe ſentiunt Caroli Magni temporibus: attamen & id quoque certum eſt, „ non minus a Carolo Magno, quam ab ejus ſucceſſoribus Ludovico Pio & Lothario, ejuſdem juris poſſeſſionem fuiſſe „ retentam, videlicet, ut Pontificiæ electionis a Clero, Populoque peractæ decretum ad Imperatorem mitteretur, „ qui ſi illud approbaret, electus conſecraretur. Et quantumvis Ludovicus per ſua Capitularia electionibus nedum „ Paparum, ſed omnium Epiſcoporum libertatem reſtituerit, „ non propterea *Aſſenſui* derogavit, approbationique Principis; nam ſemper ab eo fuit aſſenſus expetitus, nec ipſemet „ ſine ſuo conſenſu conſecrationem fieri permittebat, quemadmo-

(1) *Apud Franciſc. Pag. ibid. in Stephano II. num.20.*

„ madmodum poſt annum 820. accidit in electione Grego-
„ rii IV., qui non prius ordinatus eſt Summus Pontifex, quam
„ ejus electionem Cæſaris Legatus Romam veniens exami-
„ naſſet .... cum & illud certum ſit, non ſolum a Ludovi-
„ co, ſed etiam a Lothario ejus Filio & a Ludovico II. ejus
„ nepote confirmatos eſſe, quotquot eorumdem ætatibus
„ electi ſunt, Romanos Pontifices, ſicut oſtendit Petrus de
„ Marca Archiepiſcopus Pariſienſis, *Concord. Sac. & Imp.*
„ *lib.* 8. *cap.* 14. (1).

Ita Anonymus, quem miror adeo allucinatum eſſe, ut ſcripſerit Pontificiarum electionum decreta ad Carolum Magnum fuiſſe miſſa, ut ea approbaret. Carolus enim Imperator alicujus Romani Pontificis electionem ita non approbavit, ut neque approbare potuerit, cum anno 800. a Leone III. corona ejus capiti impoſita Imperator renunciatus, anno 814. ſub eodem Leone e vivis exceſſerit (2).

Neque dici poteſt, quod idem Carolus, antequam coronatus eſſet Imperator, Pontificias electiones confirmaverit; nam id ſemper fuiſſe contra Caroli morem ſcribit Marca (3), & luculentis oſtendi poteſt argumentis petitis ab electionibus Pontificum, quæ ætate Caroli acciderunt. Etenim Leo III. poſtridie mortis Hadriani I., ipſaque ejus ſepulturæ die *Electus, & in Sede Apoſtolica ordinatus eſt*, ut ait Anaſtaſius (4); quo tempore Carolus degebat in Galliis, vel ſaltem extra Italiam, ut conſtat ex ejus epiſtola ad eumdem Leonem (5). Hadrianus vero I. poſt octo dies a morte Stephani III., alias IV. Pontifex ordinatus fuerat anno 772., ut oſtendit Pagius junior (6), degente pariter Carolo in Galliis, vel certe extra Italiam, quo tandem adventavit ſub finem anni 773. (7). Nullam proinde ad eumdem Carolum miſſam fuiſſe legationem pro confirmatione Pontificis oſtendit brevis octo dierum Apoſtolicæ Sedis vacatio. Dictorum autem Pontificum ætatibus tota Caroli Magni, poſt Pippini mortem, Regis & deinde

(1) *Anonym. pag.* 23. (2) *Petavius Ration. temp. Tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 8. *Pag. Franciſc. loc. cit. in* Leone III. *num.* 18. & 34. (3) *Concord. lib.* 8. *cap.* 12. *num.* 8. & 14. (4) *Apud Franciſc. Pag. in* Leone III. *num.* 1. (5) *Extat hæc epiſt. Tom.* 7. *Concil. Labbei Edit. Pariſienſ. pag.* 1128. (6) *Franciſc. Pag. Brev. in* Hadriano I. *num.* 1. (7) *Pag. ibid. num.* 6.

de Imperatoris vita concluditur. Siquidem quo anno Stephanus III. Pontifex eſt conſecratus, videlicet 768. (1), mortuo Pippino patre, paternum Regnum Carolus partitus eſt cum fratre Carolomanno (2); quo extincto anno 771. ſolus regnavit Carolus (3), qui anno 800. Imperator renunciatus, anno demum 814. vivere deſiit, ut diximus. Unde liquet nullam ab ipſo ſive poſt, ſive ante adeptam Cæſaream dignitatem fuiſſe confirmatam Romanorum Pontificum electionem.

Tranſeo ad electiones ſub Ludovico Pio, quas omnes ejus aſſenſu fuiſſe confirmatas, probat Anonymus uno electionis Gregorii IV. exemplo, cui addit Petri de Marca auctoritatem (4).

Verum Marca Concord. lib. 8. cap. 19. num. 8. diſſerte affirmat, quod Romani Pontificis electio „ Caroli ætate & „ in exordio principatus Ludovici libera fuit ab interventu „ Principis: „ & ibidem cap. 14., loco videlicet citato ab Anonymo, conſentit Floro, qui, ut ille fatetur, „ Eccleſiam „ Romanam & ſubjectas illi Eccleſias, ideſt, quæ pendebant „ a Metropoli Romana, ab interrogatione Principis, ideſt „ ab ejus aſſenſu electionibus præſtando immunes eſſe ſcribebat anno 820. „. Ab anno autem 814., quo Ludovicus Imperium iniit, ad annum 820., duo Pontifices electi ſunt, nimirum Stephanus IV. Leonis III. ſucceſſor anno 816., & poſt ipſum S. Paſchalis I. anno 817. (5). Abſtinuit ergo juxta Marcam Ludovicus a præſtando aſſenſu duabus hiſce electionibus.

Paſchalem I. Eugenius II. excepit, quem electum fuiſſe & conſecratum ſine interventu Ludovici oſtendit perbrevis Apoſtolicæ Sedis vacatio, nam *Ceſſavit Epiſcopatus diebus* IV. ut ſcribit Ordericus (6), poſt quos *in Paſchalis locum*, *cum duo per contentionem Populi fuiſſent electi*, *Eugenius tum Archipresbyter tituli S. Sabinæ*, *vincente Nobilium parte*, *ſubroga-*

(1) *Pag. ibid. in* Stephano III. *num.* 1. (2) *Petavius Ration. Tem. lib.* 8. *cap.* 7. (3) *Idem ibid.* (4) *Anonym. pag.* 23. (5) *Franciſc. Pag. loc. cit. in* Stephano IV. *num.* 1. *&* *in* Paſchali I. *num.* 1. (6) *Orderic. Vital. Eccleſ. Hiſt. lib.* 2. *pag.* 454.

gatus atque ordinatus eſt; ut refert Eginhardus (1). Idem de Valentino Eugenii ſucceſſore dicendum, nam Eginhardus ſubdit: *Eugenius Papa menſe Auguſto deceſſit. In cujus locum Valentinus Diaconus a Romanis electus & ordinatus, vix menſem in Pontificatu complevit* (2).

Unum idcirco & unicum, quod proferre potuit, Anonymus in rem ſuam protulit exemplum electionis Gregorii IV., qui Valentino ſucceſſit, de quo Gregorio certe legitur in Annalibus Bertinianis (3), quod *Electus fuit, ſed non prius ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem Populi, qualis eſſet, examinavit*: quod Marca quoque obſervavit (4). At quod uni tantum ex quinque electionibus, quæ tempore ſui Imperii peractæ ſunt, Cæſareum aſſenſum præſtiterit Ludovicus, (obiit enim anno 840. (5) ſub eodem Gregorio) profecto non evincit nullum ſine ejus permiſſu fuiſſe Pontificem conſecratum, ſicut ſcribit Anonymus (6).

Sed neque certum omnino eſt, quod de diſcuſſa & probata a Ludovici Legato Gregorii IV. electione in Bertinianis narratur Annalibus. Vir enim doctiſſimus & Auctor ſynchronus Florus in Opuſculo de electionibus, cujus fragmentum Operibus Agobardi inſertum eſt, conceptis verbis ita pronunciat: *Sed in Romana Eccleſia uſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis Pontifices conſecrari*. Claruit autem Florus anno 837., quo tempore Cariſienſi Concilio interfuit, & adhuc in vivis agebat anno 852., circa quem annum ſcripſit Opus de Præſcientia & Prædeſtinatione, ut a Guillelmo Cave obſervatur (7). Quare veroſimilius eſt laudatum Opuſculum de electionibus ab ipſo fuiſſe editum poſt annum 827., quo Gregorius IV. electus fuit, quam anno 820., ſicut Marca exiſtimavit.

Addo quod ipſemet Ludovicus, *Quem omnes Romani uno conſilio atque concordia in Pontificatus ordinem elegerint, more Canonico conſecrari ſtatuit. Et cum conſecratus fuerit,* in-

(1) *Eginhard. de Geſt. Ludov. Pii ad ann.* 824. (2) *Idem ibid. ad an.* 827. (3) *Annal. Bertin. ad an.* 827. *inter Hiſt. Franc. Script. Tom.* 3. (4) *Concord. lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 8. (5) *Petavius Ration. Temp. lib.* 8. *cap.* 8. (6) *Anonym. pag.* 23. (7) *In Hiſt. Liter. ſæc.* 9. *pag.* 370.

inquit, *Legati ad nos, vel ad ſucceſſores noſtros Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum charitatem & pacem ſocient, ſicut temporibus Caroli Atavi noſtri ſive Pippini Avi, vel Caroli Imperatoris conſuetudo erat faciendi* (1). Hic nulla mentio de decreto electionis mittendo ad Imperatorem ante conſecrationem, ſed tantum de mittendis poſt conſecrationem Legatis ad pacem concordiamque fovendam. Hinc eſt, quod ſtupeamus, ſi Ludovicus, miſſo Legato, qui electionem Gregorii IV. examinaret, antequam is conſecraretur, violavit Edictum hocce ſuum, quo non electionem ſolum, ſed conſecrationem etiam Romani Pontificis juxta Canonicum morem liberam ut hactenus Romanis ſervari voluit. Obſerva hic obiter, Capitulum: *Ego Ludovicus*, a Gratiano relatum (2), ſaltem quatenus in ipſo eadem habentur de electione & conſecratione Romani Pontificis, quæ modo attulimus ex Ludovici decreto, non ita convinci Apocryphum, ut Anonymus pronunciat (3).

Demum ſi quem adhuc movet ad contra ſentiendum prædicta Bertinianorum Annalium auctoritas, cui, ut verum fatear, Eginhardus (4), & auctor vitæ Ludovici Pii (5) conſonant, reſpondere poſſumus Ludovicum ipſum, cum Legatum ſuum miſit, qui conſecrationi Gregorii IV. intereſſet, deduxiſſe in praxim decretum Eugenii II., qui ad arcendum aut compeſcendum tumultus & Comitiorum diſsidia, id privilegii Imperatoribus conceſsit, ut ſentit uterque Pagius (6). Cum tamen Legatus non ſolum conſecrationi interfuiſſe, ſed electionem examinaſſe legatur, hoc ſecundum ſibi uſurpaſſe Ludovicus omnino dicendus eſt. Accedo jam ad excutiendas electiones, quæ poſt mortem Ludovici Pii, ſolo jam imperante Lothario ejus filio, celebratæ ſunt.

Sergius II., qui Gregorio IV. ſucceſsit, indubie Lothario inconſulto non tantum electus, ſed *In Apoſtolica B. Petri ſacratiſſima Sede ordinatus conſecratuſque eſt Pontifex*;

(1) *Concil. Gall. Sirmond. Tom.* 2. *pag.* 445. (2) *C.* 30. *Diſt.* 63. (3) *Anonym. pag.* 23. (4) *De Geſtis Ludov. Pii ad an.* 827. (5) *Apud Ducheſn. Hiſt. Franc. Script. Tom.* 2. *pag.* 305. (6) *Vide Franciſc. Pag. Brev. Geſt. Pontif. Rom. in* Eugenio II. *num.* 4. 5. 6.

fex; ut habet Anaſtaſius (1). Sergio tamen *In Apoſtolica Sede ordinato, Lotharius filium ſuum Ludovicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Epiſcopo dirigit, acturos, ne deinceps decedente Apoſtolico quiſquam illic præter ſui juſſionem, miſſorumque ſuorum præſentiam ordinetur Antiſtes*: ita in Bertinianis Annalibus (2). Quod ſi verum ſit, (neque enim deeſt, qui hoc inter commenta (3) ableget) factum id a Lothario arbitramur ad amovendum tumultus juxta Eugenianum decretum, cujus paulo ante meminimus.

His tamen omnibus haud obſtantibus, poſt Sergii obitum Romani S. Leonem IV. & elegerunt & ſine *permiſſu Principis* Præſulem conſecraverunt (4). Leone vita functo, conati quidem ſunt Legati Cæſaris, fraudulenter eos adjuvantibus Romanorum Legatis, in locum Benedicti III., qui more canonico electus fuerat, intrudere *Ejectum anathematizatumque Anaſtaſium, contra traditionem omniumque ſanctiones Pontificum, Virorumque Almorum* (5). Verum Epiſcopi, Clerus & Populus Romanus univerſus, facto agmine, ſchiſmaticos eos omnes exturbarunt, & Cæſareos adegerunt Legatos, ut ſuæ Benedictum Sedi reſtituerent; *Qui idcirco in conſpectu omnium, Imperialibus miſſis cernentibus, in Sede Apoſtolica conſecratus ordinatuſque eſt Pontifex* (6). Unde merito obſervat Baronius illam ejecti Anaſtaſii intruſionem fuiſſe peſſimum conatum Imperatoris Ludovici, eoquia nulla ſui haberetur ratio in electione Pontificis: qui tamen conatus irritus penitus redditus eſt (7).

Vides jam quomodo ſe habuerit negotium electionum tempore Lotharii Imperatoris, qui ſub Benedicto III. anno 885. menſe Septembri ultimum diem clauſit (8). Scribat nunc Anonymus id quoque certum eſſe non minus a Carolo Magno, quam ab ejus ſucceſſoribus Ludovico Pio & Lothario ſartam tectam fuiſſe ſervatam ejus juris poſſeſſionem, ut videlicet Pontificiæ electionis a Clero Populoque Romano pe-

(1) *Anaſt. in* Sergio II. (2) *Ad an.* 844. (3) *Thomaſſ. Diſcipl. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 25. (4) *Anaſt. in* Leone IV. (5) *Idem in* Benedicto III. (6) *Idem ibid.* (7) *Baron. ad an.* 885. *num.* 36. (8) *Franciſc. Pag. in Indic. Chronol. Impp. Occid. præfixo Tom. II. Brev. Geſt. Pontif. Rom.*

peractæ decretum ad Imperatorem mitteretur, qui ſi illud approbaret, conſecraretur electus (1). Non negamus miſſum quandoque fuiſſe decretum electionis ad Imperatorem; nam Romani poſt Benedicti III. electionem, *Decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & conſuetudo priſca ut poſcit, inviċtiſſimis Lothario & Ludovico deſtinaverunt Auguſtis*, ut ſcribit Anaſtaſius(2); non utique ut electionem pro libito probarent, vel rejicerent, ſicut rei probavit eventus; ſed ut electionem Canonicam ſuo aſſenſu præſidioque tuerentur Imperatores, turbas, tumultus vel prohiberent vel compeſcerent, ſchiſmata aut ſchiſmatum occaſiones tollerent, ſive ut iidem de Canonica electione certiores fierent, & mox celebrandam Pontificis conſecrationem miſſa legatione decorarent (3). Atque hoc ipſum illud eſt, quod priſca conſuetudo poſcebat; niſi exiſtimare malimus, Anaſtaſium reſpexiſſe ad priſcam eam conſuetudinem, ſeu verius violentiam barbarorum Regum, nempe Gothorum male a Juſtiniano continuatam, qua libertas electionum opprimebatur (4), quam violentiam Lotharius & Ludovicus Auguſti reducere pertentarint. Neque temere quis diceret prædictam decreti miſſionem a Romanis fuiſſe extortam metuentibus, ne Auguſtos infenſos haberent, a quibus opem ſperabant adverſus Saracenos, qui per ea tempora diris incurſionibus Italiam divexabant.

Poſt mortem Benedicti III., cum jam ſolus imperaret Ludovicus II., anno 858. Nicolaus I. fuit *Præſente Cæſare conſecratus, Apoſtolicaque ſublimatus in Sede factus eſt Pontifex*(5). Ex hoc tamen nihil ad rem ſuam haurire poteſt Anonymus; ſiquidem nihil conſecrationi Nicolai I. præſtitit Ludovicus II. præter præſentiam, quam ſolam pariter fuiſſe exhibitam ab ejuſdem Ludovici Legatis conſecrationi Hadriani II. refert Guillelmus Bibliothecarius (6): id autem tunc temporis ex privilegio Apoſtolico in more poſitum erat ob

Gg eas

(1) *Anonym. pag.* 23. (2) *Anaſt. in* Benedicto III. (3) *Vide Notam in Cap.* Vota Civium, *Diſt.* 63. (4) *Thomaſſ. Diſcipl. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 16. *Chriſt. Lupus de Reg. Nominat. cap.* 2. (5) *Anaſt. in* Nicolao I. (6) *Anaſt., ſeu Guillel. Biblioth. in* Hadriano II.

eas duntaxat cauſas, quas paulo ante memoravimus.

Hadriano II. e vivis ſublato, electus & conſecratus eſt Pontifex Joannes VIII., cujus electionem neque per ſeipſum neque per ſuos Legatos legitur confirmaſſe Ludovicus II. Imperator, qui ſub eodem Pontifice anno 875. mortem oppetiit. Sane Franciſcus Pagius ſupra memoratum Eugenii II. decretum ejuſque praxim propugnans, conjectatur potuiſſe adeſſe conſecrationi Joannis Legatos Imperatoris, qui tunc in Campania degebant (1); ſed cum nullibi legerimus illos revera adfuiſſe, Thomaſſino ſubſcribimus aſſerenti, quod, quæ poſt Hadrianum II. celebratæ ſunt electiones, tum Legatis Cæſareis, tum Cæſaribus ipſis inconſultis, peractæ ſint uſque ad Joannem IX.(2). Sed de hoc iterum paulo inferius. Interim ex his, quæ hactenus diſſeruimus, denuo colligas, quo veritatis fundamento Anonymus pronunciaverit „ Certum „ eſſe nedum a Ludovico Pio, ſed a Lothario quoque ejus „ Filio & Ludovico II. ipſius nepote fuiſſe confirmatas om- „ nium electiones Pontificum Romanorum, quæ illorum „ ætatibus obtigerunt (3).

Verumtamen quia aſſertionem hanc ſuam idem Anonymus affirmat a Petro de Marca bene eſſe probatam; *Siccome*, inquit, *ha ben provato Pietro di Marca, Concord. Sac. & Imp. lib.*8. *cap.*14., manifeſti & in hoc mendacii redarguendus eſt; nam quod ibi Marca probat, aſſertioni ipſius Anonymi magis adverſatur, quam favet; atque id ipſum, quod Marca probavit, non bene probavit. Poſtquam enim loco modo citato ſcripſit Romanam Metropolim & ſubjectas ei Eccleſias neceſsitati Regii aſſenſus factas fuiſſe obnoxias CONTRA CAROLI MOREM a Ludovico Pio, hæc ſubdit: „ Aſſerta quidem eſt tan- „ dem in Libertatem ſuperioribus ſæculis Romana Eccleſia. „ Sed quod in ea tunc introductum eſt a Ludovico, in cæte- „ ris Eccleſiis Italiæ, non excepta etiam Metropoli Roma- „ na, & ſubjectis, locum habuit etiam Lothario & ſequen- „ tium Imperatorum temporibus, QUI ELECTIONES CANO- „ NICAS, QUAS SUO ASSENSU ET PRÆSIDIO JUVARE TE-NE-

(1) *Franciſc. Pag. Brev. Geſt. Pontif. Rom.* in Joanno VIII. *num.* 1. (2) *Thomaſ. Diſcip. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 6. (3) *Anonym. pag.* 23.

„ NEBANTUR, POTESTATE SUA TURBARUNT, ſibique ſo-
„ lis, conniventibus quandoque Pontificibus Romanis, vin-
„ dicarunt. Cujus rei teſtimonia extant apud Gratianum,
„ & paſsim in Joannis VIII. epiſtolis.

Hucuſque Petrus de Marca, qui, ut patet, aſſenſum illum Cæſareum ab Anonymo approbatum, ſine quo electi in Pontifices conſecrari non poſſent, improbat veluti abuſum poteſtatis, quo Imperatores electiones turbarint, ſibique vindicarint; & eum duntaxat probat aſſenſum ac præſidium, quibus illi ſacras electiones juvare & tueri tenebantur, propter eas videlicet cauſas, quas ſupra memoravimus. Quocirca Petri de Marca ſententiam aſſertioni Anonymi obeſſe potius, quam favere quis non videat?

Sed neque bene probavit idem Marca, quod Imperatores electiones Canonicas poteſtate ſua turbaverint, ſibique ſolis, conniventibus quandoque Pontificibus Romanis, vindicaverint; non, inquam, id bene probavit teſtimoniis, quæ apud Gratianum & paſsim in epiſtolis Joannis VIII. extare aſſeruit. Gratianus quippe in Diſt. 63., in qua de electionibus agit & conſecrationibus, duos Canones recitat, videlicet Can. *Hadrianus* 22., & Can. *In Synodo* 23., qui ambo jus concedunt Imperatori nedum confirmandi, ſed eligendi & ordinandi Romanum Pontificem. At primum ex his Canonibus apocryphum agnovit ipſemet Marca, nam lib. 8. Concord. cap. 19. oſtendens ſuppoſititiam eſſe Synodum Romanam, in qua idem Canon ſub Hadriano I. tempore Caroli Magni conditus aſſeritur, hæc habet de ſexto Baronii argumento contra eamdem Synodum: „ Sextum argumentum „ robuſtum eſt, quod petitur ex Romani Pontificis electione, „ quæ Caroli ætate, & in exordio Principatus Ludovici li„ bera fuit ab interventu Principis „. Secundum vero Canonem excerpſit Gratianus ex Conſtitutione, quæ a Leone VIII. edita fertur in Pſeudo-Synodo Romana. Sed præterquamquod Baronius, Bellarminus, Pagius Franciſcus (1) Leonem VIII. ſchiſmaticum fuiſſe tradunt, illa hujus Conſtitutio prædicto Hadriani I. ſuppoſitio Canoni innititur, at-

(1) *Franciſc. Pag. ibid. in* Leone VIII. Antipapa.

que Lotharii & Ludovici II. ævo longe eſt poſterior.

Duos alios Canones in ead. Diſt. 63. refert Gratianus, ſcilicet Can. *Agatho* 21., qui ſtatuit, ne electus in Romanum Pontificem ordinetur, niſi prius electionis decretum Imperatori præſentetur, & Can. *Quia Sancta* 28., in quo decernitur, ut Pontifex Romanus præſentibus Imperatoris Legatis ordinetur. At primus Canon deſumptus eſt ex epiſtola Conſtantini Pogonati, qui Gothorum Regum morem ſequutus in decretum illud per tyrannidem S. Agathonem conſentire coegit (1), a qua demum tyrannide Eccleſiam Romanam idem Conſtantinus liberavit ſub Benedicto II., qui, ut in ipſius vita legitur, *Suſcepit divales juſſiones clementiſſimi Conſtantini Magni Principis, per quas conceſſit, ut electus ad Sedem Apoſtolicam, e veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur* (2). Hinc etiam infertur prædictum Canonem præſenti quæſtioni minime congruere, in qua ſermo eſt tantum de electionibus & ordinationibus Romanorum Pontificum, quæ ſub Imperatoribus Occidentis a Carolo Magno uſque ad Ludovicum II. celebratæ fuerunt. Secundus autem Canon continet Stephani Papæ decretum (quod poſtea a Joanne IX. in Synodo Romana iiſdem pene verbis innovatum eſt) ſtatuentis, ut Romanus Pontifex *Ab omnibus electus, præſentibus Legatis Imperialibus conſacretur ad vitandum ſcandala & violentias, quæ ob hoc inferuntur, quia abſque Imperiali notitia fit conſecratio*. Quotus ordine ſit iſte Stephanus hujus decreti conditor Gratianus non dicit: ſunt qui Stephano IV., vulgo V. adſcribant: Baronius figmentum Schiſmaticorum eſſe opinatur, ſive potius, an tale ſit dubitat (3). Sed Pagius Baronianæ Criticæ Auctor fœtum eſſe exiſtimat Stephani VI., vulgo VII. (4). Forte Gratianus alicujus mendoſi Codicis errore deceptus Stephano Papæ tribuit decretum illud, quod Joanni IX. tribuendum erat. Ut ut ſit, nec Petro de Marca, nec Anonymo favet iſtiuſmodi Canon, cum ſolam exigat Legatorum Imperialium præſentiam ad arcendum ſcandala & violentias

(1) *Vide Notas Binnii in vitam S. Agathonis tom. 7. Concil. noviſ. Edit. Veneta pag.* 654. (2) *Ibidem pag.* 1486. *Anaſt. in* Benedicto II. (3) *Baron. ad an.* 816. *num.* 102. (4) *Anton. Pag. ad an.* 897. *num.* 4.

tias ab electionibus & ordinationibus Pontificum Romanorum. Hæc ſatis de teſtimoniis, quæ apud Gratianum extant, ſpectantibus ad electionem Romani Pontificis; nam de iis, quæ ad Epiſcoporum electionem pertinent, de quibus hic nobis non eſt cum Anonymo quæſtio, ſuo loco diximus.

Nunc de teſtimoniis ejuſdem rei, quæ Marca extare ait paſſim in epiſtolis Joannis VIII. Sane percurrenti mihi omnes hujus Pontificis epiſtolas (1), ne verbum quidem in iis occurrit de electione & ordinatione Romani Pontificis; occurrit e contra epiſtola CLV. ad Auſpertum Archiepiſcopum Mediolanenſem, in qua huic Joannes præcipit, ut Romam ſe conferat ad Synodum, ubi de electione Imperatoris agendum erat; *Nam*, inquit, *qui a Nobis eſt ordinandus in Imperium*, *a Nobis primum atque potiſſimum debet eſſe electus*, *atque vocatus*.

Nihil pariter habet Joannes VIII. in ſuis epiſtolis de confirmatione Cæſarea ſeu Regia Epiſcopalium electionum in Eccleſiis Metropoli Romanæ ſubjectis. Quoad alias Eccleſias, præſertim Gallicanas, licet idem Pontifex Imperatoribus connivere viſus ſit electiones Epiſcopales ſuo aſſenſu confirmare prætendentibus, attamen, ut etiam Marca obſervat (2), ſui immemor effectus non eſt in iis temporum acerbitatibus; nam ſevere interdixit Theodorico Archiepiſcopo Biſuntinenſi, quatenus in Eccleſia Lauſanenſi Epiſcopum neque *Juſſu Regis*, neque *expetitu plebis* conſecrare præſumeret, *Donec*, inquit, *communi conſenſu quem utiliorem prævidérimus*, *conſecrari permittamus de more* (3). Addere Marca poterat epiſtolam CCXLIII., in qua idem Joannes Pontifex Carolo Craſſo denunciat ſe nullo modo conſenſurum, ut Hieronymo vivente, qui Epiſcopus Lauſanenſis a ſe electus fuerat, *In electione alterius ſtatuta Patrum tranſgrediantur*. Itaque ſi in qua epiſtola conniventia erga Imperatores & Galliarum Reges Joannes uſus videatur quoad Epiſcopalium electionum negotium, id tribuendum acerbitati eorum temporum, quibus implorare cogebatur opem Caroli Calvi & Caroli Craſſi etiam adverſus Saracenos, qui rapinis, cœdibus, vaſtationibus affligebant Ita-

(1) *Epiſt. Joan. VIII. tom.* XI. *Concil. noviſſ. Edit. Venet. ſub initium*. (2) *Concord. lib.*8. *cap.*16. *num.*6. (3) *Joan. VIII. epiſt.*110.

Italiam, ut ipſæ ejus epiſtolæ teſtantur (1). Hæc obiter hic obſervare placuit; nam quamvis ad præſentem quæſtionem non ſpectent, pertinent tamen ad controverſiam Epiſcopalium electionum, de quibus ſuperius diſſeruimus.

Ut igitur ad caput redeamus, ex dictis manifeſte apparet, Petrum de Marca Concord. lib.8.cap.14. nec bene, nec omnino probare, quod nedum Ludovicus Pius, ſed Lotharius ejus filius & Ludovicus II. ipſius nepos ſingulos Pontifices Romanos eorum ætatibus electos confirmaverint.

III.

De electionibus Romanorum Pontificum, quæ a tempore Caroli Calvi ad tempora Othonis III. celebratæ ſunt.

„ SCriptores Galli, pergit Anonymus, tranſlati dominii „ temporalis Romanæ Urbis in Apoſtolicam Sedem Au- „ ctorem dicunt Carolum Calvum: nihilominus adhuc eſt „ evidens, tranſmiſſo ad Germanos Imperio, cæteros, qui „ ſucceſſerunt, Imperatores ſibi ipſis ſervaſſe hoc idem jus in „ electionem Pontificum. Nihil dico de Othone I., res quippe „ nota nimis eſt & manifeſta: uſque ad Othonem III. eadem „ conſuetudo immota permanſit; cum legatur apud Ditma- „ rum *lib. 4. pag. 353. & lib. 6. pag. 399.*, apud Chronogra- „ phum Saxonem *ad annum 996.*, ac apud alios Auctores Syn- „ chronos, quod Joanni XII. e vivis erepto Otho III. ſuc- „ ceſſorem dederit Brunonem, qui Gregorius V. vocari vo- „ luit: huic autem vita functo ſubſtituit Silveſtrum II., ſicut „ referunt Annales Hildesheimenſes *ad annum 989.*, & Her- „ mannus Contractus ad *annum 997.* (2).

Hic primum omnium obſervandum eſt, quam belle a Carolo Calvo ſaltet Anonymus ad Imperatores Teutonicos; & a primis inter iſtos vix confuſe indicatis ad Othonem Magnum, quaſi nulli alii Imperatores medii interfuerint. Sciendum proinde eſt, ut fraus detegatur, a Carolo Calvo, qui ſub Joanne VIII. deceſſit, ad Othonem Magnum quatuor Impera-

(1) *Vide Joan. VIII. epiſt. 21. 30. 32. 54. & 269. tom. XI. Concil. noviſſ. Edit. Venet.*
(2) *Anonym. pag. 24.*

ratores recenſeri, nempe Carolum Craſſum, Arnulphum, Ludovicum III. & Berengarium ex ſtirpe Caroli Magni ultimum; quibus poſt Ludovicum III. aliqui Scriptores accenſent Conradum primum ex Germanis Cæſarem, & poſt hunc Henricum I. Aucupem dictum (1). Ex his autem Imperatoribus, ſicut ex Principibus, qui perturbatis Italiæ rebus nomen Imperatoris obtinuerunt, inter quos Lambertus (2), de quo cito ſermo redibit, nemo legitur confirmaſſe aſſenſu ſuo electionem Romanorum Pontificum, qui ipſorum ætatibus, ſerie ducta a Joanne VIII. de quo ſupra, ad Joannem XII., ad vigintiquatuor electi ſunt, ut conſtat ex Chronologia eorumdem Pontificum apud Petavium & Pagium (3). Licet enim Joannes IX. in Synodo Romana decreverit, ut *Celeberrime electus ab omnibus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur*, qui videlicet *violentiam & ſcandala in ejus conſecratione non permittant fieri* (4); Edictum tamen hujuſmodi ſuo caruiſſe effectu uſque ad Othonem Magnum fatetur Pagius (5), & innuit Thomaſſinus (6). Hæc autem omnia Anonymum cum latere non poſſent, de induſtria uſus eſt eo orationis ſaltantis artificio, quo Lector minus peritus & cautus inducatur in ſententiam de continuata conſuetudine Cæſarei conſenſus in electionem Pontificum Romanorum. Sed *fruſta jacitur recte ante oculos pennatorum* (7).

His prænotatis, ut jam de Othone Magno dicamus, nullus ſcriptor literis mandavit, eum, quandiu Germaniæ Rex tantum audiit, ſcilicet ab anno 936. ad annum 962. ſe immiſcuiſſe alicui ex electionibus Pontificum, ſi Stephani VIII. aliis IX. electionem excipias anno 939. celebratam, quem aliqui ſcribunt ejuſdem Othonis Regis opera a Romanis electum. „ Id autem probare non poſſum (verba ſunt Papebrochii in Conatu Chronologico-Hiſtorico) cum Otho Rex „ Germaniæ eatenus nihil juris habuerit in Italia, neque ei „ electioni ſe immiſcere potuerit bellis domeſticis occupatiſſimus,

(1) *Vide Franciſc. Pag. in ſerie Chronolog. Impp. Occid. præfixa tom. 1. Brev. Geſt. Pontif. Rom. & Petav. tom. 2. Ration. Temp. in ſerie Impp. Occid.* (2) *Vid. Petav. ibid.* (3) *Pag. & Petav. loc. cit.* (4) *Apud Thomaſſ. Diſcipl. part. 2. lib. 2. cap. 25. n. 6. Baron. ad an. 904. n. 12.* (5) *Pag. Brev. Geſt. Pont. Rom.* in Joanne *IX. num. 5.* (6) *Thomaſſ. ubi ſupra num. 7. & 8.* (7) *Prov. cap. 1. v. 17.*

,, ſimus, & longe abſens, quam ut nuncium de morte Leonis ,, acciperet ante electionem ſucceſſoris: niſi fingere velimus ,, duobus vel tribus menſibus vacaſſe Sedem (1).

Otho idem poſt acceptam anno 962. a Joanne XII. Imperii coronam (2), quî ſe geſſerit in electionibus Pontificum, videamus.

Joannes Pontifex ab Othone deficiens Adalbertum Berengarii, quem ille Imperio dejecerat, filium cum Romam evocaſſet, Otho utroque fugato, conventum Epiſcoporum Romæ celebravit, in quo Joanni Pontificatus abrogatur, eique anno 963. Leo Antipapa, Octavus dictus, ſufficitur (3). Eam tamen Joannis legitimi Pontificis exauctorationem ab Othone in Synodo Romana tentatam, iniquam & nullam fuiſſe pluribus oſtendit Baronius (4).

Cum idem Joannes Pontifex anno 964. obiiſſet, illi ex Romanis, qui pro eo ſteterant, *Elegerunt Benedictum*, quifuit ejus nomini V., *ſine conſenſu Imperatoris* (5), eum autem fuiſſe legitimum Petri ſucceſſorem Pagius Senior demonſtrat (6). Verum Romani poſtmodum armis & fame ab Othone ad extremas redacti anguſtias *Innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & Domnum Leonem PP. coacti receperunt, ſpondentes ei & Domno Imperatori ſuper Corpus B. Apoſtoli Petri obedientiam* (7).

Hæc itaque de Othone I. res eſt nota nimis & manifeſta, ut Anonymi verbis utar, non quidem quod ille tantum vel per ſe vel per Legatos ordinationibus Pontificum adfuerit, ſed quod Imperatoria poteſtate abuſus ſit ad exturbandos Sede Apoſtolica legitimos Pontifices, atque in eam ſchiſmaticum hominem & Antipapam intrudendum. Hoc nimirum jus eſt illud, quod ab Othone I. Germano Imperatore fuiſſe conſervatum, tanquam rem nimis certam & manifeſtam laudat Anonymus, cujus proinde aſſertionem ſchiſmatico viru eſſe imbutam non minus certa ac manifeſta res eſt.

Leo-

(1) *Apud Pag. Brev. Geſt. &c. in* Stephano VIII. *num.* 1. (2) *Petav. Ration. Temp. Tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. (3) *Regino Chron. lib.* 2. *ad an.* 963. (4) *Baron. ad ann.* 963. *a num.* 31. (5) *Chronogr. Farfen. apud Ducheſnium Tom.* 3. *pag.* 671. *& Regino ad ann.* 964. (6) *Anton. Pag. in Crit. Baron. ad ann.* 999. *num.* 9. (7) *Chronogr. Farfen. loc. cit.*

Leone VIII. Antipapa menſe Martio anni 965. extincto, Romani ab Othone I. petierunt, ut Benedictus V. ſuæ Sedi reſtitueretur, quibus annuit Imperator (1); ſed inter hæc Benedicto pariter demortuo apud Hamburgum, quò deportatus fuerat (2), *Legati Romanorum* (quos in id conſilii ire metus cum Imperialis potentiæ, tum novi ſchiſmatis certe coegit) *Imperatorem pro inſtituendo, quem vellet, Romano Pontifice, in Saxoniam adeuntes, honorifice ſuſcipiuntur & remittuntur. Tunc ab omni Plebe Romana Joannes XIII. Narnienſis Epiſcopus eligitur, Sedique Apoſtolicæ Pontifex inthronizatur*, ut refert Reginonis Continuator (3). Hinc non obſcure colligitur, quod Otho I. præteritorum pœnitens ſuam electioni & ordinationi Pontificis Libertatem tandem reddiderit.

Imperante jam una cum Othone Magno Othone Juniore ejus filio, quem ab ipſius patre rogatus Imperiali diademate donaverat Joannes XIII., poſt hujus Pontificis obitum ordinatus eſt Pontifex Benedictus VI., (ſub quo Otho I. deceſſit) & poſt hunc Donus II., ac poſt Donum Benedictus VII. Nec tamen legimus apud aliquem probatæ fidei Scriptorem, trium horumce Pontificum electionem aſſenſu Cæſareo fuiſſe confirmatam. Miſit quidem Legatos ſuos Otho II., ſed in eum tantum finem, ut tumultus vel prohiberent vel compeſcerent, atque Tuſculanorum Comitum partibus faverent: proinde cum Donum II., tum Benedictum VII. ſine Othonis Imperatoris auctoritate fuiſſe Pontifices conſecratos recte ſcribit Sigonius (4).

Benedictum VII. excepit Joannes XIV., hunc vero alius Joannes Roberti filius, quem conſecrationi ſuæ præmortuum excepit Joannes XV. Horum autem Pontificum ordinationi non interfuiſſe Imperiales Legatos ita eſt evidens, ut certum eſt toto eo temporis intervallo Imperii vacaſſe Sedem; mortuo enim Othone II. anno 983. ſub Benedicto VII., nonniſi

Hh

(1) *Vide Adamum Bremenſem Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 6.* (2) *Vide eumd. ibid.* (3) *Regin. Chron. lib. 2. ad an. 965.* (4) *Sigon. de Regn. Ital. lib. 7. ad an. 974.*

niſi anno 996. a Gregorio V. Otho III. Imperii Coronam accepit (1).

Hæc quia novit Anonymus, idcirco nulla habita ſpeciali mentione Othonis II., conſueto artificio ab Othone I. gradum facit ad Othonem III., dum ait „ Non fuiſſe variatum „ Cæſareum morem confirmandi Pontifices uſque ad Otho- „ nem III. (2). „ Sed & in hoc nec ſibi conſtat; ſubdit

* Corrige: XV. enim „ Joanni XII. * ab Imperatore Othone III. fuiſſe da- „ tum ſucceſſorem Gregorium V., & huic Silveſtrum II. „. Verum aliud eſt confirmare Electum, & aliud dare ſeu nominare, qui in ſucceſſorem eligatur. Diſcutiendum tamen eſt hoc ipſum, quod de Gregorio V. & Silveſtro II. ex ſupra recitatis Auctoribus refert idem Anonymus.

Porro Ditmarus lib. 4. pag. 353. (non autem lib. 6. pag. 399., qui item locus ab Anonymo indicatur) de Othone III. hæc habet: *Dein Romam veniens glorioſe nepotem ſuum Brunonem in locum Joannis Papæ nuper defuncti cum omnium laude præſentium conſtituit*; ideſt conſenſit, ut Bruno Pontifex conſtitueretur ſeu ſubrogaretur, ſicut clarius refert Chronographus Saxo, qui loco ab Anonymo citato ita ſcribit: *Otho Rex Romam veniens beatæ memoriæ Joannem Papam defunctum reperit, cui nepotem ſuum Brunonem virum valde præclarum, non ſolum Cleri, ſed & omnium Romanorum unanimi voto civium Pontificem electum ſubrogari pie conſenſit, quem Romani, dempto Brunonis nomine, Gregorium vocaverunt.* Vides, quod ex pietatis impulſu, ut par erat, non vero ex vi alicujus Cæſarei juris, in Pontificiam electionem Otho conſenſit. Non abſimili modo rem narrat Auctor Vitæ S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi, qui eo tempore vivebat; ſcribit enim ad Othonem III. Romam ut coronaretur adventantem, mortuo interim Joanne XV., a Romanis miſſos fuiſſe Legatos, qui, quem *Pro eo ponerent*, *regalem exquirunt ſententiam*: cumque Otho Brunonem conſanguineum ſuum magnæ indolis & eruditionis virum nominaſſet, hunc communibus votis & plauſibus a Romanis fuiſſe *honorifice acce-*

(1) *Vide Pag. Franciſc. in ſerie Chronolog. Imperatorum Occid. præfixa Tom. I. Brev. Geſt. Rom. Pontif.* (2) *Anonym. pag. 24.*

ceptum, ſive Pontificem electum & de more conſecratum (1). Quare iterum vides, non ex jure aliquo Cæſareo aut conſuetudine, ſed ex libera Romanorum petitione proceſſiſſe, ut Otho Brunonem proponeret in Romanum Pontificem eligendum. Cæterum Romanos arbitror petiiſſe ab Othone, quem eligerent eo fine, ut Electum idem Otho adverſus Creſcentii Nomentani tyrannidem tueretur, ſicut rei monſtravit eventus, ut videre potes apud Pagium Juniorem (2).

De Silveſtro II., quem Anonymus dicit Gregorio V. ab Othone III. ſubrogatum, nihil prorſus lego in Annalibus Hildensheimenſibus ad annum 989., qui locus ab eodem Anonymo indicatur; nam ibi de Theophana Imperatrice duntaxat ſermo habetur. Hermannus autem Contractus, non quidem ad annum 997., uti citat Anonymus, ſed ad annum 1000., de Silveſtro II. ita ſcribit: *Romæ defuncto Gregorio Papa, Sylveſter ſedet, ſæculari literaturæ nimium deditus, & ob hoc curioſo Imperatori admodum amatus* (3); cujus ſane Imperatoris opera Silveſtrum ad ineundum Pontificatum, intacta tamen electionis libertate, fuiſſe adjutum non negamus: at oſtendat Anonymus, ut fidem liberet, Hildensheimenſes Annales & Hermannum Contractum locis ab ipſo indicatis referre, quod Otho III. Gregorio V. Silveſtrum II. ſubſtituerit. Nos interim merito concludimus, nihil legitimi juris & moris in negotio electionum pro Imperatoribus colligi poſſe ex iis Romanorum Pontificum electionibus, quæ ſub Germanis Cæſaribus peractæ ſunt uſque ad Othonem III., qui ſub Silveſtro II. e vita migravit.

(1) *Apud Mabillon. Sæc. V. Benedict. num.* 30. & 31. (2) *Franciſc. Pag. Brev. Geſt. &c. in* Gregorio V. *num.* 12. (3) *Apud Chriſt. Urſtiſium Rer. Ger. Tom.* 2.

IV.

De electionibus Pontificum Romanorum, quæ ab Othone III. ad Henricum IV. contigerunt.

„ ILli demum Scriptores, qui ejuſmodi Caroli Calvi ceſ„ ſionem ſeu dominii translationem ad fabulas rejiciunt, „ & forte veriora ſectati dicunt Romanæ Urbis dominatum „ propter Imperii declinationem tranſmeaſſe ad Romanum „ Pontificem, id ineunte ſæculo decimo accidiſſe conſen„ tiunt, Conſtantini Porphyrogeniti permoti teſtimonio, qui „ in ſuorum Thematum lib. 2. Them. x. Europæ ſtatum exhi„ bens, qualem ipſius ævum ferebat, circa annum 914. de „ Urbe Roma ita ſcripſit: *Roma Regium depoſuit Principa„ tum & propriam adminiſtrationem ac juriſdictionem obti„ nuit, eique proprie dominatur quidam ſuo tempore Papa.* „ Sed quid inde? Num quia Urbis dominatus hiſce tempo„ ribus penes Romanos Pontifices erat, ſua in Pontificatum „ Paparumque electionem jura amiſerunt Germani Cæſares? „ Nil tale omnino. Ea illi jura perpetuo exercere perrexe„ runt. Quæ geſſit Otho III., ejus ſucceſſores agere quoque „ perſeverarunt. Henricus Niger, a Germanis III. dictus, „ anno 1046. Clementem II. Romanis Papam dedit: *Her„ man. Contract. ad an.* 1046. *Sig. Gembl. ad an.* 1046. *Ma„ rian. Scotus ad an.* 1046. *Acta Clementis II. apud Leibni„ tium Tom.* 1. *pag.* 577. *Lamb. Schafnab. ad an.* 1047., *& „ fuſius Oth. Friſingenſis IV. cap.* 32.; mortuo vero Cle„ menti anno 1047. ſubſtituit Damaſum II. *Herman. Con„ tract. ad an.* 1048. *Lamber. Schafnab. ad annum* 1048. „ *Otho Friſing. VI. cap.* 33. *Marian. Scot. ad an.* 1047. *Got„ tfr. Viterb. P. XVII. pag.* 493., & huic extincto anno 1049. „ Leonem IX. ſubrogavit: *Lamb. Schafnab. ad an.* 1049. „ *Otho Friſing. VI. cap.* 33. *Wibertus in vita Leonis IX. lib.* 2. „ *cap.* 2. *Leo Oſtienſ. lib.* 2. *cap.* 81. *Herman. Contr. Marian.* „ *Scot. ad an.* 1049., ac tandem, Leone IX. e vivis ſubla„ to, in ejus locum ſuffecit Victorem II. *Leo Oſtienſ.* 2. „ *cap.* 89. *Lamb. Schafnab. Bertoldus Conſtantienſis Conti-*

nua-

Digitized by Google

„ *nuator Herman. Contr. Monachus Herveldenſis ad an.*1054.
„ *Albericus ad an.* 1055. *Oth. Friſing. VI. cap.*34. Hæc Ano-
„ nymus (1).

Nos vero, cum præſentis inſtituti ratio haud poſtulet, ut relatas de tranſlato in Romanos Pontifices Urbis dominio opiniones perpendamus, ſolum de Conſtantini Porphyrogeniti teſtimonio, quod unum tanti facit Anonymus, ut idcirco poſtremam ex iis opinionibus reliquis præferat, infra dicemus (2).

Hic autem, antequam tot indicatorum teſtium nubem diſcutere aggrediamur, qua ille rerum geſtarum veritati umbras offundere ſtudet, placet obſervare captioſam dicendi artem, qua jactata toties jura in Pontificias electiones ab Imperatoribus ſemper fuiſſe exercita ut oſtendat, ab Othone III. tranſit ad Henricum III., Sancto Henrico & Conrado II., qui intermedii imperarunt, ſilentio prætermiſſis. Ipſum videlicet non latuit ſub iſtorum cum Regno, tum Imperio Romanorum Pontificum electiones, quæ a Silveſtro II. ad Clementem II. ſeptem intermediæ numerantur, ab aſſenſu & poteſtate Regia Cæſareaque fuiſſe prorſus immunes.

Verum de Henrico Nigro ſermo jam ſit, qui ſane *Svidegerum Epiſcopum Bambergenſem Romanæ Eccleſiæ elegit Pontificem*, ut ſcribit Hermannus Contractus (3), ſeu *Papam conſtituit*, ut habent Marianus Scotus & Chronographus Saxo ad annum 1047. vel *Svitgerum Bambergenſem Epiſcopum Papam conſtituit*, ut habent Acta Clementis II. apud Leibnitium, ſive *Vicarium Apoſtolicum conſtituit*, ut ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis (4), vel demum *ſubſtituit*, uti exprimit Otho Friſingenſis cap.32. lib. non IV., qui perperam citatur ab Anonymo, ſed VI. At Epiſcopum Bambergenſem, qui Clemens II. vocatus eſt, non auctoritate propria *elegiſſe*, *conſtituiſſe*, *ſubſtituiſſe* Papam a prædictis Scriptoribus dicitur Henricus, ſed *Synodo acta* (5), ſeu *ſynodaliter* (6), vel *conſenſu Romanæ Eccleſiæ* (7); quia nempe Synodum unam Su-

(1) *Anonym. pag.*24. (2) *Art. V.* (3) *Herman. Contract. ad an.*1046. (4) *Lamber. ad an.* 1047. (5) *Herman. Contr. ad an.*1046. (6) *Marian. Scot. ad an.*1046., & *Chronogr. Saxo ad an.*1047. (7) *Oth. Friſing. lib. VI. cap.*32.

Sutrii cogi curavit Henricus, in qua Benedictus, Silveſter & Gregorius de Pontificatu malis artibus ab ipſis invaſo contendentes deponerentur, & Romæ alteram, in qua novus & legitimus Pontifex conſtitueretur.

Rem accipe fuſiori & caſtigatiori ſtylo ſcriptam a Deſiderio Abbate Caſinenſi, S. R. E. dein Cardinali, & demum ſub nomine Victoris III. Pontifice Maximo, in Romana Curia apprime verſato, qui tunc temporis vivebat: *Jamdudum*, inquit, *Regio animo inſederat, ut tres illos, qui injuſte Apoſtolicam Sedem invaſerant, cum Concilio & auctoritate totius Concilii juſte depelleret, & unus, qui ſecundum ſtatuta Patrum Dominico Gregi ſolicite præeſſet, Clero & Populo eligente ordinaretur. Prædictus itaque Pontifex* (Gregorius VI) *exoratus a Rege cæteriſque Pontificibus, Sutrium, ubi Synodus congregata erat, allectus ſpe, quod aliis duobus depoſitis, ſibi ſoli Pontificatus confirmaretur, gratanter perrexit. Sed poſtquam eo ventum eſt, & res agitata ac diſcuti in Synodo cœpta, agnoſcens ſe non poſſe juſte honorem tanti Sacerdotii adminiſtrare, ex pontificali Sella exiliens ac ſemetipſum Pontificalibus indumentis exuens, poſtulata venia, Summi Sacerdotii dignitatem depoſuit. Poſt hæc* (Henricus) *Urbem ingreſſus, congregato in Eccleſia B. Petri Apoſtoli Romano Clero & Populo, una cum Epiſcopis, qui in prædictam convenerant Synodum, communi conſilio Clementem Bambergenſem Epiſcopum elegerunt; quia in Romana Eccleſia non erat tunc talis reperta perſona, quæ digne poſſet ad tanti honorem Sacerdotii ſufficere; eumque in Apoſtolica Sede ad regendum Dominicum Gregem inthronizantes conſtituunt* (1).

Cernis Clementem II. non datum ab Henrico Romanis Pontificem, ſed communi conſilio Romanorum & Epiſcoporum electum, *Quia in Romana Eccleſia non erat tunc talis reperta perſona, quæ digne poſſet ad tanti honorem ſufficere Sacerdotii*, propter gliſcentes videlicet ibi diſcordias. Cum ergo audis a citatis Auctoribus rem compendio narrantibus, (qui omnes Germani ſunt, ideoque ex hoc etiam capite Victori III. Italo poſthabendi rerum geſtarum optime conſcio) quod

(1) *Victor III. lib. 3. Dialog.*

quod Henricus *elegit*, *conſtituit*, *ſubſtituit* Pontificem, intellige illos hujuſmodi loquendi formulis uſos honoris gratia erga ipſum Henricum, quia is operam navavit ſuam, ut ablato ſchiſmate, novus & legitimus Pontifex in Synodo eligeretur, conſtitueretur, ſubſtitueretur.

Conſulto prætermiſi Sigebertum Gemblacenſem, qui & ab Anonymo prætermitti poterat. Hic enim Scriptor ad annum 1046. ab ipſomet Anonymo indicatum, hæc habet: *Romæ uno contra duos & duobus contra unum de Papatu contendentibus, Rex Henricus contra eos Romam vadit, & eis Canonica & Imperiali cenſura depoſitis, Svidigerus Bambergenſis Epiſcopus, qui & Clemens Romanæ Eccleſiæ præſidet.* Nil ibi de Clemente dato Romanis Pontifice ab Henrico; quod certe ſi verum eſſe ſubodoraſset, literis mandare non omiſiſset idem Sigebertus homo ſchiſmaticus & Cæſareis partibus addictiſſimus.

Clementem II. Damaſus II. excepit, de quo ita Hermannus Contractus ad annum 1048. *Poppo Brixienſis * Epiſcopus ab Imperatore electus Romam mittitur, & honorifice ſuſceptus Apoſtolicæ Sedis Papa ordinatus, mutato nomine, Damaſus II. vocatur.* Lambertus Schafnaburgenſis de eodem ad eumdem annum ita refert: *Imperator Natalem Domini Polethæ celebravit. Ibi aderant Legati Romanorum Svitgeri Papæ obitum nunciantes, eique ſucceſſorem poſtulantes, quibus Imperator Bopponem Priſnienſem * Epiſcopum aſſignavit.* Poſtularunt ſiquidem Romanorum Legati ab Henrico Clementis II. ſucceſsorem, vel quia, ut obſervat Angelus de Nuce (1) ex Deſiderio & Anaſtaſio, neque tunc talis erat „ Romæ reperta perſona, quæ digne poſset ad tanti hono- „ rem ſufficere Sacerdotii, cum nono circiter menſe ab inito Pontificatu Clemens II. obiiſset; vel quia Romanis expedire denuo tunc viſum fuit ab Imperatore expoſcere, quem communibus inde votis in Pontificem eligerent, depulſo imperiali vi Benedicto IX., qui Tuſculanorum Comitum fretus potentia Apoſtolicam Sedem tertio invaſerat; vel demum quia Henricus totum jus ſuum in Romani Pontificis electionem

* Lege: *Brixinenſis.*

* *Brixinenſem*

(1) *Not. in cap.* 4. *lib.* 2. *Leon. Oſtienſ.*

nem collocans in nummis poſt electionem Clementis II., *A Romanis, data pecunia non parva, exegerat, ut ſine ejus permiſſu Papa non eligeretur* (1), addito etiam ad id juramento, ſicut ſcribit Sigebertus (2). *Poppo itaque Brixinenſis Epiſcopus ab Imperatore electus* (hoc eſt delectus) *Romam mittitur*, uti narrat Hermannus, quia videlicet illum Romanis, aut neceſſitate adactis aut pecunia corruptis, poſtulantibus Pontificem, *Imperator aſſignavit*, ut refert Lambertus, totius utique Cleri & Populi conſenſu de more eligendum.

Otho Friſingenſis lib. VI. cap. 33. hæc habet: *Eodem anno, Svidegero mortuo, Popio Aquilejenſium Patriarcha in ejus locum ſubrogatur*. Marianus Scotus ad annum 1047. *Clemens Papa obiit. Papa Bobbo 142. poſt Petrum an. 1.* Gottfridus Viterbienſis Part. XVII. pag. 493. *Anno Domini* 1047., *mortuo Clemente, Popio Aquilejenſis Patriarcha in locum ejus ſubrogatur*. Nihil præterea ſcribunt de electione Damaſi II. hi tres Auctores, quos idcirco ſi legiſset, nequaquam citaſset Anonymus. Obſerva obiter Popponem, qui poſtea Damaſus II., fuiſse quidem Brixinenſem Epiſcopum, ſed num etiam fuerit Aquilejenſis Patriarcha, vocari in dubium (3).

Damaſus II. ſucceſsorem habuit S. Leonem IX., de cujus electione hæc ad an. 1049. Lambertus Schafnaburgenſis: *Imperator Natalem Domini Friſingæ celebravit. Ibi iterum Legati Romanorum, Bobbonis Papæ morte nunciata, Rectorem Romanæ Eccleſiæ poſtulabant, quibus Imperator Brunonem Toloſæ Epiſcopum dedit.*

Otho Friſingenſis lib. VI. cap. 33. refert, quod Hildebrandus ab Imperatore delectum & Pontificiis inſignibus redimitum *Leonem adiens æmulatione Dei plenus conſtanter eum de incœpto redarguit, illicitum eſſe inquiens per manum laicam Summum Pontificem ad gubernationem totius Eccleſiæ violenter introire. Verum ſi ſuis ſe cedere velit conſiliis, utrumque, & quod Majeſtas Imperialis in ipſo non exacerbetur, quodque Libertas Eccleſiæ in electione Canonica renovetur, ſe pollicetur effecturum*. Narrat ſubinde Brunonem Hildebrandi

Con-

(1) *Chronogr. S. Benigni, qui extat Tom. 1. Spicilegii Dacheriani.* (2) *Sigeb. ad an.* 1046. (3) *Vide Franciſc. Pag. Brev. Geſt. &c. in* Damaſo II. *num.* 2.

Conſiliis acquieſcentem, Pontificiis depoſitis inſignibus, Romam ſub peregrini habitu profectum, a Clero Populoque fuiſſe electum in Pontificem Maximum, atque hoc pacto concludit: *Sicque utcumque Romana Eccleſia ad faciendam electionem informatur.*

Leo Oſtienſis lib. 2. cap. 81. *Mortuo Damaſo Brunonem Tullenſem Epiſcopum Theutonicum natione & ſtirpe regali progenitum Romani ab ultramontanis partibus expetentes, in ſuum Pontificem eligunt, eumque Leonem Papam vocari decernunt.*

Hermannus Contractus ad annum 1049. *Bruno ab Imperatore electus*, (ideſt delectus) *Romamque miſſus*, ut ibi ſcilicet de more eligeretur.

Vides jam Brunonem ab Imperatore delectum & Romanis datum, ut ſcribunt Hermannus & Lambertus, non quidem arbitratu ſuo, ſed quia ipſum Romani expoſtularunt, ut explicat Oſtienſis. Poſtularunt autem Romani deligi ſibique dari ab Imperatore Brunonem, quem in Pontificem eligerent, ne Benedicto IX. Sedem rurſus ſibi vindicare nitente, tale monſtrum iterum ſubire Sancta Eccleſia cogeretur, uti obſervat Baronius (1).

Marianus Scotus ad annum 1049. *Bobbo Papa obiit, Tullenſium Antiſtes Brunus, qui & Leo, ſedit annis quinque.* Nihil præterea in rem noſtram; quare omitti poterat.

Mirum, quod pro ſe Wibertum Anonymus citaverit, qui Scriptor nobis aperte favet, ejuſque auctoritas prædictis anteferenda eſt, cum ipſe S. Leonis IX., cujus erat Archidiaconus & rerum ab eodem geſtarum præſens teſtis, vitam literis conſignaverit. Wibertus itaque poſtquam narravit in Epiſcoporum, reliquorumque Procerum conventu coram Cæſare apud Wangionum urbem habito, *ad onus Apoſtolici honoris* Brunonem nihil tale ſuſpicantem & invitum fuiſſe delectum, ita ſubdit: *Videns ergo* (Bruno) *nullo modo ſe poſſe effugere Imperiale præceptum & commune omnium deſiderium, coactus ſuſcepit injunctum officium præſentibus Legatis Romanorum, ea conditione, ſi audiret* Totius Cleri et Romani

 Po-

(1) *Ad an.* 1049. *num.* 1.

POPULI COMMUNEM ESSE SINE DISSIDIO CONSENSUM (1). Item S. Bruno Signienſis Epiſcopus ejus pariter ſæculi Scriptor narrat, quod idem Bruno Tullenſis victus tandem Romanorum Legatorum precibus, quod illi poſtulabant, ſe ſub hac conditione facturum eſſe promiſerit: *Romam vado, ibique* SI CLERUS ET POPULUS SUA SPONTE ME SIBI IN PONTIFICEM ELEGERIT, *faciam, quod rogatis: aliter autem electionem nullam ſuſcipio. At illi gaviſi*, ſubdit idem Scriptor, *confirmant ſententiam, & laudant conditionem* (2). Wibertus autem ita proſequitur: Inde *Bruno humilitate magiſtra, contra omnium Apoſtolicorum morem ſumpto peregrino habitu Romanum arripuit iter* (3). Quibus verbis ſupradicta Othonis Friſingenſis narratio de Pontificiis inſignibus a S. Leone aſſumptis, iiſdemque ſuaſu Hildebrandi depoſitis refellitur, cum nullum fuerit tempus intermedium, quod itineri ad Cluniacenſe Monaſterium, apud quod id accidiſſe Otho ſcribit (4), impenderetur, ut advertit Henſchenius in Commentario præfixo vitæ ipſiuſmet S. Leonis (5). Refert ſubinde Wibertus, quod ubi S. Leo Romam pervenit, Romanos alloquens, *Eorum voluntatem (qualiſcumque erga ſe ſit) pandere expoſtulat: dicit electionem Cleri & Populi canonicali auctoritate aliorum diſpoſitionem præire: affirmat ſe gratanti animo in patriam rediturum, niſi fiat electio ejus communi omnium laude &c.* (6). Sanctus vero Bruno Epiſcopus Signienſis item ait, quod S. Leo *Secundum conſuetudinem Romanam cum magnis laudibus a Clero & Populo electus eſt* (7).

S. Leoni IX. ſucceſſit Victor II., de cujus electione Leo Oſtienſis lib. 2. cap. 89. hæc memoriæ mandavit: *Defuncto Leone, Hildebrandus tunc Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus ad Imperatorem a Romanis tranſmiſſus eſt; ut quoniam in Romana Eccleſia perſona ad tantum officium idonea reperiri non poterat*, (Tuſculani enim Comites reſtituendo Benedicto IX. adhuc adlaborabant) *de partibus illis, quem ipſe tamen vice Cle-*

(1) *Wibertus in vita S. Leonis IX. lib. 2. cap. 1. num. 4. apud Henſchenium ad diem 19. Aprilis.* (2) *S. Bruno Signienſ. Epiſc. in vita S. Leonis IX.* (3) *Wibertus ibidem num. 5.* (4) *Otho Friſing. lib. VI. cap. 33.* (5) *Ad diem 19. Aprilis Comment. §. 2. n. 7.* (6) *Wibertus loc. cit. cap. 2. n. 6.* (7) *S. Bruno Signien. loc. ſupra cit.*

Cleri Populique Romani in Pontificem elegiſſet, adduceret. Quod cum Imperator aſſenſus fuiſſet, & Gebeardum Aiſtetenſem Epiſcopum Hildebrandus ex induſtria & conſilio Romanorum expetiviſſet, triſtis ſuper hoc valde Imperator effectus eſt; nimis enim eum charum habebat... Hildebrando tamen, ut alterum eligeret, perſuadere nullatenus potuit; erat enim idem Epiſcopus ſuper id, quod prudentia multa callebat, poſt Imperatorem potentior ac ditior cunctis in Regno. Hunc ergo Hildebrandus, invito licet Imperatore,... Romam ſecum adduxit, eique Victoris nomen imponens, Romanum Papam cunctorum aſſenſu conſtituit.

Lambertus Schafnaburgenſis ad annum 1054. hæc literis mandavit: *Imperator interpellatus a Romanis, ut Antiſtitem Sedi Apoſtolicæ provideret, Gebbeardum Emſtatenſem Epiſcopum miſit.* Invitus tamen eum miſit, & non a ſe, ſed ab Hildebrando vice Cleri Populique Romani electum, ut modo a Leone Oſtienſi fuſe narratum audivimus. Quapropter Scriptoris utriuſque conciliata auctoritas Anonymo adeo non favet, ut potius adverſetur.

Monachus Herveldenſis ad annum 1054. eadem prorſus habet, iiſdemque omnino verbis utitur, ac Lambertus. Quare eadem ſatis eſt ad utrumque reſponſio.

Bertoldus Conſtantienſis Hermanni Contracti Continuator ad eumdem annum 1054. poſt relatam S. Leonis IX. mortem hæc tantum habet: *Pro quo Gebehardus Victor II. nominatus Papa CLV. ſedit tribus annis.*

Albericus ad annum 1055. *Poſt Leonem Papam*, inquit, *Gebehardus Eiſtetenſis Epiſcopus, qui Victor II. dictus eſt, ſedit Romæ.*

Otho Friſingenſis lib. VI. cap. non 34., quod ab Anonymo citatur, ſed 33., in quo de electione Victoris II., *Leo*, ait, *Papa moritur, cui Gebehardus Eiſtetenſis, qui & Victor, ſucceſſit, & illi Stephanus.*

Obſerva hic, quæ ſit in citandis tribus hiſce poſtremis Auctoribus Anonymi fides, cum iidem de ſuffecto Victore II. in locum S. Leonis IX. ab Henrico Nigro ne verbum quidem faciant.

Omiſſis denique tribus Pontificibus intermediis, Stephano nempe IX., aliis X., Nicolao II. & Alexandro II., ex Lamberto Scafnaburgenſi ad an.1073., & Othone Friſing. VI. cap. 34. aſſerit Anonymus Gregorium VII. ab Henrico IV. fuiſſe coactum ad Cæſareum percipiendum conſenſum in ſuam ad Pontificatum evectionem (1).

Qua in re duos prædictos Auctores non facile conciliare poterit idem ipſe, qui citat. Nam Lambertus ad eum annum hæc literis mandavit: Alexandro II. *Romani protinus inconſulto Rege* (Henrico) *ſucceſſorem elegerunt Hildebrandum. Conquerenti & timenti cum Gallis Epiſcopis ejus zelum Henrico IV. per Legatum reſpondet ſibi coacte impoſitam dignitatem; diſtuliſſe tamen ordinationem ſuam, donec voluntatem Regis certus nuncius intimaret. Hoc ubi Regi nunciatum, ut ordinaretur, mandavit.*

Otho Friſingenſis e contra citato loco rem ita refert: *Exhinc ſchiſma, quod abſque conſenſu Regis per electionem Gregorius Pontifex conſtitutus fuerat, oritur. Ipſe autem, qui per multum temporis ad Libertatem Eccleſiæ obtinendam privatus laboraverat, jam ad dignitatem Sacerdotalem provectus* A COEPTO DESISTERE INDIGNUM DUCENS, *tum ob hoc, tum pro ſimonia extirpanda ac Clericorum incontinentia reprimenda plurimum deſudabat... Sed enim murum ſe pro Domo Domini ponere non timuit.*

Quomodo autem hæc, quæ narrat Otho, vera ſint, ſi S. Gregorius VII. per Legatum Regiam, ante ordinationem ſuam, exploravit voluntatem, uti ſcribit Lambertus? Veriora itaque referri putaverim in Actis ejuſdem Sancti Gregorii, in quibus legitur, quod Sanctus hic Pontifex per Legatum ſuum Henrico *Electionem ſuper ſe factam aperuit, & ne aſſenſum præberet attentius exoravit: quod ſi non faceret, certum ſibi eſſet, quod graviores & manifeſtos ipſius exceſſus nullatenus impunitos toleraret* (2). Id nempe conſilii capere S. Gregorio ſuaſit vel Chriſtiana humilitas, ut ipſe hac via, cum alia non eſſet, Pontificatum declinaret; vel Chriſtiana charitas, ne Henricus novo ſchiſmate divexaret Eccleſiam, uti

(1) *Anonym. a pag. 24. ad 25.* (2) *Apud Baron. ad an. 1073. num. 27.*

uti fecerat ſub Alexandro II., eoquod hic, ipſo inconſulto, Pontificatum iniiſſet (1); vel demum id conſilii inivit S. Pontifex „ quia tam Henrico Imperatori ejus patri, quam huic „ Henrico ejus filio ex privilegio Romanæ Eccleſiæ datum ſit „ a Romano Pontifice, ac cæteris ſucceſſoribus, qui accepe- „ rint privilegium ab Apoſtolica Sede, ut adhibito eorum „ conſenſu electio facta fulciri debeat, ut ſentit Baronius (2).

Silentio hic præterire non debeo de Henrico Rege ejuſdem Baronii judicium, qui de abdicatione Gregorii VI. verba faciens „ Tunc, inquit, expedire viſum eſt, ut ad „ comprimendam audaciam Tuſculanorum Comitum pro ar- „ bitrio Sedem Apoſtolicam invadentium, eamdemque pro- „ ſtituentium & facinoribus deturpantium, ipſe Henricus „ Rex, quem optimum eligendum cenſeret, acciperet .... „ Porro ex eventu, qui feliciter ceſſit, cum Tuſculanorum „ Comitum fuit audacia factioſa repreſſa, laudata reperitur „ a pluribus Henrici deteſtanda præſumptio, qui negotium „ faceſſere Gregorio (VI.) legitimo Chriſti Vicario non eſt „ veritus; ſic malo filio, peſſimoque nepoti relinquens „ exemplum, ut non quem elegiſſet Romanus Clerus & Po- „ pulus poſtulaſſet, Pontifex eſſet accipiendus & in Eccleſia „ Orthodoxa colendus; ſed quem Imperator, ſive Germaniæ „ Rex (ſi ille non eſſet) in ſacroſanctum Petri Thronum „ intruderet. Qui quidem pertinax error tranſiit in hæreſim „ dictam Henricianam, communem Politicis noſtri temporis, „ qui volunt Imperatoribus, ſive Regibus non temporalia „ tantum, ſed ſpiritualia eſſe ſubjecta, potiſſimum vero ſan- „ ctam Romanam Eccleſiam; quibus cum ſucceſsoribus Pon- „ tificibus per annos octoginta indefeſſo labore certatum fuit, „ illis potentia, minis & quibuſcumque adhibitis malis arti- „ bus; iſtis vero obice ſacrarum legum Eccleſiæ conſtantiſ- „ ſime repugnantibus (3).

***

V. *Con-*

(1) *Leo Oſtien. lib.* 3. *cap.* 20. (2) *Baron. ad an.* 1073. *num.* 27. (3) *Baron. ad ann.* 1046. *num.* 4.

V.

Conſectarium ex dictis.

QUæ de electionibus Romanorum Pontificum ab Anonymo afferuntur, nos fuſiori calamo diſcutere ac refellere debuimus, non ſolum ut inde ducti adverſus priſcam Archiepiſcopatus Beneventani Libertatem argumenti vanitas appareat; ſed etiam ut detectis non paucis ejus in ſcribendo mendaciis, iniquus ipſius in Apoſtolicam Sedem & Pontificiarum electionum Libertatem animus comprimatur, ac *induatur pudore & operiatur ſicut diploide confuſione ſua* (1). Porro ex iis, quæ hucuſque de eiſdem electionibus diſſeruimus, luce clarius liquet, vel ipſis, quos ille citat, Scriptoribus teſtibus, quam falſum ſit, quod idem ipſe tanquam manifeſtum certumque jactat, a Francis nimirum Germaniſque Imperatoribus reipſa & perpetuo exercitum fuiſſe jus in eas omnes Pontificias electiones, quæ a S. Gregorio II. ab anno nempe 715. ad S. Gregorium VII., ideſt ad annum 1073. celebratæ fuerunt. Siquidem iis omnibus electionibus, quæ ad ſexaginta quinque numerantur (2), ſua ſtetit Libertas, ſi paucas excipias, in quas prætenſum variatumque non ſemel jus malis artibus exercuerunt quidem Impetatores, ſed obnitentibus, vel coacte conſentientibus, ſive ægre tolerantibus cum Summis Pontificibus, tum Clero Populoque Romano propter temporum acerbitates, atque eorumdem Cæſarum potentiam; quibus a Summis Pontificibus id juris tantum aliquando conceſſum eſt, ut ordinationibus Pontificiis vel per ſe, vel per Legatos intereſſent in eum duntaxat finem, ut tumultus oriri ſolitos aut prohiberent, aut compeſcerent.

Cæterum Anonymo haud neceſſe fuit in præſenti controverſia longam recenſere ſeriem Pontificum Romanorum, quorum electiones Cæſarum arbitrio tribueret. Hinc ſine ejuſdem injuria ſuſpicari poſſe nos credimus, ipſum tacite voluiſſe ſubinferre materiam priſcis inter Sacerdotium & Imperium,

(1) *Ex Pſ.* 108. (2) *Vide Petav. tom.* 2. *Ration. Temp. in Succeſſ. Rom. Pontif.*

rium, iiſdemque jamdudum obſoletis, diſſidiis excitandis idoneam. Quod ſi verum ſit, viderit ipſe, an viro Catholico horrorem ingerat vel ſola cogitatio de innovandis illis inter utramque poteſtatem concertationibus, quæ inde obortis tumultuum, bellorum, ſchiſmatum procellis Petri navim dire hactenus concuſſerunt: quæ tamen procellæ adverſus eamdem navim juxta Chriſti promiſſum (1) non prævaluere, immo potius in honorem triumphi tranſierunt.

ARTICULUS V.

Conſtantini Porphyrogeniti teſtimonium de tempore translati Dominii Urbis Romæ in Romanos Pontifices expenditur.

Quamquam non ſit hic locus diſcutiendi relatas ſuperius ab Anonymo opiniones de tempore, quo temporalis Romanæ Urbis dominatus ad Romanum Pontificem translatus fuit; attamen quia eidem arridet præ aliis ſententia eorum, qui innixi potiſſimum Conſtantini Porphyrogeniti teſtimonio, ſub initium ſæculi decimi id accidiſſe putant, ejuſmodi idcirco teſtimonium expendere opportunum duximus.

Repetenda itaque ea hic ſunt, quæ in eam rem ab eodem Anonymo ſcripta ſupra retulimus. „ Illi demum Scriptores, „ inquit, qui forte veriora ſectati dicunt Romanæ Urbis dominium propter Imperii declinationem tranſmeaſſe ad „ Romanum Pontificem, id ineunte ſæculo decimo eve- „ niſſe ſentiunt Conſtantini Porphyrogeniti permoti teſti- „ monio, qui in ſuorum Thematum lib. 2. Them. x. Europæ „ ſtatum exhibens, qualem ipſius ætas ferebat, circa an- „ num 914. de Urbe Roma ita ſcripſit: *Roma Regium depo-* „ *ſuit Principatum & propriam adminiſtrationem ac juriſ-* „ *dictionem obtinuit, eique proprie dominatur quidam ſuo tem-* „ *pore Papa* (2). „ Ita quidem Fridericus Morellus (3), ex quo forte Anonymus; at Anſelmus Banduri e græco poſtrema ver-

(1) *Matth. 16. 18.* (2) *Anonym. pag. 24.* (3) *Apud Meurſium in Collectione Operum Prophyrogeniti.*

verba ſic vertit: *Eique proprie & legitime dominatur, qui ſuo tempore Papa eſt* (1).

Jam plura in eodem Porphyrogeniti teſtimonio obſervanda ſunt, quæ Anonymum, & laudatos ab ipſo Scriptores nequaquam veriora ſectatos eſſe, ſed a vero prorſus aberraſſe evidenter oſtendunt. I. Siquidem falſum omnino eſt eam Europæ deſcriptionem circa annum 914. a Prophyrogenito fuiſſe exaratam. Hic enim anno 912. ſeptemnis puer auſpicatus Imperium (2), qua quæſo ratione poſt duos annos novennis puer effectus, anno ſcilicet 914. potuit eamdem adornare Europæ deſcriptionem, quæ geographum & eruditum virum præſefert Auctorem?

II. Idem ipſe Conſtantinus Porphyrogenitus in ſuo de adminiſtrando Imperio ad Filium libro cap. 27., ubi agit de Longobardiæ Themate, maniſeſte innuit ſcriptioni ſe addictum anno a condito Mundo 6457. indictione ſeptima: *Sunt*, ait, *in hodiernum uſque diem, quæ ſeptima eſt indictio, anni a condito Mundo* 6457. *a diviſa Longobardia anni* 200. Annus autem 6457. juxta Banduri calculum incidit in annum Chriſti 949. (3). Hinc conjicere licet non multum ante, ſive non multum poſt id temporis Conſtantinum ſcripſiſſe duos Thematum libros, qui nonniſi a viro provectæ jam ætatis & maturæ eruditionis ſcribi potuerunt. Quamobrem, retenta hujuſmodi ſcriptionis epocha, translatio dominii Urbis Romæ in Romanos Pontifices non ineunti, ſed medio ſæculo decimo conſignanda foret, quod nec ipſe Anonymus effutire eſt auſus.

III. Ex ipſomet Porphyrogeniti teſtimonio, quod integrum ſubjicimus, ſatis conſtat longe ante initia decimi ſæculi accidiſſe prædictam dominii translationem. *Sicilia*, inquit, *non fuit antea ſub poteſtate Imperatoris Conſtantinopolitani, quando Roma Imperatori ſubjecta erat, ſed nunc hæc innovatio facta eſt; quia Roma Regium depoſuit Principatum, & propriam adminiſtrationem & juriſdictionem obtinuit, eique proprie & legitime dominatur, qui ſuo tempore Papa eſt* (4). Statim vides ex mente Porphyrogeniti tunc Romam obtinuiſſe pro-

(1) *Tom.*1.*Imperii Orientalis ſub initium*. (2) *Moreri in Dict.*V.Conſtantinus Porphyrogenitus. (3) *Not. in hunc Porphyr. locum*. (4) *Conſt. Porphyr. loc. cit.*

propriam adminiſtrationem ac juriſdictionem, & Summum Pontificem Romæ dominium, cum Sicilia ſub poteſtate Imperatoris Cpolitani eſſe, ſeu ad Imperium Orientale pertinere cœpit. Hoc autem circa annum 800. contigiſſe narrat Fazellus, quando nimirum inter Nicephorum Thoxiam Cpolitanum Imperatorem & Carolum M. inito pacis fœdere, diviſoque in duas partes Imperio, Sicilia omnis cum Calabria & Apulia ipſi Nicephoro, reliqua vero Italia Carolo ceſſit (1). Huic autem diviſioni etiam favere videtur quod Porphyrogenitus illico ſubdit: *Nunc vero* (Sicilia) *ſub ditione eſt Cpolis, quia Cpolitanus Imperator maris princeps eſt uſque ad Herculis columnas, & noſtri totius mediterranei* (2). Eam igitur innovationem, qua Sicilia Cpolitani Imperatoris, & Roma propriam adminiſtrationem ac Pontificis Summi dominationem ſubiit, circa annum 800. factam eſſe cenſet Porphyrogenitus; videlicet circa tempus illud, quo Romanum Pontificem dominio Urbis a Carolo Magno fuiſſe donatum Scriptores aliqui ſentiunt.

IV. Si auctoritate Conſtantini Porphyrogeniti præſens quæſtio finienda eſt, dicendum ſane Romam jam a medio circiter ſæculo octavo paruiſſe Chriſti Vicario. In libro enim de adminiſtrando Imperio ſe clarius explicans in rem noſtram hæc habet idem Conſtantinus, ut Banduri interpretatur: *Temporibus autem Imperatricis Irenes miſſus Patricius Narſes Beneventum & Papiam adminiſtrabat*; (Meurſius vertit: *tenebat*:) *Romam vero Papa Zacharias Athenienſis*, ſeu ex interpretatione ad literam: *Et Zacharias Papa Athenienſis adminiſtrabat Romam* (3). Ubi obſervandum, quod bis repetita vox græca ἐκράτει, id eſt *adminiſtrabat*, in prima parte textus, quia ibi contrahitur a verbo *miſſus*, ſignificat adminiſtrationem dependentem; in ſecunda vero, cum nullo modo limitetur, adminiſtrationem abſolutam indicat, ut videri etiam poteſt in alio textu ſupra allato, ubi ad ſignificandum, quod Imperator Cpoleos Maris *princeps eſt*, vox κρατεῖν adhibetur. Jam vero Zacharias anno 741. Petri ſolium

(1) *Fazel. de Reb. Siculis Decad. Poſter. lib. 6. cap. 1.* (2) *Porphyr. ibid.* (3) *Idem Porphyr. de Adminiſt. Imp. cap. 27.*

lium conſcendit, quo anno Leoni Iſaurico patri demortuo Conſtantinus Copronymus in Imperio ſucceſſit (1). Circa medium igitur ſæculum octavum *Romam adminiſtrabat*, ſeu *tenebat* Zacharias, qui nonniſi anno 752. e vivis exceſſit.

Cum autem in loco modo citato Porphyrogenitus non neget, immo potius innuat, ante Zachariam inductum fuiſſe morem, ut Romam Romanus Pontifex adminiſtraret, ſeu teneret, idcirco conjicio, eumdem Porphyrogenitum in Themate x. citato retuliſſe ejus adminiſtrationis ſive poſſeſſionis initium ad Gregorium II., ut jam oſtendo. Romam ab obedientia, Imperioque Leonis Iſaurici per S. Gregorium II. fuiſſe abductam narrant Theophanes, Cedrenus & Zonaras Græci Scriptores (2), a quibus facile edoctus Porphyrogenitus, *Sicilia*, inquit, *ſub poteſtate Cpolitani Imperatoris non fuit, quando Roma Imperatori ſubjecta erat*. Porro Roma ipſi Imperatori Cpolitano ſubjicebatur, non quatenus Orientis, verum quatenus Occidentis etiam Imperator erat. *Sed nunc hæc innovatio facta eſt*, ut Sicilia videlicet ſub poteſtate Imperatoris Cpolitani qua talis eſſet, quæ antea ſub poteſtate ejuſdem ut Imperatoris Occidentis erat; *quia Roma Regium depoſuit principatum.* Romam profecto ſub Gregorio II. Leonis Iſaurici excuſiſſe Imperium prædicti Græci Scriptores referunt: quando & idem Leo Siciliæ Diœceſes a Romano per ſummam tyrannidem avulſas Cpolitano Patriarchatui addixit, ut aſſerit & probat Antonius Pagius (3); immo ex mente Porphyrogeniti Siciliam ipſam Imperio etiam Cpolitano ſubjecit. *Et propriam adminiſtrationem & juriſdictionem obtinuit* Roma, creato ſcilicet proprio Duce, qui eam regeret (4): in quo negotio eidem S. Gregorio tantum licuit, quantum libuit (5); ut obſeryat etiam Marca, cujus cæteroquin ſententia de translatione dominii Urbis in Apoſtolicam Sedem & innititur eodem Porphyrogeniti teſtimonio, & ea ipſa eſt, quam cæteris præfert Anonymus (6). Quocirca exinde

(1) *Vide ſucceſſiones Rom. Pont. & Impp. Orientis apud Franciſc. Pag. Brev. &c tom.* 1. (2) *Apud Bellar. de Rom. Pontif. lib.* 5. *cap.* 8. (3) *Anton. Pag. ad an* 730. *num.* XI. (4) *Marca Concord. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 1. (5) *Idem ibidem num.*2. (6) *Vide Marcam Concord. lib.*3. *cap.*XI. *num.*XI., & *Anonym. loc.cit.*

de *ei dominatur quidam ſuo tempore Papa*, *ſeu qui ſuo tempore Papa eſt*. Unde & in libro de adminiſtrando Imperio, quod Zacharias tertius a Gregorio II. Pontifex adminiſtraverit, ſive tenuerit Romam, ſcribit idem Porphyrogenitus, ut paulo ante vidimus.

Scio ibidem errore lapſum Porphyrogenitum; nam Imperium Irenes, quod, mortuo Leone III. ejus conjuge, incœpit anno 780., cum Zachariæ Pontificatu non concurrit: Scio hujuſmodi errorem oſcitanter ſcribenti librario a Meurſio eſſe tributum „ nam, inquit, Sophia (Juſtini uxor) tunc „ Auguſta fuit, non Irene, ut & Papa Joannes III., non „ Zacharias; unde eſt confuſio 200. circiter annorum (1). „ Verum non hic Hiſtoriæ veritatem quærimus, ſed quid hic Porphyrogenitus ſenſerit, quidve ſcripſerit. Non eſt autem ſimile vero tantam librario fuiſſe in ſcribendo oſcitantiam, ut Sophiam in Irenem, & Joannem III. in Zachariam Papam Athenienſem mutaverit.

Liquet ex dictis Conſtantini Porphyrogeniti teſtimonium nequaquam favere ſententiæ eorum, qui ad initia ſæculi decimi, ſed eorum potius, qui translationem dominii Romanæ Urbis in Romanos Pontifices ad tempora S. Gregorii II. & Leonis Iſaurici circa annum 727. referendam eſſe docent. Cujus quidem ſententiæ aſſertores, quamquam veluti Romanæ Curiæ nimium addicti ab Anonymo traducantur (2), Conſtantinum ipſum Porphyrogenitum, quem tanti ille facit, ut perperam eidem affixam in præſenti controverſia opinionem cæteris præferendam eſſe cenſeat (3), adſtipulatorem potius habeat, quam adverſarium.

(1) *Meurſius in Not. ad prædictum Porphyr. locum.* (2) *Anonym. pag.* 23. (3) *Anonym. pag.* 24.

ARTICULUS ULTIMUS.

Concluſio totius Operis, cum Parœneſi ad Anonymum.

ECCE FACTUM EST: ECCE APPARUIT VERITAS: ECCE CONVICTA EST FALSITAS (1). Id ut unico jam mentis intuitu percipiatur, ſupereſt ut omnia compendio dicamus. Porro in ſuo Opuſculo elucubrando illud propoſitum fuit Anonymo, ut libello ſupplici, cujus capita in noſtra præfatione innuimus, Carolo VI. Cæſari a Neapolitanis porrecto juſtitiam conciliaret. Hunc vero ſcopum ut aſſequeretur, duo ſibi demonſtranda aſſumpſit: Primum, quod Archiepiſcopatus Beneventanus comprehendatur Edicto Regio arcente alienigenas a quibuſvis Regni Beneficiis: Secundum, quod Beneventani Archiepiſcopi in ea Provincia juriſdictionem exercere nequeant, niſi prius Apoſtolicæ, quibus ad illam Sedem evehuntur, literæ Regio Placito muniantur. Jam vero cum nos oſtenderimus argumenta omnia, ſive a jure, ſive ab auctoritate, ſive etiam ab hiſtoria petita, quibus ille utitur ad utrumque præſtandum, nullius undequaque eſſe roboris; inde plane conficitur, ARCHIEPISCOPATUS BENEVENTANI LIBERTATEM A SERVITUTE REGII EDICTI REGIIQUE PLACITI ADVERSUS ANONYMI ARGUMENTA ESSE VINDICATAM; &, quod conſequens eſt, prædictum ſupplicem libellum omni prorſus æquitatis ſpecie deſtitui, immo ut Eccleſiaſticæ Libertatis, & Apoſtolicæ auctoritatis inimicum, necnon inter Eccleſiaſticam & politicam poteſtatem diſcordias ſerentem eſſe improbandum a quolibet, qui odii in Romanam Sedem non ſit tenacior, quam veri rectique amator.

Non ſolum id vero; ſed quandoquidem Anonymus particularem controverſiam generali controverſiæ immiſcuit, nobiſque proinde occaſionem præbuit confutandi ea omnia, quæ adverſus cunctarum Regni Eccleſiarum, necnon literarum qua-

(1) *S. Aug. ad Donat. poſt Collat. cap. 35. num. 58.*

quarumlibet Apoſtolicarum Libertatem ipſe argumenta protulit; liquet pariter, quo veritatis fundamento, qua juſtitiæ ſpecie Neapolitani Magiſtratus quævis ejus Regni Beneficia ſolis indigenis conferri velint, literaſque Apoſtolicas omnes Regio exequendi Conceſſui ſubjiciant. Hæc profecto non ratione, non jure aliquo legitimo, ſed vi injuriaque ab illis agi ex dictis conſtat. Unde etiam ſequitur, ARCHIEPISCOPATUUM, EPISCOPATUUM, NECNON INFERIORUM REGNI NEAPOLITANI BENEFICIORUM LIBERTATEM A PRÆDICTA REGII EDICTI, PLACITIQUE SERVITUTE ADVERSUS EJUSDEM ANONYMI ARGUMENTA ESSE ITIDEM VINDICATAM. Utinam tandem aliquando prædicti Magiſtratus reſipiſcant: Eccleſiæ non ANCILLÆ FILIOS, SED LIBERÆ ſe ipſos agnoſcant, eamdem ut Matrem vere colant, aut ſaltem ſupernum revereantur omnium Magiſtratuum Judicem, Eccleſiæque ſuæ ſerius ocyus vindicem Deum, qui Potentes potenter tormenta paſſuros eſſe minatur (1).

Ad te demum, Anonyme frater, ſit noſter ſermo. *Si quid te vel ratio, vel oratio noſtra commovit: & ſi veram, ut credo, curam tui geris, velim me audias* (2). *Cathedra quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua* PETRUS SEDIT, *& in qua hodie* CLEMENS SEDET (3)? Eccur calamum acuis in Eccleſiæ Libertatem, *Quam nobis donavit Sanguine ſuo Dominus noſter Jeſus Chriſtus omnium hominum Liberator* (4)? *Audi me dilectorem tui, zelatorem ſalutis tuæ; Romana Eccleſia valde clemens eſt: ſed nihilominus potens. Fidele conſilium, & omni acceptione dignum: noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis: debitam ei reverentiam exhibebo, & nihil amplius. Eſto: Fac quod dicis; quia ſi exhibeas debitam, & omnimodam. Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit* (5). Nos interim, quibus præſentium temporum calamitas Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ auctoritatem ab ejus male feriatis filiis

(1) *Sap. cap. 6. v. 7.* (2) *S. Aug. lib. de utilit. creden. cap. 18.* (3) *Idem contra Epiſt. Pitiliani lib. 2. cap. 51. num. 118.* (4) *Concil. Epheſ. Act. 7.* (5) *S. Bernard. Epiſt. 131.*

filiis qua ſcriptis, qua factis exagitatam exhibet, S. Pontificis Nicolai I. (1) exemplum imitantes, *Rogamus omnipotentem Deum, ut qui ſuæ cognitionis* tibi, tuique ſimilibus *reſeravit myſterium, tribuat quoque noſſe ad plenum, quæ ſint, vel quanta & qualia privilegia Eccleſiæ Romanæ, & ex quo cœperint exordium, & quis ejus ſummæ auctoritatis auctor exiſtat, clementer aperiat.*

Finis Tertiæ Partis.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.



IN-

(1) *Epiſt.* VIII. *ad Michaelem Imp.*

1AA 1530749

INDEX RERUM NOTABILIUM.

A

S. ALbertus *Epiſcopus Leodienſis pro tuenda Eccleſiæ libertate ab Henrico VI. per emiſſos Sicarios necatus eſt*. pag. 80.

Alcalæ Dux *Prorex Neapolis primus fuit, qui de Regio Placito Pragmaticam edidit: incidit in excommunicationem* Bullæ in Cœna Domini, *a qua poſtea pœnitens fuit abſolutus*. 174. *Literas Apoſtolicas ſine Regio Placito executioni mandari permittit*. 175. 177. *ad* 178. *eius in Regii Placiti negotio epiſtola ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem* 175. *ad* 176.

Alo *in Beneventanum Archiepiſcopum ab Otthone III. per vim electus, ac poſtmodum a Beneventanis ejectus*. 65.

Anonymus *Carolo VI. Imperatori imponit*. 5. 130. *committit Regium Edictum cum ſacris Canonibus*. 15. *Sæculares Principes in rebus Eccleſiaſticis conſtituit Arbitros, Duces, ac Dominos*. 34., *item Canonum Interpretes, Judices, ac Vindices*. Ibidem. *externum Eccleſiarum Regimen iiſdem Principibus attribuit*. 32. *Epiſcoporum cœtui eſt injurioſus*. 36. *contra ſe ipſum argumentis ſuis militat*. 64. 195. *Summos Pontifices Imperatoribus ſubjicere etiam in ſpiritualibus* 86., *& quæ Sacerdotii ſunt, Regno adſcribere convincitur*. 87. *ad* 88. *Archiepiſcopo Beneventano, aliiſque Sacris Præſulibus nihil relinquit præter nomen & caracterem*. 88. *atrocem calumniam irrogat Regni Neapolitani Epiſcopis*. 120. *Eccleſiaſticæ poteſtatis non libertatem tantum, ſed etiam efficaciam dejicit*. 137. *ad* 138. *Literas omnes Romani Pontificis quibuslibet Chriſtianis Regnis, ac Ditionibus veluti extraneas traducit*. 151. *detrahit famæ Benedicti VIII., & ſanctitati Leonis IX.* 208. *Leonem IX. Gregorium VII. & Pium V. nunquam Sanctos appellat*. 213. *In una Regii Placiti Lege noviſſime editâ omne tandem ſuæ cauſæ præſidium collocat*. 201. *quis ipſi Anonymo fuerit animus in recenſenda longa ſerie Romanarum Electionum*. 254. *ad* 255. *ad eumdem Anonymum adhortatio*. 261. *ad* 262.

S. Anſelmus *Cantuarienſis Eccleſiaſticæ Libertatis uſque ad exilium defenſor*. 197.

Antonii Auguſtini *de Collectione Gratiani judicium*. 51.

Appellatio *ab abuſu a ſuis Defenſoribus aliquibus conditionibus circumſcribitur*. 114.

Apoſtoli, *quæ condiderunt Decreta, & quas ſcripſerunt Epiſtolas, miſerunt in Provincias ſine ullo Principum Placito*. 148. *ad* 149.

Apulia, Calabria, & *Sicilia etiam antequam a Northmannis occuparentur, ad ſupremum Apoſtolicæ Sedis Dominium pertinebant*. 215.

Ar-

Archiepiſcopatus *natura*, ſubjectum, *exercitium*, & objectum 19. *Diœceſes contributæ ex ſola Sede Archiepiſcopali habent, quod unum Archiepiſcopatum conſtituant*. 20.

Aſſenſui Regio *non ſuffragantur Canones*. 51. *ad* 52. *ſed adverſantur*. 53. *ejuſdem Aſſenſus mutationes*, & *diverſæ appellationes*. 60. *variæ origines*, & *qualitates*. 61.

Idem Aſſenſus ejuratus a Friderico II. 46. *a Petro Aragonum Rege*. 57. *ad* 58. *a Regibus Northmannis*, *Suevis*, *Andegavenſibus*, *Aragoniis*, & *Auſtriacis*. 76. *ad* 77.

Idem Aſſenſus ab Eccleſia Romana excommunicationibus, *interdicto*, 56. & *reprehenſionibus impetitus*. 70., *ac tandem prorſus abolitus*. 55. *Vide*: Electiones Romanorum Pontificum.

B

Bambergæ *cum Benevento permutatio quomodo ſe habuerit*. 28.

Beneficiorum diſtributio, *ubi legitima viget pro ſolis indigenis*, *non ſacris Canonibus innititur*, *ſed privilegio Apoſtolicæ Sedis*. 15.

In Beneficiis conferendis non Regiorum ſubditorum utilitas, *ſed commoda Eccleſiarum*, & *merita perſonarum ſpectanda ſunt*. 92. 101. *quæ duo item ſpectantur a Romanis Pontificibus in Beneficiorum cum diviſionibus*, *tum unionibus*. 107.

Beneficia *omnia Catholicæ Eccleſiæ ſpectant ad Romanum Pontificem tanquam ad ſupremum rerum Eccleſiaſticarum Dominum*, *aut certè Diſpenſatorem*. 180. *Idque oſtendunt Concilii Viennenſis*, *ac Summorum Pontificum decreta*, 181., *praxis perantiqua*, Ibidem, *Theologorum ſenſus*, Ibidem, *Gallia tota*, 182., & *ipſa ratio*. Ibidem.

Beneficia *Regni Neapolis a Sæculo* IV. *ad noſtra uſque tempora collata etiam extraneis*. 73. & *ſeq.*

Beneventani Archiepiſcopatus *amplitudo non poteſt efficere*, *ut Edictum Regium*, *de ſe inefficax*, & *infirmum*, *aliquando convaleſcat*. 18. *ejuſdem Archiepiſcopatus annui reditus*. 104.

Beneventana Eccleſia *pertinuit olim ad Romanam Provinciam*. 59. *ſub Longobardorum*, *Caroli Magni*, & *ſucceſſorum Imperio a ſervitute Regii Placiti fuit immunis*. Ibidem. *ampli ejuſdem Eccleſiæ reditus nequaquam addicuntur ſolis Regni Neapolitani incolis*. 102.

Beneventi Dominium, *qua ratione Alphonſus* I. & *Ferdinandus* I. *uſurpaverint*, *ac Ferdinandus ipſe tandem dimiſerit*. 200. *ad* 201. *penes Romanos Pontifices ſemper ſtetit immotum*, 214., *abſolutum*, & *non precarium*. 215.

Qualenam Benevento Territorium olim fuerit deſignatum? *Vide*: Clemens VI.

De Biſſy *Cardinalis impugnat Van-Eſpen Conſtitutiones dogmaticas Regio Placito ſubjicientem*. 135. *ad* 136.

Bulla in Cœna Domini *recepta in Regno Neapolis*. 119. 176. *Opinio de Bulla* Cœnæ *non recepta in Belgio damnata eſt*. 176. *ad* 177.

Ca-

C

Canones Eccleſiaſtici. *In Sacris Canonibus diſpenſare poteſt Summus Pontifex*. 10. *veteres Canones quandoque a Romanis Pontificibus abrogati ſunt*. 11. *Canones tueri, non violare Principum eſt*. 12. *Canones veteres Clericos undequaque oriundos ad Eccleſiarum regimen accerſebant*. 14. *non ſuffragantur Aſſenſui Regio*. 52. *arcent Principes a rebus Eccleſiaſticis*. 13. *& præſertim a ſacris electionibus*. 53. *Diſcutiuntur Canones, qui in ſacris electionibus quoquo modo ſæcularium Principum requirunt Aſſenſum*. 51. *ad* 52.

Cardinales S.R.E. *propter prudentem quamdam œconomiam inter Catholicos Principes præcipuos admittunt ad Conſilia præcedentia electionem Romani Pontificis*. 186. *A ſolis Cardinalium in Conclavi recluſorum ſuffragiis valida, & legitima pendet electio Romani Pontificis*. 187.

Cardinalis Urſinus. *Vide*: Urſinus.

Carolus Magnus *Ducatus Spoletanum, & Beneventanum Eccleſiæ Romanæ ſuperaddidit*. 24. *ejuſdem erga Romanam Sedem obſequium*. 144. *nec ante, nec poſt adeptum Occidentis Imperium Romani Pontificis electionem confirmavit*. 228. *ad* 229.

Caroli VI. *Imperatoris Literæ, ſive Edicta ad Regni Neapolitani Beneficia ſpectantia*. 2. *& ſeq. non excludunt alienigenas ab ejuſdem Regni Beneficiis*. 5. *nullius ſunt roboris*. 9. *ad* 10. *ejuſdem Caroli Literæ de Regio Placito, vulgo* exequatur. 129. *ad* 130. *ſolam fere materiam Beneficiorum complectuntur*. Ibid. *Idem Carolus ſupplicis Libelli Neapolitani nullam rationem habuit*. 202.

Carolus I. Andegavenſis *a Clemente IV. regiones omnes, quæ nunc Regnum Neapolis conſtituunt, ſtipendiarias accipit, excepto Benevento cum ſuo Territorio*. 221. *Manfredum Regni invaſorem debellat*. 218.

Caroli II. Andegavenſis *Literæ oppugnant Regii Placiti praxim, pro qua afferuntur*. 169.

Chriſtus Dominus *liberam Evangelii promulgationem præcepit Apoſtolis*. 148.

Chriſtianus Lupus *multa congerit pro Regio Aſſenſu*. 54. *ſed perperam*. 55. *imo ſibi ipſi non conſtat*. Ibidem. *liberas in Italia fuiſſe ſacras electiones oſtendit*. 56. *ad* 57. *necnon in Regno Longobardorum ſub Carolo Magno*. 58. *ejus ſententia de legitimo Regum Aſſenſu deſinere tandem videtur in Conſenſum a Regibus ſacris Electionibus ex officio præſtandum*. 60.

Clemens VI. *juxta Conſtitutionem Clementis IV. duplici diplomate diſtinxit Beneventi Territorium, eamque diſtinctionem confirmavit*. 221. *ad* 223.

Clemens XI. *damnavit Edictum de Regio Placito a Senatu Taurinenſi nuper evulgatum*. 162.

Clerici *undequaque oriundi ad Eccleſiarum regimen a ſacris Canonibus vocantur*. 14. *per ipſas civiles Leges a ſæculari poteſtate eximuntur*. 114. *Clerici extranei a Sæculo* IV. *ad noſtra uſque tempora minime excluſi ab Epiſcopatibus, ac reliquis Neapolitani Regni Beneficiis*. 73. *ad*

73. *ad* 74. *vera ratione Principibus ſuſpecti a Beneficiis arceantur*. 155. *dicuntur proprii alicujus Eccleſiæ primò titulo Baptiſmi, ſecundò Domicilii, tertiò Ordinis, atque Officii*. 14. *non præferebantur univerſim extraneis, niſi propter linguæ patriæ peritiam, & notos ipſorum mores*. Ibid. *diverſimode cenſentur extranei*. 15.

Conſtantini Magni *vox digniſſima Imperatore Chriſtiano*. 35.

Conſtantinus Porphyrogenitus *ſeptemnis Imperium auſpicatur an*. 912. 256. *circa ann*. 949. *ſcriptioni ſeſe addicit*. Ibidem. *Ejus teſtimonium evincit urbis Romæ Dominatum translatum fuiſſe ad Romanum Pontificem circa an*. 800., *imo ante medium ſæculum ſeptimum*. 257. *& ſeq*.

Conſtantinus IV. *dimiſit ſervitutem Regii Aſſenſus a Juſtiniano & ſucceſſoribus in Romana Eccleſia male continuatam*. 81.

Conſuetudo *rationem non vincit, aut legem*. 178.

Curia Romana. *Vide*: Romana Curia.

D

Delictum Eccleſiaſticum *eſſe juxta Canones ab Epiſcopo puniendum ſtatuit Juſtinianus Imp*. 116.

Decreta *Synodorum Diœceſanarum publicandi facultatem habent Epiſcopi a Conciliis Oecumenicis*. 118.

Doviatii *Joannis de Collectione Gratiani judicium*. 51.

E

Eccleſiæ Libertas *a Polyeucto Patriarcha Conſtantinopolitano vindicata adverſus Edictum Nicephori Phocæ*. 44. *In eo conſiſtit eadem Libertas, ut in cauſis Dei ipſa Eccleſia libere utatur legibus ſuis*. 138. *quando Eccleſia poteſtati ſæculari ſubjicitur, quæ Domina erat, ancilla efficitur*. 139.

In Eccleſia Romanus Pontifex ſupremi Capitis, Paſtoris, ac Patris munus gerit: Fideles vero omnes, etiam Reges, & Imperatores, Membrorum, Ovium, ac Filiorum locum obtinent. 152.

Eccleſiæ res *ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum non immutantur*. 62.

Eccleſiarum Bona, ſeu Reditus. *Origo curæ, & diſtributionis horum Bonorum eſt ab Apoſtolis*. 92. *ad* 93. *eorumdem cura a Conciliis, & SS. Patribus ſubinde demandata Epiſcopis, aliiſque Eccleſiaſticis viris*. 93. *eorumdem Bonorum ab ævo Apoſtolorum ea eſt natura, & indoles, ut in omnes Fideles erogentur, ſive indigenas, ſive alienigenas*. 94. *ad* 95. *quam naturam & indolem non amiſerunt per ſubſequutam Beneficiorum erectionem*. 95.

Enumerantur cauſæ, propter quas viri Principes, aliique Fideles Bona ſua ceu dono, ceu teſtamento Eccleſiis reliquerunt. 96. *ad* 97.

Eccleſiaſticorum Bonorum & Redituum *libera adminiſtratio commiſſa Epiſcopis ab illis ipſis, qui eadem Bona, ac Reditus reliquerunt Eccleſiis*. 97. *ad* 98.

Ca-

Canonica eorumdem Bonorum , ac Redituum partitio . 104.

Eccleſiarum externum regimen *ſæcularibus Principibus perperam attributum* . 32. & *ſeq.*

Eccleſiarum Fundatoribus *juxta S. Gregorium M. nihil ſingularis juris accedit* . 45.

Eccleſia Romana. *Vide*: Romana Eccleſia.

Edictum. *Vide*: Caroli VI. Edicta.

Edicti Regii *extenſio perperam infertur ex Apoſtolici Privilegii extenſione* . 89. *ad* 90.

Electiones Epiſcoporum, & *aliorum Eccleſiæ Miniſtrorum per laicos Principes, ac Magiſtratus peractæ, nullæ ab Oecumenicis Synodis declarantur* . 38. *ſacris electionibus Clerus ut Judex , Populus ut teſtis, & Epiſcopi aderant, ut ſupremi Judices* . 39. *quicquid a ſæculi Principibus in ſacris electionibus peractum legitur, vel Summi Pontifices , & Epiſcopi eis indulſerunt, vel ſibi arrogarunt* . Ibid. *SS. Leo I. & Gregorius I. nihil Principibus tribuunt in ſacris electionibus* . Ibidem.

Electiones Epiſcoporum in Germania audacius & diutius oppugnatæ. 79. *Iiſdem tandem aſſerta avita Libertas*. Ibid. *Galliæ Epiſcopi in ſuis Synodis ſacras electiones a Regio Aſſenſu voluerunt immunes* . 57. *Concilia Oecumenica arcent Principes a negotio ſacrarum electionum* . 54. *ad* 55.

Electiones Romanorum Pontificum *a tempore Leonis Iſaurici ad Caroli Magni ætatem*. 225. *ad* 227. *eædem electiones ſub Imperio Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii, & Ludovici II.* 227. *ad* 238. *De iiſdem a tempore Caroli Calvi ad tempora Othonis III.* 238. *ad* 243. *De iiſdem electionibus ab ævo Othonis III. ad ævum Henrici IV.* 244. *ad* 253. *prædictæ electiones a Cæſarum Aſſenſu, ſeu confirmatione pene omnes oſtenduntur immunes in locis citatis*. 254. 635. *ad* 637.

Epiſcopatus *plures a Germanis Cæſaribus fundati , ac ditati, quibus hi Epiſcopos digniſſimos gratis præficiebant ex Eccleſiæ tolerantia ſive indulgentia* . 78. *ad* 79.

Epiſcopus. *Legitimis quibuſcumque conſtitutis Epiſcopis , & Archiepiſcopis libera eſt ſuas Eccleſias adeundi facultas , ac exercendi in iiſdem ſpiritualem jurisdictionem* . 204.

Eugenii IV. *pro Regio Placito quod refertur oraculum ad Alphonſum I. non omnino facit ad rem, immo ſuppoſititium demonſtratur* . 170.

F

Ferdinandi I. *Regis Neapolis Pragmatica Literas Apoſtolicas haudquaquam complectitur* . 171. *Lex eidem Ferdinando impoſita a Pio II. adverſus Regii Placiti abuſum* . 172. *Ejuſdem Ferdinandi auſus in Apoſtolicam Sedem , cum Innocentio VIII. diſſentiones, fœdera , ac tandem infelix obitus* . 172. *ad* 173.

Ferdinandus Catholicus *a Julio II. Regnum Neapolis ea lege tributarium accepit , ut inibi quæcumque Literæ Apoſtolicæ libere publicarentur* . *pag.* 175.

Florus Lugdunenſis *Romanas electio-*

vero totius Diœceſis ferebat teſtimonium pro eligendo in Epiſcopum. 75. *ad* 76. *inde tandem ſummovetur*. 41.

Poteſtas Eccleſiaſtica *a Patribus, & Theologis politicæ præfertur*. 114. *ad* 115. *ita ſe habet ad politicam, ut anima ad corpus*. 115. *Poteſtatis Eccleſiaſticæ exercitium impedire quam ſit abſonum*. 133.

Poteſtas Romani Pontificis. *Vide* Romani Pontificis poteſtas.

Pragmatica: Pragmaticum. *Pragmatica de Regio Placito primum edita a Duce Alcalæ Prorege Neapolis*. 174. *Pragmaticam Sanctionem Caroli VII. Galliarum Regis execrati ſunt Romani Pontifices*. 14. *Contra regulas Patrum nihil Pragmaticum valet*. 177.

Præfecturæ Eccleſiaſticæ *nequaquam ſequi debent diviſiones, & mutationes Præfecturarum civilium*. 21. *Illarum diviſiones & mutationes ad ſolum ſpectant Romanum Pontificem*. 22.

Prima Juſtiniana *a Juſtiniano Imperatore privilegiis ornata, quamvis olim ſpectaret ad Patriarchatum Romanum, inter urbes tamen Imperii orientalis recenſebatur*. 50.

Principibus *quibuſcumque laicis in negotiis Eccleſiaſticis nullam eſſe facultatem Sacra Scriptura indicat*. 6. *Sacri Canones decernunt*. Ibidem. *Sancti Patres docent*. 6. *ad* 7. *Concilia definiunt*. 7. *ad* 8. *ipſi Reges & Imperatores non ſemel faſſi ſunt*. 8. *Ad Principes ſpectat Canonum tuitio, non violatio*. 12. *Quænam legitima dici poſſit Principum poteſtas in rebus Eccleſiaſticis?* 33. *ad* 34. *Principes non debent electioni Epiſcoporum ſe ingerere, nec aliis rebus Eccleſiaſticis*. 49. *non debent impedire, ſeu retardare, ſed urgere executionem Literarum Apoſtolicarum, ac ſubdere Eccleſiaſticis Præſulibus executiones ſuas, non præferre*. 149. *in Eccleſia Membrorum, Ovium, & Filiorum locum obtinent*. 152. *Præcipui Europæ Principes non jure aliquo, ſed ſola Emorum Cardinalium indulgentia participes quandoque efficiuntur Conſiliorum, quæ ante electionem Romani Pontificis agitari ſolent*. 186. *Vide*: Leges: Electiones: Populus.

Privilegii Apoſtolici *extenſio*. *A legitima Privilegii Apoſtolici conceſſi Regno Neapolis extenſione ad civitatem Beneventanam non bene infertur extenſio Regii Edicti ad eamdem civitatem*. 89. *ad* 90.

R

Ratio naturalis. *Abſurda, quæ conſequuntur ex illo principio*: Ratio naturalis dictat fructus, & reditus Beneficiorum percipiendos eſſe ab illis tantum, in quorum ſolo naſcuntur. 99. *ad* 100.

Reditus Eccleſiaſtici. *Vide*: Eccleſiarum Bona.

Res geſtæ *inter Innocentium II. & Rogerium Northmannum*. 216. *ad* 217. *inter Hadrianum IV. & Guillelmum I. Regem Neapolis*. 217.

Robertus Guiſcardus *excommunicatur: abſolvitur*. 27. *Apuliam, Calabriam & Siciliam a Romanis Pontificibus tributarias accipit, non tamen Beneventam*. 216.

Rogerius Northmannus *infenſus Ro-*

Digitized by Google

Romanis Pontificibus, quod ſacris electionibus intemperantius ſe ingereret. 46. *qualis fuerit in Eccleſiam.* 66.

Romani *Anaſtaſium Antipapam ab Apoſtolica Sede exturbant.* 232. *miſerunt aliquando Decretum Pontificiæ Electionis ad Imperatorem, & quare?* 233. *qua de cauſa ab Henrico Nigro Pontificem ſibi dari petierint.* 247. *ad* 248.

Romana Curia. *Si qui a Romana Curia ſe gravatos agnoſcunt ad ipſam confugere debent pro levamine, non ad Regiam poteſtatem.* 116. *ad* 117.

Romana Eccleſia *a ſervitute Regii Aſſenſus uſque ad Herulos & Gothos fuit immunis.* 81. *Eccleſiaſticæ eſt Magiſtra rationis.* 144.

Romanus Pontifex. *Diſpenſare valide & licite poteſt in Canonibus Conciliorum etiam Generalium.* 10. *Beneficiorum & Eccleſiaſticorum bonorum ſupremus Dominus eſt, vel certe Diſpenſator.* 101. *Ipſi ineſt poteſtas ferendi leges pro tota Eccleſia.* 132. 180. *ad* 182. *Ipſius poteſtas a Deo eſt, qui ſolus proinde poteſt moderari ejuſdem poteſtatis uſum.* 142. *in Eccleſia gerit munus ſupremi Capitis, Paſtoris, ac Patris.* 152. *ipſius Primatus, & Plenitudo poteſtatis.* 152. *ad* 153. *non minus, ſed plus auctoritatis habet in Regno Neapolis, tanquam in Apoſtolicæ Sedis patrimonio, quam in aliis Chriſtianis Regnis.* 184. 190. *ſicut Regi in temporalibus, & politicis, ſic Romano Pontifici in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis rebus libera eſt juriſdictio.* 188. *ad* 189. *ipſum Romanum Pontificem ratione directi dominii poſſe condere leges etiam contra Conſtitutiones Regias in Regno Neapolis, ſentiunt Neapolitani Scriptores.* 189. *ad* 190.

Romani Pontifices *veteres Canones quandoque abrogarunt.* 11. *quando Regibus Andegavenſibus, Aragoniis & Auſtriacis Regnum Neapolis tributarium conceſſerunt, Libertati Eccleſiaſticæ, præſertim in Beneficiorum diſtributionibus, cautum eſſe voluerunt.* 184. *per annos octoginta indefeſſo labore certarunt adverſus Imperatores pro Libertate Romanarum electionum.* 253. *Vide*: Electiones Romanorum Pontificum.

Romana Synodus *ſub Nicolao I. anathemate eos percutit, qui Dogmata, Mandata, Decreta, Interdicta Romani Pontificis contemnunt.* 145.

S

Sabellus Romanus Cardinalis *ſub Duce Alcalæ Prorege Neapolis abſque Regio Placito Archiepiſcopatus Beneventani poſſeſſionem capit.* 195.

Sacerdotii, & *Imperii a Patribus conſtituti limites.* 6. *ad* 8. & 31. *hos limites agnoverunt etiam pii Imperatores.* 35.

Sixti IV. *Literæ ad Beneventanos, & Beneventi Archiepiſcopum ejus Diœceſis Beneficia non addicunt ſolis Beneventanis civibus, & ipſius Archiepiſcopi Familiaribus.* 109.

Subditi. *Non ſpectat ad ſubditos determinare, aut examinare quid Papa poſſit.* 146.

Tau-

T

Taurinenſis Senatus *Edictum de Regio Placito damnavit Clemens XI.* 162.

Theodoſius, & *Valentinianus III. Imperatores ſtatuerunt, ut omnibus pro lege ſint Sanctiones Apoſtolicæ Sedis*. 132.

S. Thomas Cantuarienſis *Eccleſiaſticorum jurium defenſor uſque ad ſanguinem*. 197.

Thomæ Maurocœni Patriarchæ Conſtantinopolitani *Placitum ſolis Venetis S. Sophiæ Beneficia addicens ab Innocentio III. reprobatur*. 13.

Thomas Urſinus Viſitator Apoſtolicus *abſque Regio Placito Regni Neapolitani Eccleſias luſtrat*. 124. *ad* 125. & 175.

Tridentina Synodus *mulctas pecuniarias concedit Epiſcopis adverſus quoſcumque etiam laicos*. 119. *abſolute recepta eſt juſſu Philippi II. Hiſpani in Regno Neapolis*. 121.

V

Valentinianus III. *Vide* Theodoſius.

Van-Eſpen *Conſtitutiones dogmaticas Regio Placito ſubjicere non veretur*. 135. *impugnatur a Cardinali de Biſſy*. 135. *ad* 136.

Urſinus Cardinalis Archiepiſcopus Beneventanus, *qui poſtea Benedictus* XIII., *Literas Apoſtolicas Feſtum SS. Dominici & Januarii in Regno Neapolis præcipientes extendit ad Diœceſim, & civitatem Beneventanam*. 89. *in Beneventana Synodo nec Beneventanos inter Regnicolas, nec Beneventum inter alias Regni urbes computari aſſerit*. 90. *in tota Beneventana Archi diœceſi Mandata & Decreta Romana, uti Apoſtolicæ Sedis Delegatus, abſoluto imperio executus eſt*. 187.

Willelmus. *Vide*: Guillelmus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google